ANIMA
SPIRITUALIS BRUTORUM
SECUNDÙM
SANIORIS DOCTRINAE
CANONES
PROFLIGATA

AUTHORE
P. LAURENTIO MARIA FRASCONI
Ordinis Minimorum in Mediolanensi S. Francisci de Paulâ ad S. Anastasiam Collegio Sacrae Theologiæ Lectore jubilato.

* * * * * * *

Nolite fieri sicut equus & mulus
Quibus non est intellectus
Psal. 31. v. 9.

* * * * *



MEDIOLANI, MDCCXLV.
Apud Franciscum Agnellum.
SUPERIORUM PERMISSU.

Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.

Ep. ad Hebr. cap. 13. *v.* 9.

EGREGIO AC CLARISSIMO VIRO

DON CAROLO

DE TAGLIABOBUS

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI

Et

Totius Ducatus Mediolanensis

SINDICO GENERALI

Recens inaugurato.

EXultat Mediolani Ducatus difficillimis licet temporibus, te in sui Sindicum generalem assumpto, minimè ambigens, quod sub tuae jamdudum ab omnibus commendatae nèdum solertiae atque prudentiae, sed summae etiam integritatis umbrâ, securus vivet,

vivet, parumque ſentiet quid obſit temporum viciſſitudo, dum ad ejus ſolatium, talis ac tantus vigilat Defenſor. Exultat Mediolanenſis haec Civitas, nec ampliús habet quod de Majorum tuorum & Sanguine illuſtrium, & virtute, ammiſſione doleat, dum in te uno invenit, & quae majorum tuorum ſunt, cumulata, & quae tua potiſſimúm ſunt, veteribus addita, ut meritò habeat unde in te glorietur & laetetur ut Mater; Sed in Urbe hac ipsâ exultat prae caeteris hoc Sancti Franciſci de Paulâ Collegium, ſincero corde geſtiens de honorificentiſſimo munere per quàm dignè tibi concredito; Sentiebat enim quantis tibi nominibus obſtrictum foret, qui maximis illud, optimo ingenio, ſedulo labore, humanitate indefeſsâ cumulare beneficiis nunquam deſiiſti, & quae bona in grati pignus animi, conferre tibi non poterat, ab omnium bonorum largitore Deo, enixè precabatur; Votis itaque ſuis annuente Deo, concepti magnitudo gaudii, ſe ſe intús coercere non poteſt, ſed publicè cupit oſtendi: Patere igitur Clariſſime Vir, ut appoſito nomine tuo Operi huic, nunc primúm lucem aſpicienti, & grati ob accepta beneficia, & laeti ob col-

lata

lata tibi præclara munia, monumenta animi, manifesta sint omnibus; Fiet ita, ut nomen tuum, quod nulla unquam è corde nostro, delebit oblivio, per hasce paginas in omnium ore, aeternum vivat; Fiet ita, ut manifestiùs falsa appareat ea, quae in hoc Opere profligatur opinio, dum illius nomen in fronte geret, qui inter Optimos, praeclarissimis animi dotibus, morumque integritate, ita elucet, ut in semetipso ostendat, quantùm rationalis Anima, irrationalium Animas excedat, & quàm immeritò istae, paululum ab illâ diferre asserantur: Vereor utique, nè ista succinctè licet attingens, plus aequo molestus sim tibi, qui quantò humanas laudes & excellentiâ Doctrinae, & ingenii pernicitate, & probitate vitae, mereris, eò illas despicis refugisque, tanquam sine Corpore umbras; Sed tua ex hoc ipso culpa est, quod laudaris, umbra enim sequentem fugit, fugientem comitatur; Nec habes quò de me uno meritò conquueraris, quod ea de te commemorem, quae neminem latent, & ab omnibus commendantur, & si laudabile non est, laudari, sed se laudabilem exhibere, debueras non tot fulgere virtutibus, si debitis optabas

bas

bas carere laudibus ; Debueras non tot in nos profundere beneficia , si quaecumque respuebas grati animi officia : Eà itaque , quà nos omnes humanitate excipere Soles , in Opere hoc , quod tibi devovemus , observantiae erga te nostrae pignus suscipe , nec eum aegrè feras , qui minimus licet inter omnes , omnium tamen nomine , Opus Dans . Donans , Dicans , se ipsum lubenti animo subscribere gloriatur

Illustrissimae Dominationis tuae

Humillimus , & Addictissimus Servus
F. Laurentius Maria Frasconi
Minimus

SANIORIS DOCTRINAE PROFESSORI.

Ractatum de Brutorum Animae Spiritualitate vel admittendâ, vel explodendâ, ii tantùm flocci facere poterunt, vel qui omnia Circino ulnâque metiri volentes, se ipsos, suaque dumtaxat aestimare norunt, caecâque inflati superbiâ, caeteros despiciendo contemnunt; Vel qui ex praeconcepto, in Peripateticorum Systemata odio, verentur nè sublatâ Spirituali è Brutis Animâ, de Formâ aliquâ, quae limites imaginationis transcendat, admittendâ, convincantur; Vel denique qui videre, vel non valeant, vel nolint, ex assertae Spiritualis in Brutis Animae, affinitate cum Spirituali Hominis Animâ, quantùm periculi consequatur. Verùm enimverò, quidquid isti, quovis tandem ducti principio quaestionem

istam nihili pendant, quam tamen non infimae notae Viri, integris voluminibus pertractare, non inutile, nec parvi momenti opus unquam existimarunt; Nec ego cum ipsis levem esse duxi, neque in praesentiarum duco.

Multi propterea materiem hanc faciens edidi (quo fato nescio) Dissertationem contrà Animam Spiritualem Brutorum, in octo partitam Dialogos. Vixque illa emanarat, invèni quamdam Dissertationis meae Relationem à quodam *Vincentio Phocâ* exaratam, quam abs morâ alio in lucem dato Opusculo, protinùs confutavi: Sollicitus exindè remanseram, ut si quid novi, contrà vel Dissertationem, vel Dissertationis Vindicias typis ederetur, citò ad me perveniret. Factum itaque est, ut anno 1743. die undecimâ Julii, venerit in manus meas recèns editum Opusculum contrà praefatam Dissertationem, die vigesimâ quintâ Octobris anno 1741. approbatam, & paulò post publici juris factam. Totum diligenter perlegi ac attentè lustravi, omnigenamque in eo eruditionem admirans, sicut responsionis honore dignum, sic responsionis qualemcumque laborem minimè

nimè differendum judicavi. Manum operi jam jam apponebam; sed hinc recolens me promisisse, non ampliùs dimicaturum contrà incognitum hostem (*a*), hinc animadvertens, me non aequo marte cum Adversario pugnare; Ego enim in apertum prodeo, ille verò jacula vibrat in propatulo, sed tutus latet in abscondito, suspenso calamo haesitabam.

Vicit denique animi haesitationem mei, veritatis promovendae amor, & mallui sub Philadelphi nomine, Oppositorem pro cognito habere, quàm in tantâ necessitate loquendi, quasi timens silere. Supensam eàpropter manum, operi iterùm admoveram; sed modò scholasticis, modò sacris occupationibus detentus, modò Ordinis mei officiis (quibus nec in praesens prorsùs absolutus existo) admotam distrahentibus manum, Opusculum hoc, quod pro tenuitate suâ, paululùm temporis exigebat, ex opportuni temporis defectu, nec absque animi anxietate, serò lucem aspicere permissum est. Prodit jam, qualecumque illud sit; rebus quidem, ni fallor, quantùm satis discussis, & non sinè magnâ claritate enuclea-

(a) *In Confut. Relat. Vincen. Phocae.*

cleatis, ſtylo tamen nec turgido, nec affectatè expolito, ſed qui & rerum Philoſophicarum explicationi, & hominum familiari colloquio conventior viſus eſt, aptiorque; Nec enim unquam ejus imitari mihi placuit morem, qui tunc magnum aliquid perfeciſſe aeſtimat, cum involutas reſonantium verborum magnitudine periodos contexuerit, quem meritò ſic carpit Horatius (*b*).

Projicit ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Redarguet verò me fortaſsè aliquis, quod Ariſtippum ethnicum hominem, arbitrum admiſerim illius Controverſiae, quae etiam per firmiſſimas Fidei regulas, diſcutienda veniebat; Aſt facilè ab hac redargutione me ſubduco; Cum enim Arbitrum hunc, ab Oppoſitore meo aſſumptum invenerim, cupidumque viderim, ſive Scripturarum, ſive Conciliorum noſſe doctrinam, eundem meritò in Myſteriis, ac regulis Fidei à Philadelpho inſtructum, ab eodemque baptizatum ſupponere debui; Appo-

(b) *Horat. de arte Poet.*

Appoſui autem, licet, ut verum fatear, diſpliceret, de chartâ, ut dicitur, tranſcribere in papyrum, Dialogo IX. integrum D. Bernardi Sermonem V. in Cantica, eo conſilio ductus, ut quoniam & Comes Magalotti (*c*) aſſeverare non dubitavit, in eo ſermone expreſsè à S. Bernardo, Brutalis Animae Spiritualitatem doceri; Et ipſe Oppoſitor meus (*d*) dicere non eſt veritus, quod. *Mentem S. Bernardi Sermone. 5. in Cantica hanc eſſe, ut Brutorum Anima vera ſit immaterialis Subſtantia, ii ſolum vocare in dubium poterunt, qui vel numquam ſermonem iſtum viderint, aut ſi viderint, caecutire nihilominus malunt contrà lucem Sole meridiano clariorem*. Et non omnes qui iſta legerint, Divi Bernardi Opera, in promptu habere poſſint quae conſulant, habeant hìc unde ex ipſo fonte, veritatem haurire valeant.

Curavi denique, ut ad calcem opuſculi hujus, & Diſſertatio primitùs edita, & confutatio relationis Vincentii Phocae adnecteretur, ut commodiùs quae in ipſo ex

(c) 1. *par. Epiſt.* 24. *pag.* 407. (d) *An. Brut. Vindic. Dial.* 8.

ex iſtis citantur, inveniri, & faciliùs inſpici poſſint. Unum eſt quod Humaniſſimum Lectorem precer, videlicet ut eo Animo iſta excurrere velit, quo fuerunt exſcripta, non ſcilicet ingenuum Oppoſitorem, vel leviſſimè offendendi, ſed unicè oſtendendae veritatis amore, ac falſitatis, vel vera ſit, vel putata (judicet Lector) confutandae.



SE-

SERIES DIALOGORUM

DIALOGUS I.

Opinio de Animâ Brutorum *Spirituali*, diſcutienda proponitur, & quaedam Oppoſitoris Doctrina refellitur.

DIALOGUS II.

Senſatio & cognitio Brutorum, non evincit in ipſis verum *Spirituale* Principium.

DIALOGUS III.

Peripateticorum Doctrina quò ad diſtinctionem Actuum ab eorumdem Principio, ſanior oſtenditur contra Recentiorum placita.

DIALOGUS IV.

Subſtantia Spiritualis, eſt ad Imaginem Dei; ex hoc capite Anima *Spiritualis* Brutorum, Profligatur.

DIALOGUS V.

Subſtantia ſpiritualis, eſt immateria-

lium intellectiva; ex hoc capite Anima *Spiritualis* Brutorum, profligatur.

DIALOGUS VI.

Subſtantia Spiritualis eſt immortalis; ex hoc capite Anima Brutorum *Spiritualis* profligatur.

DIALOGUS VII.

Auctoritate Sacrae Scripturae Anima Brutorum *Spiritualis* profligatur.

DIALOGUS VIII.

Conciliorum Auctoritate Anima Brutorum *Spiritualis* profligatur.

DIALOGUS IX.

D. Bernardus ſermone V. *in Cantica* non docet Brutorum Animam eſſe Spiritualem, immò ex ejus Doctrinâ Anima *Spiritualis* Brutorum, profligatur.

OPI-



OPINIO
DE ANIMA' BRUTORUM *SPIRITUALI*

Discutiendâ proponitur,

Et quaedam Oppositoris Doctrina refellitur

DIALOGUS PRIMUS.

Philadelphus, *Aristippus*, *Critophilus*.

Phil. Ristippe mi, parce quaeso, si fortè importunus, sub horâ prandii, advenio; non alia de Caussâ ad te redire placuit, quàm ut te benè valentem reviserem, atque de praeteritâ concertationibus nostris diuturnâ, ac eruditissimâ adsistentiâ tuâ, tanto distinctius,

 quan-

quantò ſecretiùs, debitas grates referrem; Veniſſem aequidem primo manè, ut tanto muneri facerem ſatis, ſed domo egredienti obviàm factus amicus regredi compulit, noſſe ſollicitus, nùm tandem, & quomodo expleta diſceptatio, me inter & Critophilum, te judice habita; vixque huic enarraram me de Critophilo ſolemnem retuliſſe triumphum, alii & alii, ejuſdem diſceptationis exitum audire cupidi, adventant, dumque omnibus inſervire pergo, mane penè totum elabitur, & volvitur in meridiem; itaque cum primum licuit, adveni, ſi ſero adveniſſe error eſt, error veniabilis eſt.

Ariſt. Cui tamen non tam facile parcendum; quantò longior fuit mora in adveniendo, tanto protractior ſit, & in diſcedendo; unà mecum prandeas volo, nec mecum tantum, ſed & cum Critophilo prandebis, qui duabus jam ab hinc circiter horis eadem quae tu, immerita licet urbanitatis erga me officia praeſtiturus, ſe ſe huc contulit; cumque ſe eàdem qua te modo poena mulctavi, damnatum audiſſet, multaſque interim excribere deberem epiſtolas, cum volumine neſcio quo prae manibus, quod è mea bibliotheca excerpſit, vicinum deſcendit in hortum; prandebitis itaque quidem frugaliter ambo, ſed inter amicos pluris facienda epulis, jucunda ſocietas; ſed en ſenſit Critophilus horam prandii, & accedit ad nos. O Critophile gradum accelera, & ſocium invenies, quem forte non putas.

Crit. Ecce adſum; quis eſt novus iſte conviva? O Philadelphe dilectiſſime, quantum gaudeo

deo, & de optimâ valetudine tuâ, & de acceptissimâ tuâ, qua me fruiturum video societate!

Arist. Venite amici, assidete mensae, ibique incaeptos, quantum libuerit, complebitis sermones, & implebunt verba epularum intervalla; scio quod apponenda est tructa grandioris formae lario in lacu expiscata, quid de reliquo sit, prorsus ignoro; jam de prandii frugalitate monui vos, veniamque poposci.

Crit. De Tructâ libenter vescemur, & sic etiam nos Pythagoreos non esse ostendemus.

Phil. Quid connexionis inter illa?

Crit. Memini me apud Plutarcum legisse, quod *Pythagorei, non lege tantum ab omnibus hominibus, sed naturâ etiam ab omni innoxio injuriam abstinentes minime usi sunt piscibus pro cibo, cum praeter injustitiam, piscatio videatur intemperantiam.... secum trahere.* Quod si viveret Anaximander, & apud nos moraretur, proh quot in nos jaceret jurgia, tanquam qui naturae jura per piscium comestionem violari censeat! Siquidem, ut apud eundem Plutarcum legere est *Anaximander hominum patrem matremque communiter pronuncians piscem, ab ejus esu dehortatus est.* Sed vos me loquentem non otiosi auditis aure apertâ, sed ore pleno; silebo & ego (si potero tamen) & sedens sequar vos.

Arist. Anaximandrum in sua relinquite opinione precor, sinite & in sua Pythagoreos persistere, vosque mecum irridentes utramque, prandete hilares, & manducate impavidi; emarcuerunt enim cum Auctoribus suis opiniones marcidae à

Doctis

Apud Plutar. Simpos. 8. quaest. 8.

Doctis non receptae, & in conviviis irridendae; sed agite quod agendum .

Crit. Obedio statim , habent enim in me locum imperii vel nutus tui .

Phil. Oppiparè sane prandidimus tuâ in nos agente munificentiâ , Aristippe mi dulcissime; brevi nos obsonio te spoponderas recreaturum , sed ut verum ingenuè fatear , nihil poterat , vel quò ad varietatem , uberius , vel quò ad dapum sapiditatem excellentius optari , si ita de re Philosophicâ disceptantes excipis, expedit mihi, expedit & Critophilo novum aliquod datâ operâ excitemus nos inter dissidium , te judice dirimendum .

Arist. Mittamus ista quaeso , ego enim vobis potius referre pro humanissimâ mihi praestitâ societate vestrâ , quàm pro frugali prandio gratias à vobis recipere , debeo . Sed en tibi sigillum stomaci , ne bibere detrectes , vinum etenim generosum est , vulgò Lagrima di Napoli , quod à quodam amico meo ex Ordine S. Francisci de Paulà , in Conventu Sancti Aloysii commorante dudum accepi , optimum gustui, & stomaco saluberrimum senties; si placet tamen, optarem ut manibus ipse tuis , in signum initae stabiliter pacis, ciathum Critophilo porrigeres .

Phil. Lubentissimè porrigam , lubentissimè bibam . Accipe Critophile in ciatho manu meâ porrecto , & observantiae in Aristippum meae , & mei in te obsequii , amorisve pignus . . . . observas Aristippe ? Critophilus nostra non audit , ad nihil attendit , nec dormit tamen ; res sanè mira ! paulò ante tam lepidos innoxiosque miscebat epulis sales,

& tam

& tam citò suprà vel extra se raptus est, atque abstractus! ast vide quod rideas, hinc catulus, inde felis ei abblandientes, videntur eidem dicere, vel ex nostris erga te blanditiis agnosce, nos non meram putamque materiam esse, sed intellectivo, spiritualique proin principio dotari.

Arist. Dimove tantisper subsellium loco, & strepitu excitatus redibit Critophilus ad se.

Crit. Ubi eram? parcite quaeso Domini mei, si vos inurbanè reliqui, profundâ etenim cogitatione detentus, nec ubi, nec quibuscum reperirer, animadvertebam. Caeterum non te deserueram Philadelphe, tecum eram, videbarque mihi audire te exhibentem mihi synopsim eorum, quae pro Animâ Spirituali in Brutis vindicandâ, à te dicta sunt, atque eorum etiam, quae pro eâdem profligandâ allata fuere à me, audiensque quàm facile me vinci sinuerim, de memetipso querebar, ajebamque ad te; oportet Philadelphe quod cum tu certabas mecum, Philadelphus esset Neapoli, & Critophilus Mediolani.

Phil. Accipe, accipe Critophile, modo scis nos esse simul, simul ergo bibamus, atque Aristippo, hilares propinemus.

Arist. Eja Critophile accipe de manu Philadelphi stomachi sigillum, in pacis signum, indeque exhilarato corde, amaenioribus nos invicem colloquutionibus recreemus.

Crit. Non opus Aristippe inire pacem, ubi nulla est scissura pacis; intellectu dissidemus, non affectu; caeterum praesto sum, ac, ut utrique obsequar, utrique lubens propino.

Phil.

Phil. Meritò vetat Aristippus, ne ultra de hucusque discussâ controversiâ loquaris Critophile, si enim ea revolvas, quae solide dixi tum contra formam materialem quae non sit materia, tum de sensationibus, & earum principio; de vi cognoscitivâ, de necessitate admittendi in brutis Animam Spiritualem, de Scripturis & Patribus Animam in Brutis Spiritualem agnoscentibus; de falsitate consectariorum, quae ex datâ in Brutis Animâ Spirituali, inferebas; de Conciliis huic Spiritualitati minime adversantibus, denique de D. Bernardo verum in Brutis esse Spiritum apertissime docente; fatebere vel invitus quod Causa finita est.

Crit. Utique Philadelphe mi, pulchra attulisti, doctè ac subtiliter locutus es, tuamque in re Philosophicâ, inque Scripturarum, Patrum, Conciliorum, primaeque notae Authorum lectione eruditionem ostendisti, dignus sanè ut meliorem defenderes Causam; nihilominus tamen, videor adhuc mihi vidère, unde mea defendam, unde tua dissolvam; & ni quod vereor, ne diuturniori sermone gravis modò sim Aristippo, ab hoc ultimo statim inciperem, clataque afferrem momenta, per quae tu ipse fateri cogaris Divum Bernardum, ne dum non favere, sed apertè Brutorum Spiritualitati contrariari.

Phil. Si placet Aristippo quod nos, nos invicem hisce detineamus, ecce adsum, audire, si quae habes, & respondere paratus.

Arist. Parcite Domini mei, si desideriis vestris hac vice obsisto, siquidem statim à prandio, honestae potius recreationi vacandum, quàm scho-

lasti-

lasticis concertationibus plus aequo laborandum; Si placet Critophilo, nova in sui defensionem adducere, aequitas postulat, ut eum audire non detrectem; ut eum audiam modò, conservandae zelus valetudinis prohibet; Sic itaque & aequitati, & valetudini consulamus, nunc animos hilari conversatione levemus, Crastino manè, ni pigeat tamen, ad me accedite ambo, & optimâ cocolata, quam parari jubebo, primitus refectos, differentes postea, & colluctantes lubenti animo excipiam.

D'un tale spediente
Dovrian ambe le parti esser contente

Crit. Verè te ipsum, Aristippe, aequalem tibi, exhibes semper, pari siquidem animi & magnitudine, & prudentià, apprimè nosti & quae socia sunt detinere, & quae divisa componere; Certiorem te facio tamen, quod si Philadelphus (te quidem Judice) videri nonnullis potuerit de me retulisse triumphum; si patienter feras, rem gradatim à me quoque pro virili tractari (nam praeteritis hisce diebus Philadelpho contrà me agenti, spiritu saltem, non eram praesens) quisque benè morigeratus, non anticipatae sententiae, non praeoccupati judicii, verè Philosophus, verè Catholicus, verè amator veritatis, si non Peripatetici partes (quas nec ego assumpseram) partes saltim meas, quoad hanc controversiam, te quoque, Aristippe, in meliora mutato, certissimè peraget, & quae

Mag. T. 1. pag. 348.

grandiosè & sonanter contrà me objecta sunt, validè dissipata manebunt.

Come Imagin tal' or d'immensa mole
Forman nubi nell' aria, e poco dura
Che il vento la disperde, o solve il Sole:

Phil. En me pariter Aristippe nutibus tuis obsequentem; Ad crastinam diem, nostrae recognitionem causae differamus, sed multa licet & sibi, & nobis promittente Critophilo, novum tamen, quod te annuente instituemus examen, uni deserviet (si juxtà sanioris Philosophiae Canones rem agamus) veritati à me assertae, magis, ac magis confirmandae. Crede mihi Critophile dilectissime, Spiritualis est Anima Brutorum; Desere tandem peripateticas praeventiones, & si rationibus meis acquiescere recusas, acquiesce scripturae palàm dicenti. *Cognovit bos possessorem suum*.

Arist. Nostis amici, quod benè ajebat Scaurus, *non minùs magnam virtutem esse, scire desinere, quàm scire dicere*, parcite itaque pro nunc de iis disserere, quae in crastinum reservavimus; Potius quoniam una jam hora est à meridie, & nimis fervet dies, tenui, si placet, ut & mihi moris est, locum date quieti.

Crit. Si meridiano assuetus es somno, quiesce paulisper Aristippe, quiesce & tu Philadelphe, ego interim viridarii callem, quem è fenestrâ solaribus impervium radiis video, quietus obambulabo.

Phil. Non patiar te solum relinqui Critoph. sed

Torq. Can. 16. n. 69. Isaiae 1.

ſed quoniam pomeridianae quietis nec conſuetudo mihi eſt, neque voluntas, ſequor te.

Ariſt. Ut brevius ſit vobis iter ad umbroſum callem, per Bibliothecae januam exite, en famulus praeſto eſt, ut oſtium adaperiat, interim hilares eſte, poſt horam reviſam vos.

Crit. Aſpice Phil. Craſtini Certaminis arma, Divi nimirum Bernardi opera; videamus cujus editionis ea ſint. Impreſſa ſunt Pariſiis, ſed. *Poſt Horſtium denuò recognita, aucta, & in meliorem digeſta ordinem, nec non novis praefationibus, admonitionibus, notis, & obſervationibus, indicibuſque copioſiſſimis locupletata, & illuſtrata ſecundis curis Domini Johannis Mabillon Presbyteri, & Monachi Benedictini è congregatione S. Mauri*. Pro certo habeo, quod te, quoad mentem D. Bernardi, victum dabis, ſi ex hac ejus operum editione convincèris.

Phil. Utique de perfectione Editionis hujus non ambigo, miror tamen quod de Philoſophicâ controverſiâ acturus, primas des auctoritati, ratione naturali relictâ, cum tamen haec in hiſce ambagibus potior ſit, & ego ipſe ab illâ fuerim exorſus, oſtendens nimirum (*a*) quod ſentiendi facultas comprobat in brutis immateriale aliquod principium, atque inſuper (*b*) quod percipiendi, & cognoſcendi facultas evincit eſſe in Brutis principium immateriale. Ab illis itaque, ſi ritè velis procedere, inchoandum eſt; Aptiorem denique afferre debes opinionem, evincendo ſcilicet (quoniam te Peripateticum & oſtendis, & fateris) admittendam in brutis formam materialem, quae non ſit mate-

 ria,

(a) *Dial. 2. An. Brut. vindic.* (b) *Dial. 3. An Brut. vindic.*

ria, & sic tandem concludere, formam in illis spiritualem, admittendam non esse. *Objurgare enim* ut ajebat S. Gregor. Nazian. *haud magnum est, perfacile quippe, & cujuslibet hominis; consilium autem suum, animique sententiam subrogare, viri est mente praediti* (c).

Crit. Haec tua Philad. & reprehensio, & querimonia

Più di stupor, che di timor m'ingombra. (d)

Meminisse etenim deberes eorum, quae tecum ipso agens candidè confessus sum, videlicet „. Neque „ ego in praesentiarum, quaenam sit Anima in Brutis, quaero, sed potius quid ipsa non sit, ostendo, aptis, ni fallor, momentis evincens eam *Spiritualem* dici, nec cum veritate posse, nec cum „ rectâ fide debere „ (e) Neque pariter deberes tam cito oblitus esse eorum, quae cum mihi Dissertationis meae Relationem à Vincentio Phoca exaratam ennarrares, nuperrimè dixi, nimirum: „ Quidquid ergo contra formam materialem inculcet, non curo, cum non hac incesserim viâ, „ non debeo à cepto deflectere tramite, ut extrà „ viam currentem sequar (f). Neque aptiùs contrà me usurpas illud D. Greg. Nazian. numquid enim in meâ dissertatione objurgavi eos qui Spiritualem Brutorum animam docent, an potius, & ratione & auctoritate doctrinam hanc, falsam osten-

(c) *Orat. 3. de Theol. contr. Eunomian.* (d) *Torq. Tas. p. 2.* (e) *Dissr. contrà An. Spir. Brut. Dial.* 8. (f) *Rel. Vincentii Phocae pag.* 17.

ostendere conatus sum? postremum hoc, non verò primum, palam est me egisse. Ast inquis, appone tu itaque, qui alienam sententiam refellis, appone meliorem: Porro licet mei non foret instituti, aliquam positivè promovere, sed unicè illam, de qua & nunc acturi sumus, confutare, aliquam tamen, obiter saltem, & quasi inferendo, apposui, Animam scilicet Brutorum, per materialem Peripateticorum formam, tutiùs explicandam. Quod si forma haec quid monstro simile dicatur, quid repugnantiam involvens &c., non ego istius assumpsi vindicias; fateor quod quantò clariùs ejus admittendae ostenditur necessitas, tantò difficiliùs ejus explicatur entitas, quare & de Brutorum animâ dici potest, quod olim cecinit Claudianus (g).

Est ignota procul, nostraeque impervia menti,

attamen, ni fallor, species quaedam assecutae veritatis est ipsa etiam detectio falsitatis; Caeterùm sufficiat in rem praesentem effatum Ciceronis adducere, usurpatum à Lactantio Firmiano (*h*). *Nota Ciceronis vox est; utinam tam facilè vera invenire possem, quàm falsa convincere!*

Phil. Tibi utique suasisti facile esse controversam opinionem falsam ostendere, sed non tibi res, ut sperabas, bene cessit, nec enim ea Opinio potest de falsitate convinci, quae si rationes è naturalibus principiis comparatas spectemus, caeteris est probabilior, atque ad explicandas Brutorum operationes accomodatior. Si momenta aut è Sacris Codi-

(g) *Paneg. 2. in Stilic.* (h) *Lib. 2. cap. 3. Divin. Institut*

Codicibus, aut è Patrum testimoniis, aut Conciliorum Doctrinâ derivata perpendamus, vel patrocinium in his obtinet, vel nullum certè incommodum (*i*).

Crit. Egrediamur, si placet, è Bibliothecà, ne fortè elatiori voce molesti simus dormienti Aristippo. Putas nè Philad. vera esse, quae dicis?

Phil. Firmissimè omnia pro certis habeo, à primo ad ultimum omnia fortiter sustinere paratus.

Crit. Ambulemus itaque amicè, & sincerâ cum veritate disceptemus: Enimverò, quomodo poterit naturalis Ratio eam Sententiam probabiliorem suadere, quam Scripturae, quam Patres, quam Concilia non leviter improbant? Erit nè vera & sanior Philosophia, quae & Scripturas & Patres, & Concilia ad sua sensa distrahit? An potius ea sanior erit doctrina, quae ex Scripturis, Patribus, atque Conciliis derivatur? Hoc secundum utique concedes, sed huic me laborare, in concertationis decursu, palmariter ostendam. Quod si Brutorum operationibus explicandis sententia haec tua accomodatior videatur, quid tum? nec explicandi difficultas certa est tessera falsitatis, nec facilitas explicandi argumentum est veritatis. Quid explicatu difficilius, quàm libertas Dei ad extrà? Et tamen nemo tam perversè dessipiet, ut illam neget. Quid intellectu faciliùs, quàm, quaerenti cur Gratiam fidei uni Deus det, deneget alteri, respondere, quia unus per liberum arbitrium se disponit ad illam, alter non? Sanè vel mulierculae mysteria Gratiae nosse valerent, & tamen quis, nisi

(i) *An. Brut. vindic. Dial.* 1.

nisi Semipelagianus, ita quaestionem illam resolvat? clamat enim Apostolus (*k*) *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti?* Clamant Concilia Arausicanum secundum (*l*) *Salubriter confitemur quod in omni opere bono, nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur &c.*& Tridentinum (*m*) *Ipsius Justificationis exordium in adultis à Dei per Jesum Christum gratiâ sumendum esse*. Sed, ut ad philosophica redeam, quid ad Astronomiae phoenomena explicanda, Hypothesi Copernicanâ accomodatius? & tamen quia Scripturae, & terram stare, & solem moveri, nos docent, quas quidem incassum ajebant Copernicani intelligendas esse quò ad captum vulgi, & quò ad sensum, non verò litteraliter, Hypothesis Copernicana olim proscripta est, atque damnata (*n*); Non inde ergo probabilior est sententia tua Philad., quod Brutorum explicandis operationibus appareat accomodatior.

Phil. Non est cur frustrà fatigeris Critophile; quidquid dixeris, inficiari certè non poteris, quod sentiendi facultas comprobat in Brutis immateriale aliquod principium, & quod idem in Brutis esse nequit, Impressionis & Perceptionis principium. Recole quaeso, quae dixi Dialogo II. & ex sensitivà Brutorum facultate penè ad evidentiam ostensum reperies, immaterialem in ipsis Animam esse agnoscendam.

Crit. Quae inibi locutus es, planè recolo, sed ex hoc ipso possem de te amicè conqueri, quod aliquod in ore meo posueris, quod respondere numquam somniavi. Quis porrò Peripateti-corum,

(k) 1.*Ad Corinth.*4. (l) *Can.ult.* (m) *Sess.6. c.5.* (n) *An. 1616. sub Paulo V. & an.* 1633: *sub Urb. VIII.*

corum, ita stupidus, ita plumbeus est, qui nesciat materiam non esse de se sensitivam, quivè diversum impressionis subjectum à perceptionis principio esse, ignoret? Non ego, ut tu autumas, dico quod principium sentiendi in Brutis fortasse diversum non sit à subjecto corporalium impressionum, sed absolutè diversum pronuncio, & quamvis materiale, non tamen materiam esse, concedo; Sensitivam in Brutis Animam ex eorundem operationibus admittendam colligo, non autem ex diverso in Brutis, ac in hominibus sentiendi modo; sanè si unus homo modum sentiendi alterius hominis scrutari non valet, quis nostro similem vel dissimilem in bestiis sentiendi modum asseveret? Aut ex incognitâ quò ad modum sensatione, principium sensationis inferre unquam praesumpsit?

Phil. Sed tamen, ni fallor, ex iis es, qui ibi fieri sustinent sensationes, ubi ipsae fiunt externae objectorum impressiones; Quo semel admisso, vitare non poteris, quod Bruta duplicata videant objecta, cum duplici ea aspiciant oculo, vocemque semper geminatam audiant, cum eam duplici aure excipiant, quod quidem quantò veriùs ex datâ hypothesi consequitur, tantò etiam absurdius est, & ex quotidianâ nostrûm experientiâ, tantò falsius convincitur.

Crit. (o) *Risponderò come da me si suole*
Liberi sensi in semplici parole

quor-

(o) *Tas. cant. 2.*

quorſum iſta objicis mihi Philadelphe? Num lis nobis eſt, de modo, vel loco, ſenſationum in Brutis, an potiùs datâ ſemel in ipſis verâ ſenſatione (quovis tandem, vel modo fiat, vel loco) de ſenſationis principio, pro Spirituali agnoſcendo vel non, tota collimat? Perperam itaque traducis me ad differendum de modo, vel loco ſenſationum; Cum ipſa quidem ſenſatio, non verò vel modus ſentiendi, vel locus, Brutorum Spiritualitati, vel proficiat, vel officiat, vel ſaltem hinc & inde ſuſpicandi anſam praebeat. Nihilominus tamen, ut propoſitae difficultati faciam ſatis: Praemitto unitatem viſionis, ex unitate impreſſionis in Cerebro factae, perperam deſumi; Si enim id foret, numquam geminatum appareret objectum, niſi fieret duplicata impreſſio in Cerebro, quod tamen falſum eſſe, experientia evincit; Nam uno oculo leviter compreſſo, non multiplicatur in Cerebro imago objecti, & tamen geminatum objectum conſpicitur; Verum itaque eſt quod oculus non videt niſi per Animam (quis neget? Quis niſi ſuperfluè probare aggrediatur?) unde ſi iſta vel non adſit, vel ad alia vehementi intenſione diſtrahatur, detentis, vel impeditis ſpiritibus vitalibus, viſio ipſa tolletur, quia videlicet requiſita non adſunt conprincipia viſionis; At verum itidem eſt, quod nec Anima viſionem elicit, niſi per oculum, & in oculo.

Cui quidem doctrinae non refragatur, ſed favet apertè Aug. loco à te citato (*p*) ait enim. *Dolor qui dicitur corporis, magis ad Animam pertinet*;

(p) *S. Aug. lib. de Civit. Dei*. 21.

Animae enim est dolere, attende Philadelphe, *quum in eo loco dolet, ubi laeditur corpus*. Et paulò inferiùs sic prosequitur. *Dolet itaque Anima cum corpore in ejus loco, ubi aliquid contingit ut doleat*. Si itaque ibi dolet Anima ubi corpus laeditur, ibi fit sensatio, ubi fit impressio: Alibi etiam mentem suam explicat, nam loquens de eo, qui videns remum in aquis, eum fractum esse opinatur, scribit (*q*). *Quare oculus rectè, ad hoc enim factus est, ut tantùm videat; sed animus perversè, quia ad contemplandum summam pulcritudinem, mens, non oculus factus est*.

In oculo itaque Visio fit, non tamen in ullo ex triplici humore, Aqueo nimirum, Cristallino, & Vitreo, qui in oculo repperiuntur, in quorum secundo visionem peragi docuit Galenus (*r*) humor, enim cristallinus cum cerebro continuus non est, & lucis quidem refrangendis radiis inservit, non tamen exterioris objecti recipit imaginem, quae percipitur ab Animâ quum videt. Neque fit in Choroide ut placuit Clar. Mariotti, Choroides siquidem non derrivatur à substantiâ cerebri in oculum, sed ab illius piâ matre; Atque insuper, esto opacitate suâ, radiorum impediat trajectionem, haud tamen in ipsâ, objecti formatur imago. Neque demum (ut obsoleta aliorum placita mittam) ibi elicitur visio, ubi fit nervorum opticorum concursus, ut senserant olim Alhazan, & Vittellio, quibus postea Gravesandus, Bartholinus, & Villisius subscripsere; Tum quia in eo nervorum opti-

(q) *Lib. de vera Relig. c.* 33. (r) *De usu partium lib.* 8. *c.* 6.

opticorum concursu, dato quod eorundem opacitas, radios non excluderet, & ibi proinde fierent objectorum omnium imagines; Illae deberent esse inextensae, immò ex permixtione radiorum ab aliis objectis reflexorum, confusa ibi fieret imaginum expressio, & consequenter visio confusa. Tum etiam quia dato quod in omnibus Hominibus nervi optici uniantur, non fiunt tamen unus idemque nervus, neque illorum Cavitates confunduntur; Quod tamen requiri videtur, ut posito quod visio fiat in illis, geminata non videantur objecta. Caeterum Aguilonio teste, inventus est Homo, qui etsi cum viveret, numquam conquestus fuerit se duplicata videre objecta, tamen in ejusdem jam mortui dissecto capite, inventi sunt nervi optici non concurrere.


Visio igitur, quam ab Animâ in oculo fieri contendo, fit in Reticulari membrana; Haec etenim sola, est quaedam nervi optici propago, solaque immediatè conjungitur callosae substantiae cerebri, unde lucidis ad ipsam appulsis radiis, ita potest immutari, sicut opus est ut Anima objectum in oculi fundo depictum intueatur. Ast inquis, si res ita se habet, quemadmodum una est in unoquoque oculo Retina, adeòque duplex in utroque simul accepto, necesse est, ut sicuti in duplici oculo depingitur unius & ejusdem objecti duplex imago, ita & per duplicem unius objecti imaginem, geminatum objectum videatur.

Paucis tamen respondeo, quod si non sufficit è duplici distincto loco objectum aliquod cernere, ut duplicatum videatur; Neque sufficit, vide-

re illud duobus oculis, ut geminatum aspiciatur; Ratio est, quia, ut objectum duplicatum videatur, necesse est quod videatur quasi simul in duobus positum locis; Cum verò hoc non exhibeant species, sive ut mavis, radii luminosi, ab objecto reflexi, & in utramque retinam transmissi, non est cur objectum unum, appareat duplex. Hoc autem, si patienter audire me sustines, sic ostendo: Possunt duo objecta similia ita disponi, ut factâ levi oculi unius detorsione, unicum esse videantur; ergo & potest unum objectum per duplicem licet imaginem, unicum apparere. Antecedens cuilibet innotescere potest ab experientiâ; Consequentia, & paritas, probantur. Ideo primum, quia per oculi unius detorsionem, unum objectum videtur in loco alterius; ergo ideo secundum, quia similia utriusque imaginis puncta in uno & eodem loco apparent; Si enim unitas loci, unificat quae sunt distincta, quantò magis eadem unitas, quae singularia sunt, non pluirificabit? Quod verò similia utriusque imaginis puncta in uno, eodemve loco concurrant, ac videantur, declarabo, figuram hic in pulvere describendo.

En

En tibi objectum unum



Idem scilicet Flos, qua ratione cum suâ unicitate appareat! Imagines A C B. F G H. objecti D N M in *retina* utriusque oculi O. P. depictae, duplicatum non repraesentant nobis objectum; Quia videlicet, similia earundem puncta, A. quidem sinistri oculi, F. verò dextri, in uno & eodem loco M. videntur, & similiter puncta C. G. conspiciuntur in N puncta autem B. H. uniuntur, & videntur in D. Hoc itaque modo, & ab objecto ad oculum transmissis radiis, ac in oculo receptis, qui sicuti ab eodem objecti puncto ad duplicem oculum derivantur, sic & à duplici oculo secundùm eandem directionem conspiciendum exhibent objectum, palam est quod non habet mens nostra, unde punctum A. à puncto F., punctum C. à puncto G., & punctum B. à puncto H. discernere queat,

queat, aut distinguere, debeatque proinde totum objectum in uno, & eodem loco per duplicem licet oculum videns, tanquam unicum concipere; Sicuti tanquam unicum conspicitur ab utroque simul oculo. Porrò, ponamus quod cum Flore hoc esset alius compenetratus, videreturne duplex? non certè; Nec alià de causâ, nisi quia uterque & esset, & videretur in uno eodemque loco; Cum ergo unum idemque objectum, duplici licet simul oculo inspectum, secundùm omnes partes suas in eodem puncto, ab utroque oculo attingatur, attingitur ut in unico existens loco, nullumque fundamentum aut motivum praebet Animae per duplicem oculum videnti, ut duplicatum videat, vel sentiat objectum; Immò quemadmodum licet imago objecti sit in oculo, visio tamen reppresentat objectum esse extrà oculum (neque enim judicamus objectum esse in oculis nostris) ita licet imago objecti sit in duplici oculo, non debet propterea reppresentare objectum ut duplex, etiam si visio in utroque simul oculo fiat.

Ex quo constat etiam, debitâ tamen cum proportione, quare una & eadem vox, duabus licet auribus excepta, minimè duplicata audiatur: Hincque tota evanescit difficultas, quam sicuti non satis ex D. Aug. promovebas, ut dictum est, ita neque tutaris vel Ciceronis auctoritate, vel Lucretii carminibus. Non quidem ex Cic., ait enim (f) loquens de quinque corporis sensibus, quos animi fenestras vocat. *Quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat, & adsit*. Si itaque mens in *sensi-bus*

(f) *Cic. Tus. quaest. lib. 1. c. 20.*

bus non ſentit, niſi adſit in illis (videtur enim ab illis ſejuncta, cum Animal Syncope vel Apoplexiâ correptum, integris etiam oculis & auribus, nec videt, nec audit) Cum adſit ipſa in ſenſibus & ſani, & vigilis Animalis, aut Hominis vehementi cogitatione non abſorpti, ſentiet mens ſive Anima quaecumque ea ſit in ſenſibus ipſis; Unde quilibet cordatus vir de ſe fatetur, & ſummâ cum veritate pronunciat. Oculis video, auribus, audio, odores naribus, ſapores guſtu percipio: Nec quidquam melius conficis ex Lucretio ajente (*1*)

.... *Neque ſeorſum lingua, nec aures*
Abſque Animâ per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe

Aliud enim eſt, *in organis ipſis ſenſationes non fieri ab Animâ*; aliud longè diverſum. *Ab organis corporalibus fieri ſenſationes ſine Animâ*; de primo mecum contendis, & adducis quod probat ſecundum? Dicit Lucretius quod nec lingua, nec auris ſentit ſine Animâ, & quidem veriſſimè dicit, nec de hoc niſi ſtultus ambiget: Tu verò ut oſtendasquod Anima non ſentit in ipſis organis, ubi fiunt impreſſiones; allegás, quod organa non ſentiunt niſi Anima ſit in ipſis, aut quod ſentire non poſſunt ſine Animâ? Fateor, nec rationem conſequentiae, nec vim illius concipio; Quin potiùs, ex iiſdem à te citatis Lucretii verſiculis, habeo undè confodiam ſententiam tuam, meamque ſervem indemnem; Si enim Lucretio teſte, nec lingua nec auris, ſine Animâ ſentire poteſt, ergo ſentire poteſt cum Animâ; Nam effe-

(1) *Lucr. de rer. nat. lib. 3.*

effectus eâ positâ causâ sequi potest, qua praecisè sublatâ prodire ampliùs nequit; sed Augustinum iterum audire ne pigeat (*u*) *Verissimè quippe ac veracissimè scriptum est. Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversus carnem; sed tamen carnem sine Animá concupiscere nihil posse puto, quod omnis doctus & indoctus non dubitet; ac per hoc ipsius concupiscentiæ carnalis causa, non est in Animá solá, sed multò minus est in carne solá; Ex utroque enim fit, ex Animá scilicet, quià sine illa delectatio nulla sentitur; ex carne autem, quia sine illa carnalis delectatio non sentitur; Carnem itaque concupiscentem adversus Spiritum dicit Apostolus carnalem procul dubio delectationem, quam cum carne, & de carne spiritus habet, adversus delectationem, quam solus habet* atque ibidem paulò inferius, ita adhuc prosequitur. *Caro concupiscit, quemadmodum dictum est, Auris audit, & Oculus videt, quis enim nescit, quod Animá potius & per aurem audiat, & per oculum videat?* Constat igitur, & planè constat, quod etsi corporis organa nisi Animata non sentiant, Anima tamen in ipsis organis sentiat: Cumque (si de Tactu sermo sit) per totum corpus diffundatur, in toto Animato corpore ibi fieri sensationes, ubi ab exterioribus objectis factae sunt, aut fiunt, vel gratae, vel molestae impressiones.

21. Unum addo Philadelphe, & posteà libenter audiam te: Cum negas, Animam ibi sentire ubi impressiones fiunt, vel ideò negas, quia ibi Anima non sit sensitiva, vel quia ibi Anima non est? Utrùmque falsum est; ergo falsò negas ibi fieri sensatio-

(u) *Lib. 10. de Gen. ad lit.*

sationes, ubi fiunt impressiones. Probatur minor quò ad primam partem. Anima (de humanâ pro modo loquor) ideò quidem sentit, quia est in corpore, sed non ideò est sensitiva quia est in illo; Hoc ipso enim quod Anima est, Sensitiva pariter est, dans corpori sicut vitam, ita & sensitivitatem, seu constituens animal in esse animalis, & sensitivi. Si itaque per se ipsam est potens sentire, in quacumque corporis parte ipsa sit, factâ in eâ parte ab externis objectis sufficienti impressione, necesse est ut sentiat; Necesse est ut videat per oculum (nisi occludere libeat) objecta extrinsecus posita, & sufficienter ipsi oculo applicata; necesse est ut audiat vocem extrinsecùs sonantem, necesse est ut sentiat puncturam e. g. vepris in pede, calorem ignis in manu; ea siquidem Anima sensitiva toti inexistens corpori, diversis in organis conformato, & sensu tactus undequaque praedito; Sicut à variis diversorum sensuum objectis, diversimodè pati potest, ita eadem & sentire potest, & debet vel invita; Undè celebre illud effatum prodiit. *Non nocet sensus, ubi non est consensus.*

Phil. Stat contrà rationem hanc (parce Critophile) experientia, nam teste Cartesio, Puella quaedam, cui brachium fuerat amputatum, audita est conqueri, quod modò in his, modò in illis digitis dolorem pateretur, cum tamen digitos unà cum brachio amisisset; hoc autem quomodo evenire potuisset, si dolor in solâ mente non sentiretur? Non aliter certè potest id explicari, quàm cum Clar. Le-Grand dicendo quod. *Nervi à cerebro descendentes, eodem modo in musculo afficiebantur,*

 quo

quo affici debuissent, si manus dolore torqueretur?

Crit. Equidem miror quod singulari experientiae confisus, à communi omnium hominum refugias experientiâ, qua cuique certissimè constat, se se dolorem capitis, à pedis vel manus dolore, evidenter discernere; Sed vide insuper quantum elonges te à saniori doctrinâ; ait D. Greg. (x) *Quinque etenim sunt corporis sensus, visus, auditus, gustus, odoratus & tactus*. Quam D. Greg. Doctrinam Ecclesia recipit, & in ore Fidelium ponit; Cum itaque sicut Organa ab organizatione, ita Sensus à sensatione nuncupentur, si Gregorio docente, & Ecclesiâ approbante. *Quinque sunt corporis sensus*, vel è corpus, (animatum tamen) in quinque organis sentit; Nec enim Corporis organa, possent cum proprietate nomen *Sensuum* recipere, si sensatione carerent. Possem in rem hanc & luculenta D. Aug. testimonia producere, inquit enim (y) postquam Discipulus quinque corporis sensus enumeraverat. *Partitio ista vetustissima est, & ferè in concionibus celebrata* & ibid. c. 29. Subdit. *Non enim sentimus ratione, sed aut visu, aut auditu, aut olfactu, aut gustu, aut tactu*, sed ne prolixior sim, ista omitto; Vellem tamen obiter observares, quod quilibet homo ibi dolorem e. g. sentire sibi videtur, ubi facta est impressio, quin hoc ipsum vel à Parentibus, vel à Magistris hauserit, sed naturâ ipsâ docente; Vel itaque natura, docens ibi sensationes verè fieri, ubi fiunt impressiones, verum docet, vel falsum? Si verum docet? Ergo doctrina tua de falsitate convincitur. Si falsum? Ergo natura

tura

(x) *Homil. 9. in Evang.* (y) *Lib. de quantit. an. c. 23.*

tura ipsa per se ipsam fallax est , & condita fallax ab ipso Deo ; Quod quidem , cum impium & iniquum dictu sit , fateri compelleris , naturâ nos minimè fallente , sed verum docente , ibi sensationes fieri , ubi , quaecumque eae sint , impressiones fiunt : Quod si puella illa de digitorum dolore querebatur , hoc per accidens decepta faciebat ; Cum enim illi sopitae , & non sentienti , brachium amputatum fuisset , postea expergefacta , nec sciens se brachio carere , dolorem sentiens in eâ extremitate à qua brachium resectum fuerat , putabat ibi se sentire dolorem , ubi brachium cum manu desinit , scilicet in digitis , eò quia antea dolorem sentiebat in illis : Caeterum animadverte quod contra communem hominum sententiam , singularem , ac penè dormientem adhibes testem .

Quamvis autem haec , intentum tuum à veritate alienum probent; Ut tamen quod secundo loco fuerat propositum , à vero quàm maximè aberrare ostendatur , ne pigeat paulisper adhuc me sustinere : Si Anima ibi non est , ubi fit impressio, in qua ergo residet corporis parte ? In Cerebro, inquis (z); At peto , cur in solo cerebro , & non in toto humano corpore ? Reponis ; Quia entitas Spiritualis, sive Res cogitans , qualis est Anima , extensa esse non potest ; sicut enim in Ideâ corporis apparet extensio, ita in ideâ spiritus, qui corpori ex diametro opponitur , inextensio apparet ac indivisibilitas ; Non posset autem Anima esse simul in toto corpore quin esset eidem coextensa : Credis ne Phil. Deum , qui summus spiritus est , immensum

 esse ,

(z) *An. Brut. vindic. Dial.* 2.

esse, esse ubique, ut Catholica docet fides, per Essentiam, Praesentiam, & Potentiam? Certè credis; Sed ex hoc agnoscis etiam, quod vel ratio tua Divinam immensitatem de medio tollit, vel Divina ipsa immensitas rationem tuam futilem ostendit, & omninò evertit: Noverat planè D. Aug. extensionem corpori convenire, nihilominus tamen, Animam Spiritualem toti inexistere corpori indubitanter asseruit (a) *Creatura quoque Spiritualis, sicut est Anima, est quidem in corporis comparatione simplicior, sine comparatione autem corporis, multiplex est etiam ipsa, non simplex; nam idcò simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in unoquoque corpore, & in toto tota est, & in qualibet ejus parte tota est*, patet igitur, Animam quidem non extendi, vel diffundi extensione vel diffusione molis, & quantitativâ, sed tamen adhuc in totò corpore totam esse.

Dato tamen, & non concesso, non posse Animam toti inesse corpori, quin extendatur quantitativè, non salvabis fieri Sensationes omnes in Cerebro; Nam ob eandem rationem, Anima cerebro inesse non poterit: Porro Anima existens in Cerebro, vel coextenditur ipsi? Vel non? Non potest dici quod ei coextendatur; Nam extensio est conveniens soli corpori, repugnans autem spiritui; Neque potest dici, quod illi non coextendatur; Sicut enim non posset ipsa toti inexistere corpori, quin coextenderetur eidem, ita nec poterit toti inexistere Cerebro, quin toti de facto coextendatur; atqui non potest Anima inesse Cerebro, quin vel

(a) *Lib. 6. de Trinit. c. 8.*

vel sit illi coextensa, vel non coextensa; Ergo si nequit Anima ex unâ parte esse in Cerebro, & non esse illi coextensa; Ex aliâ autem, Animae repugnat extendi, repugnat pariter Animam esse in Cerebro, nec proinde poterunt ab Animâ fieri sensationes in Cerebro: Sed age, nullum sit attentis praecedentibus inconveniens, quod Anima soli Cerebro inexistat; Novo adhuc, nec sanè infirmo, Opinio tua haec momento, refellitur, & ablegaṇda probatur.. Definit Ecclesia, in Concilio Viennensi Oecumenico XV. sub Clemente V. Animam rationalem esse veram humani corporis formam, his verbis. *Porrò doctrinam omnem, seu positionem temerè asserentem, quod substantia Animae rationalis, aut intellectivae, verè & per se humani Corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati Catholicae Fidei inimicam, sacro approbante Concilio, reprobamus, definientes, ut si quisquam deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod Anima rationalis, seu intellectiva, non sit forma corporis humani per se, & essentialiter, tanquam haereticus sit censendus*: Atqui si Anima soli insit Cerebro, non verificatur cum proprietate sermonis, eam esse verè & propriè formam Corporis humani; Ergo Anima non inest Cerebro soli. Probatur minor. Nomine Corporis humani, in proprio loquendi modo, non intelligitur unica pars illius, sed plures saltem, eaeque praecipuae veniunt Corporis partes; Solum enim Cerebrum, solum Caput, solum Cor, propriè dici nequit humanum Corpus, sed ad summum figuratè; Cum itaque Concilium non figuratè loquatur, sed verba in pro-

proprio rigore, & ſensu obvio accipiat, cum ait, Animam rationalem eſſe verè Formam Corporis humani; Si ſolum Cerebrum non eſt propriè Corpus humanum; Si nomine Corporis humani, unica ejus pars, cum proprietate intelligi nequit, manifeſtè conſequitur quod Anima ſoli inexiſtens Cerebro, quod non eſt propriè Corpus humanum, non ſit verè & propriè Forma Corporis humani, contrà expreſſam, & non detorquibilem Concilii Definitionem.

Phil. Verè (*b*)

Ut cui compreſſâ ſtringitur unda manu

Quò magis te premere putaveram, minus me ſtrinxiſſe animadverto; Attamen levioris iſta negotii ſunt; Demus quod Anima non informet ſolum Cerebrum; Demus quod verè ibi Anima ſentiat, ubi ſit impreſſio; Demus quod oppoſitam refellens doctrinam benè cucurreris, grandis adhuc & difficilior tibi reſtat via; Quomodo enim ſenſationes ipſas, imò & Perceptiones & Cognitiones ſalvare in Brutis poteris, quin immaterialem Animam agnoſcas in illis? Hic cadas, hìc procumbas neceſſe eſt.

(*c*) ... *Qual deſtrier paſſa le dubie ſtrade,*
E preſſo al dolce albergo, inceſpa e cade

Quod enim patrocinium ſperare poteris (*d*) à forma

(b) *Greg. Nazian. Carm. de Silen.* (c) *Torqu. Taſ. Cant.* 11. (d) *Dial.* 2. *An. Brut. vindic.*

mâ tuâ substantiali, quam *incredibilissimum esse ens* palmaribus argumentis demonstravit inter caeteros Pater tuus Saguensius? Praeterea, quînam unquam materialis Substantia (cujusmodi certè est decantata adeo in Scholis Peripateticis, substantialis Forma) ex variis impressionibus corporis, dolorem aut gaudium poterit percipere? Si id volueris, fateri compelleris contra S. Augustinum, Corporis dolorem, ab ipso Corpore (quod sanè à corporali sive materiali substantiâ diversum non est) utique esse posse. Illud etiam non negligas, Cartesianum quoque Philosophum ....

Crit. Umbram Asini ne timeas Philadelphe: Admissâ semel materiali Brutorum Animâ in sensu Peripatetico; quid tandem periclitatur? Nisi quod eâ explicatâ (quam longè tamen à veritate ut tu illam explicas) posset censeri vera Cartesii Sententia, de merâ Brutorum mechanicâ constructione; At semel adstructâ in Brutis Animâ Spirituali, eâque corruptibili, & mortali, quis non videat periclitari quàm maximè Catholicam fidem de Animae humanae immortalitate? Cum itaque maximum quidem sit Fidei periculum assertâ Spiritualitate Animae Brutorum; ad summum autem suspicionem veritatis afferre queat Cartesiana de Automatis Sententia, admissâ semel in Brutis Animâ materiali, quid times? Si Cartesio assentimur, periclitatur Philosophica Opinio; Si tibi quoad hoc punctum, nutat Dogma Catholicae Fidei; tu autem de Cartesii quidem invehendâ Sententiâ vereris, nihil verò de periculo ablegandi Catholicum Dogma? Vide, quaeso, sanioris id non esse Philosophiae. *Arist.*

Arist. O pacifici hostes, salvete; hùc adsum & ego, è somno, longiori quàm expetebam, tandem excitatus. Continuâ nondum deambulatione fatigati estis? Qui sont hi sermones, quos confertis ad invicem? Quid est Philadelphe, quod solitam vultus tui hilaritatem non praesefers?

Phil. De sensationum subjecto, huc usque egimus; At ni fortè prolixa disceptationis applicatio aspectum oris in me immutaverit, nulla mihi adest tristiae causa; Et si qua foret, illa te viso evanesceret. Hercle, quàm bona tibi pomeridiana est quies! Vidèris in Senio, vigore reflorescere juventutis.

Crit. Utique Aristippe humanissime, tantus fuit nobis labor, quanta tibi quies, & pro certo habeo, tantùm Philadelpho laborem meum, quantùm video tuam tibi quietem profuisse, ipsi, etenim asserenti Sensationes in solo Cerebro fieri, id falsum esse tum ratione, cum auctoritate puto satis clarè ostendisse.

Arist. Et ego tibi quoad hoc consentio Critophile; Etsi enim deridenda esset opinio, quae organis inanimatis Sensationes adscriberet, semper tamen ea sanior Doctrina mihi visa est, quae (ipsâ nostrum, quotquot sumus, experientiâ teste) asserit Animam videre in oculo, & per oculum, audire in aure, & per aurem, non autem in solo ipsam Cerebro, & residere, & sentire; Et ex hoc ipso in hac magis confirmor, quod non abnuente Philadelpho, te illi hanc ipsam, & ratione, & auctoritate veram ostendisse asserueris: Caeterùm quoniam inclinata est jam dies, ab ulteriori pro

nunc

nunc colluctatione quiescite, precor; Tu potius Critophile futurarum disceptationum ordinem seriemque statue, breviter tamen, ut sciamus quid singulis vicibus, quibus ad me adventare placebit, discutiendum sit.

Crit. Brevissimè, petitis facio satis. Eum ordinem statuo, qui inter disceptandum opportunior occurret.

Phil. Et Aristippo, & mihi id utique placet; Unum displicet non posse me diutiùs vestrâ frui societate, condicta enim hora est, ut inveniar domi; Bene ambo valete, cras revisam vos.

Crit. Audio sonitum quadrigae domum tuam ingredientis, solita est tuorum visitatio consanguineorum, qui se, & te recreaturi advenere, si permittis, recedam & ego; Utinam quem hilarem relinquo vespere, vegetiorem inveniam manè.

Arist. Facite quod vobis lubet Domini mei; Precor vos tamen, ut ad me jejuni veniatis, implere enim gestio, quod promisi; Valete.

SENSATIO, ET COGNITIO BRUTORUM,

Non evincit in ipsis verum *Spirituale* Principium

DIALOGUS SECUNDUS.

Aristippus, *Philadelphus*, *Critophilus*.

Arist.  Ifficilem hodiernâ luce Provinciam suscipis Critophile, quae multum laboris quidem, nihil tamen fructus afferat tibi, praesertim cum in Philadelpho, hostem habeas Modernos inter acutissimum, & ad omnia paratissimum.

Crit. Jam pridem illum noveram; Sed ut cum Cicerone loquar. *Nec tam valdè timendum, nec planè contemnendum puto.*

Phil. Valdè manè surrexisti Aristippe, Aristippum adiisti Critophile; gaudeo ambos optimè valentes reperire; Tardior quidem adveni tempore, sed promptior certamini.

Arist. Acceptus est nobis semper adventus tuus Philadelphe. Afferte Cocolatam; Et ne tempus inutiliter teramus, de mox discutiendâ controversiâ loquamur: Critophile mi degusta sapidè Cocolatam, sed patere ut sensa tibi mea aperiam, nec enim cuiquam mihi adulari mos est: Bruta

cogno-

„ cognoscere (*a*), & subobscuro quodam modo „ circa res benè multas differere, animo ita ad- „ haeret meo, ut illos tantùm id inficiari posse „ judicaverim, qui oculos habent, & non vident: Si autem hoc concedis, quomodo dissolves, ea quae Philadelphus attulit in rem hanc, quibus ego ipse, ex umbrâ in solem prodire, mihi visus sum? Monere vellem te cum illo D. Bernardi (*b*). Ne videlicet solidam Philadelphi doctrinam refellere suscipiens. *Laqueum nectas, quo tenearis*. Sed

(*c*) *Per or non conviene*
Toccar queste corde;
E ver, che non morde
Chi parla per bene.

Phil. Optimum est Aristippi monitum Critophile. An nescis Deum O. M. duo tantùm suprema Substantiarum genera condidisse, quum in principio creavit Coelum & Terram, Substantiam scilicet Spiritalem, & Corporalem? (*d*) Jam verò proprius & formalis conceptus Substantiae, tàm uni, quàm alteri communis esse debet, ac ea propter tàm spiritualis, quàm materialis substantia erit *Ens per se subsistens*, seu ut aliis magis arridet. *Ens in se existens*. Quid igitur illud erit, quod unam ab alterâ substantiam secernet? Erunt sane peculiares illae affectiones, erunt proprietates illae, quae ita uni conveniunt, ut alteri minimè competant: Af-

 fectio-

(a) *Dial.* 3. *An. Brut. vindic.* (b) *D. Bern. ep.* 126.
(c) *Secr. Mag. To.* 1. *Com.* (d) *Dial.* 3. *An. Brut. vindic.*

fectiones porrò, sive proprietates istiusmodi unde comparabimus? Nisi ex seriâ accuratâque illorum effectuum consideratione, quos provenire videmus ab iis Substantiis, quas vel Spirituales, vel materiales cognovimus? *Operatio*, dicebat S. Thomas (e), *cujuslibet rei, est secundum modum Substantiæ ejus*; rerum siquidem quas non cernimus natura, aliunde quàm ex operationibus colligi nequit. Hac de re ita argumentabatur etiam Tullius (f) sicuti ex operibus Deum cognoscimus, quem non videmus, sic ex operibus cognoscere debemus Animum nostrum, quamvis istum non videamus.

Crit. Ne quaeso incassum labores, in probando quod nemo negat, Essentiam, nempe ac differentiam Substantiarum, à nobis colligi ex dissimili, eoque constanti operandi modo; Unum opus est ut advertas; Quod licet duplex tantùm sit generalissimum Substantiarum cùm Spiritualium, tùm materialium genus, utrumque tamen in alia vel genera, vel quasi genera distinguitur, & quidem innegabiliter ex parte Substantiae Spiritualis; Dividitur enim in Substantiam completam quae omnes Angelos, aut Angelorum species sub se continet; Atque etiam in Substantiam aliqualiter incompletam, quae omnes rationales hominum complectitur Animas, sive eae eaqualis sint perfectionis entitativae, sive inaequalis, quod pro modò non disputo; Satis autem probabiliter (ne quid ampliùs dicam ex hac ipsâ quam versamus controversiâ) Substantia pariter materialis, in Substantiam partitur, quae sit materia, & in Substantiam

(e) 1. *p. q.* 50. *art.* 2. (f) *Quaest. Tusc. lib.* 1.

tiam materialem, quae tamen materia non sit, sicut celeberrimi sustinent Peripatetici, quorum ego partes obiter perago, & quamvis mei non foret instituti, ago vindicias: Quam quidem & Spiritalium à se invicem, & à se invicem materialium Substantiarum differentiam, ac partitionem ex diversis earundem proprietatibus, nemo non concludet.

Phil. Non ista diceres, quò ad materialis saltem Substantiae divisionem, si me dicentem paululùm adhuc sustinuisses; Audi itaque & vide quanti ea sint quae attulisti. Quum itaque (g) maturo diligentique mei ipsius examine, quem Substantiam Spiritalem simul, & materialem esse intelligo, clarè distinctèque cognoverim Substantiam illam, quae in me est Spiritalis, cogitandi, percipiendi, & cognoscendi facultate donatam esse, qua illa destituitur, quam in me Corporalem sentio; Et è contrario, Substantiam illam, quae in me est Corporalis, extensam esse cognoverim, divisibilem, solidam &c., non ita alteram, quam in me sentio Spiritalem; Meritò propterea concludendum esse existimo, materiales Substantias à Spiritualibus essentiali specie distingui; quod istae cogitare, percipere possunt, & cognoscere, non illae; Illae verò occupare locum possunt, in partes discindi &c., non istae. Quamobrem quum optimè viderim utrumque Substantiae genus perturbari necessariò, & confundi, semel ac astruamus, illas etiam quae adaequatè materiales sunt, cogitare posse, percipere, & cognoscere, animo id

(g) *An. Brut. vindic. Dial.* 3.

idcircò suadere meo nunquam potui, Brutorum Animam, materialem esse substantiam, eandemque nihilominus percipiendi, cogitandi, & cognoscendi facultate gaudere.

Crit. Littus, crede mihi, littus aras Philadelphe; Vera non est ea Spiritus à Corpore discretio, quae nonnunquam unum confundit cum alio; Indivisibilitas, non soli convenit spiritui; Non soli Corpori extensio genericè saltem accepta; Punctum indivisibile est, nec tamen est Spiritus; Spiritus extendibilis est, nec tamen est Corpus; De puncto nulla est difficultas, neque enim punctum esset, si foret divisibile in partes; De Spiritu itidem res certa est. De Angelico quidem, qui pro libito (ut praecipui Ecclesiae Doctores affirmant) potest se, intrà tamen suae sphaeram activitatis, nunc ad majorem, nunc ad minorem extendere locum, absque omni quantitativâ ac divisibili extensione; atque de Animâ rationali humanâ, ut praecedenter dictum est, quae utpote totum Corpus, quò ad praecipuas saltem partes informans, toti illi coextenditur, quin inde evadat Corpus; Si itaque extensio aliqua non repugnat substantiae Spirituali, quae verus est Spiritus, quantò minus, aut saltem aequè non repugnabit cognitio aliqua substantiae materiali & Corporali, quae non est materia, vel Corpus? Quemadmodum ergo non quaevis extensio, quaecumque ea sit, est proprietas Corporis, nec statim legitima est consecutio. *Hoc est ens extensum; ergo est Corpus*, quia videlicet potest aliqua reperiri extensio, in eo etiam, quod non est Corpus; Ita neque

que quaevis perceptio objecti, quaecumque ea sit, est proprietas Spiritus, nec illicò vera est illatio. *Hoc ens est percipiens, sive cognoscens*; *Ergo est Spiritus*; Vides jam, quod cum Extensio, ut sic, non verè secernat Corpus à Spiritu, nec istum ab illo, neque cognitio, ut sic, Substantiam Spiritualem à Substantiâ materiali distinguit.

Jam verò; in quo distinguetur Substantia Spiritualis ab omni & quacumque Substantiâ materiali? In eo utique praedicato, quod ita Substantiae Spirituali conveniat, ut Substantiae materiali cuicumque neque competat, neque competere possit; Hoc autem quodnam aliud est, nisi naturalis independentia Spiritualis substantiae ab omni materiali substantiâ, tum in essendo, tum in operando, atque in intelligendo? Porrò si Spiritus, ex ipsâ Spiritus notione, habet naturalem ab omni materiali Substantiâ independentiam in suo esse, & operari (sicuti in clarâ & distinctâ ideâ Spiritus, unicuique apparet) jam intelligitur Substantia Spiritualis extrà, & suprà ordinem Substantiae cujuslibet materialis; Cumque nihil sub eâ ratione cum alio confundatur, sub qua est extrà, & suprà ordinem illius; Ex hoc ipso quod dicit naturalem independentiam à Substantiâ materiali, clarissimè, ac verissimè intelligitur distingui ab illâ.

Phil. Non independentia substantiae Spiritualis à materiâ, elucet in clarâ & distinctâ ideâ Spiritus, sed potius hoc: Nimirum quod sit *Res cogitans*. Quod quidem cum nullatenus appareat in ideâ clarâ & distinctâ substantiae corporeae & materialis, optimè distinguit Spiritum ab omni non

ipso,

ipso, proindè inconcussum stat quod ajebam, imperceptibile prorsus esse, quod Brutorum Anima sit cognoscitiva, Cogitandi nempe & Cognoscendi facultate praedita, & nihilominus sit Substantia materialis.

Arist. Egregiè loqueris Philadelphe; Quis enim (*b*) me contrà sanioris Philosophiae Canones disserere non pronunciaret, si proferrem Substantiam adaequatè Spiritualem re ipsâ extendi posse, in partes distrahi, & in varias figuras disponi? Non absimili equidem ratione ineptè philosopharer, si dicerem Substantiam adaequatè materialem Percipere posse, Cogitare re ipsâ, & Cognoscere.

Crit. Si patienter me audire non dedignamini, utrique faciam satis. Et primò quidem definis Spiritum seu creatam Substantiam Spiritualem, per actualem cogitationem? *Res cogitans*? Definitio, quae Spiritus in se inspecti exprimit essentiam, afferri debet per id, quod licet per intellectum, seu ex nostro concipiendi modo, non tamen ab ipsâ re definitâ realiter distinguatur: Qualis autem est Creatura, quae sibi sit suus actus per realem identitatem? Annon Substantia quaevis creata, quantumvis Spiritualis, potentialis tamen est, transire potens de unâ cognitione in aliam, de nolitione ad volitionem, de amore ad odium? Cum ergo Substantia Spiritualis creata, transire queat de actu ad actum, & nihil transire valeat de se ipso ad se ipsum, consequitur planè, quod Substantia Spiritualis non sit suus actus, quodve proindè per facultatem quidem intelligendi, non autem per actua-

(g) *An. Brut. vindic. Dial.* 3.

actualem intellectionem veniat definienda; Quis verò nesciat facultatem intellectivam (utpote in immaterialitate fundatam) in positivâ independentiâ, tùm in essendo, tùm in operando à substantiâ qualibet materiali, consequenter fundari ?

Sed propiùs accedamus ad difficultatem ab Aristippo propositam, in quâ, & tu Philadelphe totus confidis. Dicitis ergo: Substantia Spiritualis non potest dividi in partes, vel in varias disponi figuras; ergo neque potest Substantia materialis habere vim cogitandi, seu cognoscendi: Contrà hunc arguendi modum, qui apud vos pro demonstrativo habetur, non unum habeo, quod respondeam: In primis etenim, materiale utique opponitur Spirituali, divisibile indivisibili, inextensum extenso; Attamen vis cogitandi seu cognoscendi, formaliter & immediatè non opponitur divisibilitati, sicuti formaliter & immediatè ab indivisibilitate non procedit; Unde non videtur ritè deduci ex negatione divisibilitatis,quam habetSubstantia Spiritualis, negatio cognoscitivitatis in Substantiâ materiali, si utraque Substantia accipiatur, prout praecisè contrariatur una alteri, sub ratione divisibilis, & indivisibilis; Quare paritas rectiùs potest institui, hoc modo. Spiritus est indivisibilis; Ergo Corpus est divisibile; Spiritus omnis est intellectivus; Ergo nullum Corpus est intellectivum; Quod quidem verissimum est, sed non ad intentum, nec enim Forma materialis, quam Peripatetici adstruunt, Corpus est, vel materia; Sed de hoc, si permittitis, dicam posteà

Oportet secundo loco advertatis, quod per-

peram confunditis Cogitationem cum quâvis Cognitione, dum Substantiam quamlibet quomodolibet cognoscentem, cogitantem appellatis; Esto enim, si lato modo accipiatur *cogitare*, idem sit ac quomodolibet cognoscere, & juxtà acceptionem hanc, Brutis quoque competere concedatur; Propriè tamen accipitur *cogitatio*, non pro quacumque perceptione objecti, sed pro actu quo Intellectus indagat media, quae valeant fini consequendo deservire, seu quo eò usque veritatem quaerere pergit, quòadusque assequatur; Seu denique est actus, quo mens in se metipsâ agit, independenter etiam ab actuali ullius objecti exteriùs positi impressione, ut cum vel futura perpendimus, vel praeterita recolimus, & dicimur cogitabundi quo sensu ajebat Ezechias. (*k*) *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine Animae meae*; Atque hoc modo accepta Cogitatio, Brutis certè non convenit; Quis enim ita desipiat, ut dicat Bestias quoque, animo secum suo revolvere quae sunt futura, aut secum ipsis ea perpendere, quae sunt praeterita? Quare meritò D. Thomas in Brutis *aestimativam* ponit pro nobiliori eorundem potentiâ; In hominibus autem, loco aestimativae ponit *Cogitativam*, quae est Facultas in confinio partis Sensitivae, & Spiritualis consistens; Et *Cogitationem* admittere recusat in Deo (*l*) inquiens. *Cogitatio enim propriè in Inquisitione veritatis consistit*, *quae in Deo locum non habet*; Quia videlicet illud inquiritur, quod nundum possidetur, Deus autem est ipsa increata aeterna Veritas, ipsique omnia ab aeterno nuda sunt, & [illegible] aperta.

(k) *Isaiae 18.* (l) *In summâ 1.p.Quaest.34. art.1. ad 2.*

aperta. Ex quibus animadvertere licet, quàm altioris sit ordinis Substantia *cogitans* à Substantiâ ut merè & praecisè *cognoscitivâ*, & quàm â veritate aberret, unam pro alterâ promiscuè usurpare.

Sed vos duobus, iisque propinquis propugnaculis confisi, uno nempe: *Substantia materialis nequit esse cognoscitiva*; Altero autem: *Cognitio nequit esse materialis*. Hilares me dicentem excipitis, de jacturâ impavidi, de victoriâ securi; Vigilate jam in excubiis, utrumque enim successivè aggredior; Et ut primum evertam, â vobis peto. Materia potest ne praedita esse vi cognoscitivâ? Minimè gentium, reponitis ambo: Progredior, Bruta cognoscunt ne? Utique, respondetis. *Cognovit enim bos possessorem suum*. Bene est, sed adhuc prosequor. Haec Anima cognoscitiva, quae est in Brutis, est ne potens subsistere sine Corpore? Est ne potens cognoscere sine Corpore? Haud equidem, uno ore clamatis; Attendite jam & videte quàm facilè propugnaculum primum evertatur. Bruta habent Animam cognoscitivam; Anima cognoscitiva non est materia, haec duo conceditis; Ergo Bruta habent Animam, quae non est materia: Procedo. Haec Anima quae non est materia, & est cognoscitiva, est nihilominùs per se & necessariò dependens à materiâ, cùm in essendo, tùm in operando; Ergo haec Anima non est Spiritus; Implicat enim (& probare superfluum est) quod Substantia Ordinis Superioris, qualis est Spiritus, per se, & necessariò dependeat à Substantiâ Ordinis inferioris, qualis est materia, tùm in esse, tùm in operari; Aliundè

haec Anima non est materia, ut dictum est; Ergo haec Anima, cognoscitiva licet, nec est materia, nec est Spiritus; Quid ergo erit Anima haec, nisi Substantia cognoscitiva materialis, nec ideo materialis, quia materiam constitutivè importet, sed quia talis entitas est, quae in suo & esse, & operari, essentialem dicit à materiâ dependentiam?

(m) *Di più direi, ma il ver, di Falso a faccia*

Arist. O Philadelphe, quàm benè existentiam formae materialis in sensu Peripatetico, intulit Critophilus! Doctrinae tuae contrà hanc formam lux, quae mihi & magna, & stabilis videbatur, tàm citò dissipata languescit!

(n) *Qual suol fendendo il liquido sereno*
Stella cader, della gran Madre in seno.

Phil. Fatuo potius splendore nitet (non ut convicier, dico, sed ut tuae Aristippe metaphorae inhaeream) Opinio Peripateticorum, dum eam admittunt formam, cujus entitatem explicare nesciunt, cujus ideam efformare non valent.

Crit. Ajebat Renatus Descartes, cui ni fallor, plurimùm addictus es Philadelphe, ajebat inquam (o) ut revinceret Adversarium opponentem, quod juxtà Cartesii doctrinam, non posset esse vera, idea Substantiae: *Cum negas Substantiae esse veram ideam, id facis quia nempe Substantia non imagi-*

(m) *Tas. Can.* 9. (n) *Tas. Can.* 4. (o) *Medit.* 3. *n.* 4. *in resp. ad.* 5.

imaginatione, sed solo intellectu percipitur; At nihil mihi negotii est cum illis, qui solâ suâ imaginatione, non autem intellectu uti volunt. Iisdem utor contrà te; Cum ais Formam Substantialem materialem & inexplicabilis esse entitatis, & ideae informabilis, ideo id asseris, quia imaginationi nimiùm indulges, ratione relictâ; At nihil Peripateticis negotii est cum illis, qui solâ suâ imaginatione, non autem intellectu uti volunt: Formam materialem, quam admittimus, non imaginatione percipimus, sed admittendam, ratione convincimus. Sanè explica, si vales, quid sit in se ipsâ constitutivè entitas illa, quam *Spiritum* nuncupamus; Imaginare tibi, si potes, Substantiam Spiritualem, ut est in se; Utrique agendo te imparem confiteris; Imaginatio enim, ut optimè ait D. Thomas, non transcendit continuum; Ast bene nè quispiam ex hoc inferret; Ergo entitas Spiritualis est aliquid monstruosum; Ergo nullus admittendus est Spiritus? Certè sequelam utramque negabis; Sed ex hoc ipso intelligis, à te quoque immeritò, materiales formas ex eo respui, quia illas imaginatione percipere, vel percipiendas explicare minimè valeamus.

Phil. Quid Laterem lavas Critophile? Disparitas in promptu est: Licet enim *Spiritus* nostrâ sub imaginatione cadere nequeat, ejus tamen admittendi necessitas, elucet nobis ex Fide, quâ docemur, Deum, Angelos, & Animas rationales veros Spiritus esse; Ast ubinam, vel quando, docuit Fides, admittendas esse materiales Peripateticorum formas? Eâdem itaque ratione, quâ male

arguit,

arguit, qui concluderet nullum dari verum *Spiritum*, benè eum ratiocinari constat, qui formas materiales ablegandas esse deducit.

Crit. Utique quotquot Catholici sumus, veros dari, & existere *Spiritus* confitemur, sed nihilominus disparitas haec, materialis est ad intentum; An non enim Ethnici & Gentiles, lumine Fidei destituti, solâque naturali ratione ducti, agnovere, Deum, Animasque rationales, totum materiae, rerumque materialium ordinem quàm longè excedere, & esse proinde Spirituales Substantias, quanvis Spirituum nequirent imaginatione complecti? Attende jam. Vel Gentiles illi ex effectibus inferentes quarundam existentiam causarum, quae imaginationi erant imperviae, soloque intellectu agnoscibiles, benè arguebant, vel non? Hoc postremum non admittes, illam etenim earum rerum existentiam inferebant, quam ipsa infallibilis Catholica Fides docet nos, Primum ergo concedes; Sed si ita est, sicut bona est illatio, quâ infertur existentia Spirituum, quos imaginatio non pertingit percipiendo, neque sermo explicando; cur non recta similiter erit ea consecutio, quâ formarum materialium, licet sub imaginatione non venientium, existentia probatur?

Arist. Si tàm feliciter secundi tibi cedat, sicut primi eversio repaguli, ex nunc, Critophile, me victum concedo.

Phil. Ne quaeso nectendum ex arenâ funiculum timeas Aristippe, jactes Critophile. Annon solutissimis cachinnis me è Scholis Philosophorum (p) exsibi-

(p) *An. Brut. vindic. Dial.* 3.

exſibilandum diceres, ſi pronunciarem Spirituali Subſtantiae Spiritualem competere figuram, extenſionem, & diviſibilitatem? Ne itaque mihi ſubiraſcaris, quoties deridendas dixerim Peripateticas loquendi formulas, Subſtantiae nimirum materiali materialem competere poſſe perceptionem, & cogitationem: At verò dic quaeſo, quam ob rationem Brutorum cognitionem, materialem vocitas? Si ſatis ego video, non alterâ certè de cauſsâ; materialem dicere potes, niſi aut quia à materiali profluit principio; aut quia ad objecta perſingit materialia dumtaxat; aut quia entitas ipſa materialis eſt.

Si primum aſſumpſeris, principium, ut in Scholis dicitur, appellabis, Subſtantiam videlicet materialem cogitare poſſe, & percipere, quod nullus, niſi planè deſipiat, poterit admittere, aut niſi loqui velit contrà ideas illas claras & diſtinctas, quas poſſidet animus noſter, in quibus dilucidè intelligimus, non minus corporali Subſtantiae cogitionem & perceptionem repugnare, ac repugnare intelligamus Subſtantiae Spirituali formalem extenſionem, diviſibilitatem, & figuram.

Si ſecundum dixeris, jam ſi cognitio efficitur materialis ex materiali, ad quod dirigitur, objecto (q), quotieſcumque humana etiam cognitio materialem aliquam entitatem reſpiciat, materialis dicenda erit, ſicque materialis dicenda erit cognitio illa, quâ cognoſcimus arbores, herbas, lapides, & reliquas creatas ſubſtantias corporales, quo mehercule abſurdiùs nihil, nihil ineptiùs cogitari poteſt. Age, verò, progrediamur. Si Brutorum cogni-

(q) *An. Brut. vindic. Dial.* 3.

cognitio ex objectis, quae respicit materialibus, materialis efficitur; In se ipsâ ergo . . . .

Crit. Quid nisce quisquiliis & Aristippum detines, & me? Cur hostem fingis pro libito, quem pro libito, nullo reluctante, confodias? Quis unquam (non dicam Philosophus) sed rationali Animâ praeditus somniavit, cognitionem, posse materialem evadere entitativè, ex praecisâ ejus tendentiâ ad materiale objectum? Meliora affer, & desine, id, quod nemo dicit, refellere.

Phil. Tertium itaque fortasse tibi arridebit, nimirum Brutorum cognitionem esse materialem, quia entitas ipsa est suaptè naturâ materialis; Ast. *Ante lupus sibi junget ovem* (r) quàm patiar actus quoslibet cognoscendi, totidem esse entitates, à cognoscente facultate sejunctas, quarum natura inanibus occultae qualitatis latebris abscondi debeat; Potissimùm quum verisimilior mihi semper visa fuerit Sententia, nullum esse agentem intellectum, sed quemlibet esse patientem; Quare intellectus, quicumque sit, cognoscendo haud certè effectum profundit à se distinctum, sed novas tantùm objectorum ideas recipit; Veruntamen ista negligamus.

Ut autem tibi magis persuadeatur (s), cognitionem, perceptionemque, quaecumque ea sit, à materiali principio dimanare non posse, scias affirmantem Sententiam, Catholicum Philosophum haud satis decere; Utpotè quae dat ansam Epicureis, & Spinosae asseclis, affirmandi Animum etiam nostrum esse materialem. Fac me (quod Deus aver-

(r) *Ibid.* (s) *Ibid.*

avertat) nefariae hujus sectae Philosophum; aggrediaris itaque naturalibus me rationibus convincere. Animum ego humanum profero, Substantiam esse ab humano Corpore, non dissimilem; Tu contendis dissimilem. Quomodo id probas? Ab effectibus, dicis, dissimilibus. Qui sunt, inquiro effectus isti dissimiles? Cognitionem reponis, & loci occupationem. Admitto: Quid inde tamen consequitur? Hominis ne Animum Substantiam esse ab humano, Corpore diversam, Spiritalem nempe? Haud sanè; Quamvis enim effectus sint prorsus dissimiles, Cognitio, & loci Occupatio, esse nihilominùs possunt unius & ejusdem Substantiae affectiones; quum tam cognitio, quam loci occupatio, ab unâ eâdemque materiali Substantiâ, possit derrivari; eo pacto, quo licet esse Musicum, & esse Philosophum, proprietates sint inter se dissimiles, has nihilominus ab uno eodemque homine repetere possumus. An non sentis Critophile mei hujusce sermonis pondus? Quo modo impium Epicureorum Dogma confutabimus, si concedamus Corporalem etiam Substantiam cogitare posse?

Arist. Tuum jam est Critophile, cunctis suo ordine adhibere responsum: Sed puto facilè dissolves omnia, quae praecipuum robur accipiunt, à Philadelphi continuâ allucinatione, quâ pertinaciter pro eodem sumit Formam materialem, ac Materiam; Quarum tamen unam, cum alterâ (ut probè novi) Peripatetici non confundunt.

Crit. Digna Aristippo animadversio haec est; Ast ut nullâ interpositâ morâ Philadelpho respondeam, à primo quod objecerat, exordior; Simul

evertendo propugnaculum secundum : Ajebas itaque Philadelphe, Substantiam materialem non posse esse cognoscitivam, & cognitionem non posse esse materialem; Recordare jam effati ex D. Th. deprompti (t) quod contrà me urgebas, videlicet. *Operatio cujuslibet rei, est secundùm modum Substantiae ejus*. Nam rerum essentias quas non cernimus, nonnisi ex operationibus colligere valemus; Si itaque Brutorum operationes sint de necessè à materiâ dependentes, jam & principium earundem, esse ab hac essentialiter dependens, meritò colligetur, proinde ipsum constabit, principium, Spirituale non esse; Siquidem in ideâ clarâ & distinctâ Substantiae Spiritualis, non apparet, nec apparere potest essentialis dependentia in esse & operari, ab aliquo, quod inferioris longè sit generis; Enim verò operationes Brutorum, quaecumque eae sint, ab Organo corporeo per se & essentialiter dependere, neque posse sine illo ullatenùs exerceri, certè inficiari non potes; Cum etenim te ipso concedente, ad Spiritualia cognoscenda, neque assurgant Bruta, neque valeant assurgere; Sequitur quod sola materialia individua prout talia, percipere possint; Cumque materialia haec individua, nonnisi sensuum ministerio attingi queant, consequitur planè nullam Brutorum operationem à sensuum ministerio absolutam esse, omnemque proinde addictam esse materiae & dependentem ab illâ: Quo itaque jure, intrà Substantiarum Spiritualium ordinem, illa collocatur Substantia, cujus omnis & quaecumque operatio orga-

(t) 1. *p. Quaest.* 50. *art.* 2.

organo materiali est de se essentialiter alligata? *Operatio cujuslibet rei, est secundùm modum Substantiae ejus*. Quod si ea substantia à quâ Brutorum operationes proficiscuntur, neque ex unâ parte ad Spirituum ordinem attolli, neque ex aliâ ad materiae conditionem deprimi potest, quid superest, nisi ut materialis quidem dicatur & sit, non tamen materia?

Sed audi D. Thomam, & nosce quem irrideas! dum ais exsibilandos è Philosophorum Scholis, Peripateticos materialem admittentes & Formam, & Formae operationem; ait igitur S. Doctor (u) *Super has formas, inveniuntur aliae formae similes superioribus Substantiis non solum in movendo, sed etiam in aliqualiter cognoscendo, & sic sunt potentes in operationes, ad quas nec praedictae organicae qualitates deserviunt, cum operationes hujusmodi non compleantur nisi mediante organo Corporali, sicut sunt Animae Brutorum animalium, sentire enim, & imaginari non complentur calefaciendo, & infrigidando, licet haec sint necessaria ad debitam organi dispositionem. Super autem has omnes formas* quarum ordinem, & naturam, ex diverso earundem operandi modo, suprà immediatè exposuerat. *Invenitur forma similis superioribus Substantiis etiam quantùm ad genus Cognitionis quod est intelligere, & sic est potens in operationem quae completur absque organo Corporali omninò, & haec est Anima intellectiva*.

Docet itaque, & nomine, & re Angelicus Catholicae Ecclesiae Doctor, cujus proin Doctrina, noviorum placitis, sanior abs dubio est, docet in-

 quam,

(u) *Lib. 2. contrà Gent. cap. 68.*

quam, & adesse materiales formas à materiâ distinctas, & Brutorum Animas, etsi aliqualiter cognoscant, non tamen pertingere ad genus cognitionis, quod est intelligere; Si autem Brutorum cognitio, est extrâ genus cognitionis intellectivae est pariter extrâ genus principii intellectivi. *Operatio enim cujuslibet rei est secundùm modum Substantiae ejus*. Cumque principium intellectivum sit principium Spirituale, quod est extrà genus principii intellectivi, est extrâ genus pariter principii Spiritualis, quod autem est extrà genus principii seu Substantiae Spiritualis, quâ sanè ratione dici poterit Substantia Spiritualis? Quid contrà tam expressam tanti Ecclesiae Luminis doctrinam respondere valeas, planè non video, attamen, ut cum D. Hieron. loquar (x) *Puto quod nec ipse audeas adversùm talem & tantum virum tibi Veritatem, illi Mendacium deputare*: Sentis jam Philadelphe, quod novos Philosophos non falsò accusant Aristotelici, cum ajunt, quod ex arbitrio soleant illi ut plurimùm judicare de rebus, Vetustiorum atque Doctissimorum auctoritate neglectâ.

Phil. Falsò contrà nos id objici, statim evinco, duos Sanctissimos Ecclesiae Doctores in re propositâ differentes afferendo. Primus in medium veniat Sanctus Bernardus (y) *Sine omni intellectu nullatenus cogitari potest, & nulla omninò cogitatio sine intellectu*. Proferat se modo Sanctus Thomas (z) *Intelligere, non potest esse actus Corporis, nec alicujus virtutis corporeae, Impossibile est ergo, quod una sit materia.*

(x) *Ep. LXI. ad Pammach.* (y) *Epist. ad Frat. de mon. Dei.* (z) *1. p. q. 50. art. 1.*

teria Corporalium , *& Spiritualium* ; *sed adhuc ulterius impossibile est quod Substantia intellectualis habeat qualemcumque materiam* ; *Operatio enim cujuslibet rei est secundùm modum Substantiae ejus* , *intelligere autem* , *operatio penitus immaterialis* .... *Sic enim intelligit unumquodque* , *in quantùm à materiâ abstrahitur* ; *Unde relinquitur quod Substantia intellectus est omninò immaterialis* . Ergo attentâ etiam vetustiorum auctoritate , cogitatio quaecumque ea sit , soli competit Substantiae immateriali .

Crit. Nulla porro falsa doctrina est , (*a*) meritò reponere possum cum D. Augustino , *quae non aliqua vera intermisceat* . Siquidem verum dicis cum ais, sive cum D.Bernardo, quod nulla est Cogitatio sine intellectu , sive cum D. Thomâ , quod Intelligere est operatio penitùs immaterialis , & quod omninò immaterialis sit quilibet intellectus : Sed dum isthaec adducis, ut ostendas , quod semel ac Brutis competat cognitio aliqua , debeat illis inesse immateriale seu Spirituale principium cognitionis , verum affers , ut falsum probes ; Et sanè non inquit D. Bernardus : Nulla cognitio sine intellectu ; Sed nulla Cogitatio ; Quia videlicet esto omnis Cogitatio , cognitio aliqua sit , non tamen viceversâ omnis , & quaecumque cognitio , Cogitatio est . *Cogitatio enim* , ut anteà dixeram cum D. Thoma . *In Inquisitione veritatis consistit* . Inquisitio autem veritatis , potest alicui repugnans esse , vel ob defectum , vel ob excessum perfectionis ; Ob defectum quidem, ut in Brutis, nemo etenim ita insaniet , ut dicat posse ab illis cognosci

Ens

(a) *Lib. 2. quaest. Evangelic. cap. 40.*

Ens ſub ratione abſtractâ Entis, & veri; Et tu ipſe cum Cicerone fatebere, (*b*) quod *Hominem inter, & Belluam, hoc maximè intereſt, quod haec tantùm, quantùm ſenſu movetur ad id ſolum, quod adeſt, quodque praeſens eſt, ſe accomodat*. Ob exceſſum autem perfectionis, ut in Deo; Cum etenim ea tantùm inquiratur veritas, quae nundùm poſſidetur, Deus autem ex quo Deus, omniſcius eſſentialiter ſit, Inquiſitione veritatis nec indiget, nec poteſt indigere, eâque propter, licet omnia cognoſcat, ac ſapientiſſimè provideat, propriè tamen loquendo, non cogitat; Exinde vides quàm conſultò dixerit D. Bernardus, non quidem *Cognoſcere*, ſed *Cogitare* ſine intellectu eſſe non poſſe; Sed ſimul etiam animadvertes, quàm immeritò ex cognitione qualicumque, Intellectuale ſeu Spirituale principium, arguatur.

Quod ut tibi clariùs innoteſcat, neque in D. Thomae doctrinâ non ſatis peritis, fucum ampliùs facias, animadverte quaeſo quàm clarè S. Doctor diſtinguat à cognitione ut ſic, Intellectionem, cum ait, cognitionem purè ſenſitivam, qualem unicè Brutis concedit, eſſe extrà genus cognitionis intellectivae. *Super autem omnes has formas invenitur forma ſimilis Superioribus Subſtantiis, etiam quantùm ad genus cognitionis, quod eſt intelligere, & ſic eſt potens in operationem, quae complétur abſque organo corporali omninò; & haec eſt Anima intellectiva*. Anima ergo intellectiva, quam paſſim pro immateriali, ſeu Spirituali, accipit D. Thomas, habet operationem, quae eſt intrà genus cogni-
tionis

(b) *Dial. 4. An. Brut. vindic.*

tionis intellectivae; Sed de quo genere loquitur. An latissimè dicto? Non sanè; Nam Genus latissimè acceptum. Qualemcumque cognitionem, seu operationem, saltem sub ratione entis, complectitur. Loquitur ergo de genere ultimo, quod sub se sola immaterialia, seu Spiritualia continet; Cumque ab hoc genere, cognitionis intellectivae cognitionem Brutorum excludat, nisi inter eos annumerari velis, qui oculos habent, & non vident, agnoscis planè, nec principium cognoscitivum Brutorum inter entia immaterialia, seu Spiritualia à D. Thoma reponi, sed inter materialia relinqui.

Arist. D. Thomam fateor Aristotelicis placitis addictissimum, quem propterea Philadelphus? Nec interpretari aggredietur; (*c*) Sed affer, si potes, aliquem alium Sanctum Patrem, cognitionem Brutorum ab intellectione distinguentem.

Crit. Miror sanè Philadelphum, qui se Sanioris Philosophiae sectatorem profitetur, tam facilè, ac tam apertè ab Angelici doctrinâ recedere. Etsi Aristotelicis placitis addictus sit D. Thomas, num caeco modo, num nullâ ductus ratione Aristotelem sequitur. Cur itaque efatum illud ex D. Thomâ Aristotelicis placitis addictissimo afferebat? *Operatio cujuslibet rei, est secundùm modum Substantiae ejus*? Porrò principium hoc vel approbat Philadelphus, vel reprobat? Si reprobat tanquam ab Aristotelis doctrinâ descendens; Non ergo probat per illud, quod probandum assumpserat. Si autem approbat, non pigeat cursim audire legitimè dedu-

(c) *Dial. 6. An. Brut. vindic.*

deductam consecutionem. (*d*) *Sed omnis operatio sensitivae Animae est Conjuncti*; Ergo *cum Animae Brutorum animalium per se non operentur, non sunt subsistentes*; Essent autem subsistentes si forent Spirituales; Ergo Animae Brutorum non sunt Spirituales.

Presto jam tibi sum Aristippe, audi S. Clementem Alexandrinum (*e*) cognitionem Brutorum, à rationalium cognitione & intellectione clarissimè secernentem. *Dicitur duplex cognitio*, ita efatur S. P., *una quidem communiter, quae est in omnibus hominibus, similiter intelligentia, & apprehaensio, quae ex cognitione singulorum quae subjecta sunt, publicè elucet, quam non solum, habent potestates quae sunt ratione praeditae, sed etiam quae eâ carent; quam ego nunquam nominaverim cognitionem ... cum sit à naturâ ingeneratum, ut cognoscat per sensus*. Quae est ipsissima ratio, quam saepissimè D. Thomas inculcat, non minus verè, quàm subtiliter ostendens, quod cum omnis Brutorum perceptio, semper accidat cum aliquâ organi immutatione, operari autem sequatur ad esse, Principium pariter operationum in Brutis, sit ex naturâ suâ dependens ab organo in esse, ac consequenter nec per se subsistens, nec Spirituale. Tum sic prosequitur S. Clemens. *Quae autem excellenter, & praecipuè nominatur cognitio, ex mente & ratione formam accipit, & caracterem per quem solae potestates rationales participes fiunt cognitionis*. Cum itaque audias ex S. Clemente cognitionem quae irrationalibus convenit, nec nomen Cognitionis mereri, intelligis Ari-

(d) *S. Th. 1. p. q. 75. art. 3.* (e) *Clem. Alexan. lib. 6. Strom.*

Aristippe quàm immeritò Philadelphus Cognitionem Quamcumque, & Quaecumque ea sit, cum Cogitatione, vel Intellectione confundat, & à principio Spirituali, eam proficisci concludat ...

Phil. Id à me jure deduci, quisque annuet, qui legerit D. Thomam, quem quidem iterùm adduco, ne ampliùs cavillandi occasionem captes. Inquit ergo S. Doctor (*f*). *Patet quod immaterialitas alicujus rei, est ratio quod sit cognoscitiva, & secundùm modum immaterialitatis est modus cognitionis*: tùm ita concludit. *Unde cum Deus sit in summo gradu immaterialitatis, sequitur quod ipse sit in summo cognitionis*. Porrò si cognitio etiam materiali Substantiae competeret, quînam Angelici ratiocinium concluderet? (*g*) Quamobrem Eruditissimus Comes Laurentius Magalotti, ingenuè confitetur, captu sibi ita arduum videri, Materiem cognoscere posse & Cogitare, ut faciliùs admitteret Bestias, puras esse machinas, quàm Substantias materiales cogitantes.

Crit. Ne graveris Philadelphe si tantisper tibi respondere subsideo, nec enim omnia compleveram, quae Aristippo dicturus eram.

Quin etiam ut tibi clarius pateat D. Clementem, nec Brutorum operationes, nec eorundem Animas, sensisse Spirituales, audi quid Clar. Nicolaus Le Novry, post relatam quamdam S. Clementis doctrinam, inquiat (*h*) *Nulli profectò colligere licet Clementem existimasse omnes omnium animantium Animas, minimè esse corporeas, sed Spiritualis naturae, & Substantiae*; Colligere itaque è

(f) 1. P. Q. 14. art. 1. (g) *Dial.* 3. *An. Brut. vindic.*
(h) *Dissert.* 2. *de omnibus Clemen. Alexandr. Oper.*

contrario licebit Clementem existimasse irrationalium Brutorum Animas Corporeas esse, ac materiales.

Venio modo ad te Philadelphe; Et ut à Sensu Comitis Magalotti exordiar, consentio utique quod Mens rationalis, duo haec inter extrema constituta, ut vel asserat materiam esse sensitivam, vel Bruta esse pura automata, minùs repugnantiae inveniet in hoc postremo, quàm in primo; Quapropter & ego, ingenio, atque doctrinâ praestantissimo Comiti incunctanter subscribo; Sed mirari non desinam te, qui ut confessus es (*i*) Aristotelicis primùm Doctoribus instituendum concessisti, Aristotelicis tam facilè imponere Formam materialem ab ipsis assertam, esse materiam, cum tamen, non dicam in Scholâ Aristotelis Doctor, sed nec discipulus inveniatur, qui nesciat Formam hanc à totâ materiâ, ac quavis materiae combinatione distinctam doceri; Quod si hoc ipsum Peripateticorum placitum tibi non arridet, non erat inde pro falso assumendum, sed pro tali demonstrandum, quod cum hucusque non praestiteris, fas mihi est illud pro vero reputare; Interim non te pigeat à Tertulliano doceri, quod videlicet (*k*) *Summa est delicti, nolentium agnoscere, quae ignorare non possunt*.

Opus modo est, ad ea quae ex D. Thomâ attulisti, regrediar. In primis itaque fateor me tanti non esse, ut cognoscam haec afferri à te potuisse, nec ampliùs cavillandi occasionem ex D. Thomâ captarem; Perinde ac si Angelici Doctoris,

(i) *Praefat. An. Brut. vindic.* (k) *In Apolog. cap.* 17.

ris, quô ad hoc punctum auctoritates tàm obscurae essent, atque ambiguae, ut nonnisi divinando, ac cavillando, mihi militare ostendi, queant; Ast quomodo tam citò oblivisci eorum potuisti, quae ex doctrinâ Angelici à me allata fuere praesertim Dialogo sextò per totum (1) ubi luculentissimis, atque expressissimis D. Thomae testimoniis, quaeque nullam in oppositum patiuntur explicationem, palmaribus argumentis probavi Spiritualem in Brutis Animam, nec cum levi veritatis umbrâ adstrui posse?

Num itaque haec ex Angelico protulisti, ut ipsum de doctrinae inchoerentiâ notares? Id quidem de te, quem modestiâ simul ac eruditione mirificè ornatum agnosco, suspicari prohibeor; Sed si hoc verè intenderis; Quamvis D. Thomas nec notari timeat, nec indigeat defendi; Ne tamen quispiam tale quid, de tanto Doctore vel levissimè suspicetur, ostendo paucis, quàm concludens sit Angelici ratiocinium, etsi Anima Brutorum cognoscitiva quidem sit, & tamen materialis; Et quantùm ineptum sit junioribus, vel aliis quibuscumque venditare, vel quod D. Thomas senserit Animas in Brutis Spirituales esse, vel quod negato semel eas esse Spirituales, non concludat Angelici Doctoris allata ratio.

Igitur animadvertas oportet *Immaterialitatem* multimodè sumi posse, non quidem grossè usurpando, sed subtiliter inspiciendo illam, ut solemne est D. Thomae. Dicitur *immateriale*, quod omni caret Potentialitate; Dicitur *immateriale* ali-

 quid,

(1) *Dissert. contrà An. Spirit. Brut.*

quid, quod licet non excludat potentialitatem, nullam sui receptibilitatem patitur in materiâ physicâ; Dicitur *immateriale*, quod à materiâ physicâ est per se independens, tùm quòad esse, tùm quòad operari, quamvis recipiatur in illâ; Denique dicitur *immateriale*, quod excedit materiam, & suprà conditionem illius, aliqualiter elevatur: Prima immaterialitas soli Deo convenit; Secunda Angelis; Tertia animabus rationalibus; Immaterialitas autem postremo in sensu accepta, multifàriam dividitur juxtà diversos Formarum, suprà materiam elevationis gradus.

Quos quidem egregiè, more suo, recenset Angelicus Doctor, (*m*) sed ne & tuâ, & Aristippi abutar patientiâ, ad tres tantùm restringam, loquens tamen juxtà expressissimam Angelici doctrinam: Formae Plantarum tantisper emergunt è materiâ, nam habent aliquam operationem, cui materia secundùm se impar est; operationem nimirùm se nutriendi, & vegetandi: Animae Brutorum Animalium, adhuc magis emergunt è materiâ, quia sunt aliqualiter cognoscitivae; Tandem Anima rationalis, omninò emergit è materiâ, cum habeat operationem intellectivam quae non fit per organum corporale: Cum ergo forma, cujus operatio excedit conditionem materiae, & ipsa secundùm dignitatem sui esse, materiam ipsam superexcedat, (operari enim sequitur ad esse, & ex operatione Formarum, earum Naturas cognoscimus) ritè cum D. Thomâ concluditur, quod cum Forma sive Plantae, sive Bruti, habeat quidem opera-

(m) 2. *Contrà Gent. c.* 68.

operationem suprà materiam aliqualiter elevatam, sed tamen utraque in operando per se, & essentialiter dependentiam habeat à materiâ, utraque sit entitativè materialis, sumptâ materialitate pro dependentiâ essentiali è materiâ, licet una, sit prae alterâ immaterialior, acceptâ immaterialitate pro majori, vel minori elevatione formae suprà materiam: E' contrà verò, cum Anima intellectiva habeat operationem, non aliqualiter, sed omninò, materiam omnem longè excedentem, & essentialiter independentem ab ipsâ, consequitur, hanc ita suprà materiam assurgere, ut omninò Spiritualis sit, proindeque immeritò prorsus *Immateriale* quodcumque, vel quomodocumque illud fuerit, promiscuè pro *Spirituali* usurpari.

Concludit ergo D. Thomae ratiocinium, quo infert ex gradu Immaterialitatis, gradum Cognitionis; Nam Anima Bruti, cum sit immaterialior Formâ Plantae, quae vix emergit è materiâ, est aliqualiter cognoscitiva; Anima hominis, cum prorsus è materiâ emergat, atque suprà ordinem illius, omninò elevetur, est ita cognoscitiva, ut sit verè & propriè intellectiva; Angelus, utpotè forma simplex, neque natus informare materiam, Animâ rationali immaterialior est, & perfectiori consequenter modo cognoscitivus, atque intellectivus; Deus denique à toto materiae ordine, infinito distans intervallo, infinitè immaterialior est quolibet Angelo, vel existente, vel possibili, Immaterialitate acceptâ pro elevatione suprà materiam, & rursus immaterialior est quolibet ente vel creato, vel creabili acceptâ immaterialitate pro

exclu-

exclusione potentialitatis cujuslibet; Proindè cum Deus sit in summo immaterialitatis gradu, rectè sequitur, ipsum pariter esse in summo cognitionis gradu: Neque huic gradationi, quidquam officit, quod Anima Bruti, materialis dicatur; Quamvis enim materialis sit entitativè, ipsa tamen entitas est aliqualiter immaterialis elevativè, in quantùm videlicet non est penitùs immersa materiae, & habet operationem à materiâ quidem essentialiter dependentem, sed suprà materiam aliqualiter elevatam; hinc etiam inclusâ in praefatâ gradatione, Animâ Bruti ut ut materiali, verum adhuc est dicere. *Secundùm modum immaterialitatis, est modus cognitionis*. Vel è contrà. *Secundùm modum cognitionis, est modus immaterialitatis*. Quare cum cognitio quaecumque Brutorum, sit per se dependens à Sensibus (tantùm enim Bruta cognoscunt, quantùm sensu moventur) rectè infertur, & principium cognitionis in ipsis, dependere à materiâ in essendo, & esse materiale secundùm entitatem, licet nonnihil dicat immaterialitatis secundùm aliqualem è materiâ elevationem; Atque ab infimo immaterialitatis modo, ascendendo ad summum, ad summum itidem cognoscitivitatis modum, seu ad ens summè cognoscitivum, gradatim, sed verè concludendum perveniri.

Arist. Doctrinae tuae tam clarè propositae, consentio & ego Critophile

Per-

. . . Perchè al ver si deve,
Non contrastar, ma dar perfetta fede (*n*)

Nihilominùs tamen duo adhuc enodanda supersunt; Videlicet quâ ratione Cognitio Brutorum, dici queat materialis, & à facultate cognoscente distincta, id enim Philadelpho paradoxum videtur; Insuper veretur Phil. ne si forma materialis, cognoscitiva dicatur, nullum amplius argumentum supersit impium Epicuri dogma de Animae humanae mortalitate, convellendi; Siquidem ut probè nosti

Contra 'l buon Sire, che l'umana speme
Alzò, ponendo l'Anima immortale,
S'armò Epicuro, onde sua fama geme. (*o*)

Ab hoc itaque scrupulo, Philadelphum expedias necesse est; Quoniam tamen meridiana jam imminet hora, ulterioribus parcite dissidiis ambo; A' pomeridiana quiete, vos iterum (si lubet) auditurus excipiam.

PERI-

(n) *Petrar. Trion. del Tem.* (o) *Petrar. Trion. della Fama*.

PERIPATETICORUM DOCTRINA

Quòad diſtinctionem Actuum ab eorundem Principio, ſanior oſtenditur, contrà Recentiorum placita.

DIALOGUS TERTIUS.

Critophilus, Ariſtippus, & Philadelphus.

Crit.  Uàm benè valentem reviſo te Ariſtippe! Ipſa Cordis dulcedo, ori tuo transfuſa, inſediſſe videtur.

Ariſt. Videt in me humanitas tuà, quod egomet in me ipſo, cupere quidem valeo, at non invenire; Ingenuè fatebor tamen, tantùm me veſtris è concertationibus animo voluptatem haurire, ut vel in ipſum Corpus redundet. Utinam citiùs adveniret Philadelphus, ut diſceptatione maturiùs inceptâ, fieret oblectatio mea productior! Aſt videor mihi à longè quemdam intueri, feſtino greſſu nobis occurrentem; Ipſe ne eſt? Aſpice Critophile, praeſtantiori enim polles obtutu.

Crit. Utique ipſe eſt; Subridens adventat, ipſumque ne dùm famulus, ſed ni fallor, & Bajulus magnâ onuſtus corbe ſubſequitur; Munus aliquod, tibi Ariſtippe compararit, oportet.

Phil.

Phil. Parcite quaeso si officiis meis desum, sinite me tantis per risui indulgere, quem cohibere non possum.

Arist. Exhilaras nos quoque Phil., sed quae tibi tantae noviter accidit letitiae causa? Quid sibi vult Corbis ista, quam cerno?

Phil. Ad nundinas perrexi (vix loqui sinor) ut munus aliquod, & tibi & Critophilo compararem; reali tamen verâque pecuniâ domi relictâ, Corbem hanc peripateticis qualitatibus plenam, Ubicationibus videlicet, Relationibus, aliisque hujusmodi, jussi ad plateam deferri, ut cum illis commutarem Perdices, Lepores, volucres, ac pisces pretiosiores; Ast mercatores licet rudes, nec illas recipere, nec quidquam cum illis commutare voluerunt; immò, unus ex ipsis, prae reliquis promptior, respondit; Realia cum realibus commutantur; Tuae istae qualitates quibus plenam ais esse Corbem, in solis imaginariis Regionibus cursum habent, ad illas perge, & imaginarias res, cum mercibus quibuslibet itidem imaginariis, commutabis; Ego pro realibus, Phantastica non recipio.

Arist. Dimitte quaeso Bajulum cum Corbe suâ: Lepidam utique fecisti rem Phil. ast nè inde putes ex eo amandandas Peripateticorum qualitates, quod nequiveris ipsas cum mercibus commutare; Quid si Cistam implesses modificationibus tuis? Numquid vel jota unum è mercatoribus retulisses? Modificationes ne propterea ablegandas concedes? Non omne quod reale est, vel debet, vel potest à mercatore in pretium, recipi; Neque

ex quo aliquid à mercatore respuatur, tanquàm non congruum sibi, inferri exinde potest, id quod respuitur, quid merè fictitium esse, non verò reale; Quis enim sive qualitatum, sive modificationum, Judices Mercatores constituit, & non potiùs Philosophos?

Crit. Responsum quod meditabar, ingenii tui acumine praevenisti Aristippe; Ast irrisionibus hisce neglectis, ad ea quae discutienda superesse dixeras, abs morâ, si libet accedamus; Veretur itaque Philadelphus, ne nullus sit Epicureorum erroris confutandi, locus, admissâ semel in Brutis Animâ materiali, quia nimirum aequo jure Anima etiam humana, materialis dici poterit, adeòque naturâ suâ corruptibilis, & mortalis; Attamen, ex eorum se esse numero ostendit, qui illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Enim verò unde nam impiae hujusce consecutionis, vel solidum fundamentum, vel etiam levis umbra? Nunquid ex quo Bruta non meras machinas, sed verè viventia dicamus, suspicari licebit saxa pariter & metalla animata ac viventia esse? Numquid admissâ in Brutis Animâ Spirituali, timebit Phil. nè quis inferat Spiritualem Animam etiam ârboribus (quas sexcentis Scripturae locis, vivere docemur) esse concedendam? Unde ergo importunus ille timor de humanae Animae materialitate, materiali Animâ semel Brutis attributâ? Cur pari modo non timet, nè cum Deus sit Spiritus, si etiam Anima hominis est verus Spiritus, dicenda pariter sit Deus. Repones, falsas esse illationes istas, eò quia per effectus cognoscimus caussas

cum-

cumque nullum in lapidibus aut metallis, vitae vegetativae, nullumque in arboribus vestigium, sensitivae reperiamus, hinc neque in illis Animam, neque in istis adesse Spiritum, meritò concludimus; Repones, quod Deus non praecisè quia Spiritus, Deus est, sed quia à se, quia illimitatus, quia infinitus undequaque, quorum attributorum, cum nullum conveniat alteri cuicumque Spiritui, non sequitur quod cum Anima humana sit Spiritus, sit ipsa etiam Deus. Sed responsio haeç ipsa, affectati timoris tui nebulas, disjicere debet. Siquidem cui hominum ratione utentium notum non est, toto Coelo distare hominis intellectivitatem à cujusvis alterius animantis cognoscitivitate? Cognoscit Homo, cognoscit Brutum; Sed Homo ita rem exteriùs positam cognoscit, ut non in iis quae apparent, ejus cognitio sistatur, sed ad ea quae intimè latent, se extendat. Brutum verò, ita objecta percipit, ut in eorundem vel quantitate, vel figurâ, vel colore, aut sapore, aut odore, tota cognitio terminetur. Cognoscit Homo, & objecta ut sibi convenientia aut disconvenientia, formaliter judicat; Cognoscit Brutum, sed merè apprehensivè, non judicativè; quae bona sibi, amplectitur, quae mala, refugit, naturâ quidem duce, non ratione; Unde omnia quae ejusdem speciei sunt, eadem appetunt, eademve aversantur objecta, sic quaelibet Ovis, sali inhiat, Lupum fugit: Cognoscit homo, dependenter à sensibus, praesuppositivè & per accidens, sed à singulari dependenter à sensibus cognito, universales notiones abstrahit, & abstractas contempla-

 tur,

tur, cum omnimodâ independentiâ à sensuum ministerio; Cognoscit Brutum, essentialiter tamen, & semper dependenter ab organo corporeo, neque suprà sensibilia, ullatenùs valet assurgere; Cognoscit Homo, & experimentaliter sentit se liberum esse, unde in iisdem circumstantiis positus, quae probaverat, improbat, & quae priùs recusarat, eligit. Cognoscit Brutum, sed ipsâ nos experientiâ docente, libertate non gaudet, quare in similibus circumstantiis, quantùm est ex parte suâ, similia constanter appetit, atque uniformiter operatur.

Haec igitur cum ita sint, quis de convalidando Epicuri errore scrupulus, quae tanta formido? Ab effectibus cognoscimus caussas, ab operationibus principia; *Operatio enim cujuslibet rei, est secundùm modum Substantiae ejus*; Quare Anima utique Brutorum, cujus omnis operatio est Conjuncti, & dependens essentialiter à materiâ, materialis cum veritate concluditur; Ast cum viceversâ nonnisi per accidens, & ratione Phantasmatis dependeat à Sensibus in intelligendo Anima hominis, immò & habeat operationem aliquam omninò à materiâ, & à sensibus independentem, omninò immaterialis & Spiritualis meritò concedenda est, operari enim sequitur ad esse: Arguat jam Epicurus, cum eo, quod adeò vereris, argumento. Bruta cognoscunt, & tamen habent Animam materialem, & corruptibilem; Ergo etiamsi Homo sit intellectivus, Anima tamen ejus esse poterit materialis, & naturaliter corruptibilis, atque mortalis; Annon tanquam araneae tela statim ex-

sufflatur

sufflatur assignatâ disparitate ex diverso utriusque Animae cognoscendi modo ? Bruta cognoscunt cognitione purè sensitivâ, per se & essentialiter dependente à sensibus, adeòque non mirum si & talis cognitionis principium, Bruti videlicet Anima, à materiâ in essendo dependeat, sicut per se pendet ab illâ in operando, sitque materialis; Ast verò homo ita intelligit, ut tantùm per accidens Anima ejus pendeat à sensuum adjutorio, quin etiam plura intelligere habeat & speculari, intellectione ab organo Corporeo penitùs absolutâ; Ex quo clarè sequitur quod, cum Anima hominis essentialem non dicat indigentiam materiae vel dependentiam ab illâ, suprà totum materiae ordinem elevata sit, nec proinde materialis, sed verè Spiritualis, non corruptibilis, sed immortalis, & eâ quidem naturali immortalitate, quam etsi Epicurus neget, multiplex tamen, & efficax naturalis ratio, apud hominem non pervicacem, apertè suadeat, & satis evincat.

Unum tamen est quod advertas, Epicurum Animas omnes, ex atomis compactas censuisse, & ex quo atomi sint ab invicem dissolubiles, easdem Animas quascumque, morti seu corruptioni docuisse subjectas; Cum itaque nullus unquam ita desipuerit Peripateticus, ut sentiat materiam secundùm se vel sentire, vel cognoscere posse; Et dum Animam in Brutis materialem statuit, non illam in sensu Epicuri asserit materialem, quasi vera materia sit, sed alio in sensu longè diverso, & superiùs explicato; Quomodo poterit, vel apparenti argumento (datâ materiali Animâ in Brutis in sen-

su

fu peripatetico) inferre compactam ex atomis Animam hominis, cum apud Peripateticos, neque talibus constituta sit Anima Bruti ? Ne timeas igitur Philadelphe mi, neque iis imposterùm de Peripateticorum Sententiâ scrupulosus.

Arist. Quoniam numquam mihi mos fuit adulari cuiquam, candidè fas est dicam quod sentio. Philadelphe mi, hac etiam vice deceptus es, timuisti enim ne Sententia Critophili, seu Peripateticorum, ansam praeberet Epicureis fortiùs tutandi Animam hominis corruptibilem, atque mortalem (à quo quidem timore, te satis superque expediit Critophilus) attamen dum sollicitum te ostendis in domo alienâ, nescire videris, quid peragatur in tuâ, cum potiori jure non metuas ne se Epicurus cum suis, in suo magis ac magis, ex opinione tuâ, confirmentur errore: Demus semel Brutorum Animam Spiritualem esse, eamque mortalem (ut concedere non vereris) quod jam superesit argumentum, ab intrinseco saltem desumptum ad Epicureos revincendos, stultissimè licet, pertinaciter tamen asserentes Animam humanam esse mortalem ? Num ex Capite Spiritualitatis Animae humanae, depromes responsum ? Ast facilè id eludent Epicurei ita arguendo. Anima Brutorum est Spiritualis, & tamen mortalis est, te ipso concedente; Ergo mortalis est, Spiritualis licet, Anima hominis: Num ex Animae sive Bruti, sive hominis specificâ diversitate ? Sed praeterquamquod nulla est responsio haec in semetipsâ, nam Anima hominis specie differt ab Angelo, & tamen tàm illa, quàm iste immortalis est; Infimus

Ange-

Angelus quàm maximè diſtat à ſpecie Angeli ſupremi , & tamen tàm infimus , quàm Supremus eâdem gaudent naturali immortalitate ; reſpondebit Epicurus corruptibilitatem vel incorruptibilitatem non eſſe praedicata ſpecifica , ſeu ad ultimam rerum differentiam pertinentia , ſed generica , nec quidem propria generis ſupremi , ſed infimi , ſub quo genere infimo Entis videlicet Spiritualis , ſi aequè clauditur Anima Bruti , ac illa hominis , cum utraque conveniat in ratione veri Spiritus , utraque debet vel corruptibilitati ſubeſſe , vel immortalitate gaudere ; Quare ſi Anima humana immortalis aſſeratur , immortalis eſſe debet & illa Bruti ; Vel ſi Anima Bruti , Spiritualis licet , mortalis tamen eſſe conceditur , mortalis aſſerenda pariter eſt Anima Hominis ; Hoc utique , hoc verearis oportet , Epicuro enim ex tuâ de Brutorum Animâ opinione argüenti,ad Animae humanae naturalem interitum inferendum , quod ſolidè reſpondeas , non habes , nec veram diſparitatem adferre vales .

Crit. Aptiùs in rem hanc diſſerere non poteras Ariſtippe , & hoc ipſum argumentum tuum , novum in progreſſu concertationum noſtrarum , accipiet robur , quum ſcilicet de naturali, Subſtantiae Spiritualis immortalitate, fuſiùs tractandi ſe ſe exhibebit occaſio . Intereà tamen opus eſt ad aliam difficultatem enodandam progrediar , ſuperiùs à Philadelpho propoſitam , in eo videlicet ſitam quod cognitio Brutorum in nullo ſenſu , materialis dici queat ; & quod actus quicumque, nequeat eſſe Entitas ab entitate principii ſui realiter diſtincta ;

Quò

Quò ad primam paucis me expedio, intrepidè re- ponens cognitionem Brutorum, materialem esse, eò quia è materiali principio proficiscitur; neque verò responsio haec petitoria principii est, ut ajebat Phil. (*a*) tum quià Anima Brutorum materialis; satis probata est nuperrimâ disceptatione; tum insuper quia, ea Anima non Spiritualis, sed materialis ritè probatur, quae ex naturâ suâ ad nihil Spirituale assurgere potest, solisque materialibus entibus cognoscendis est apta; atqui Philadelpho concedente (*b*) Animae Brutorum nunquam, immutatâ earum essentiâ, seu naturâ, in altiorem assurgere cognitionem possunt, & D. Bernardo docente (*c*) *nam pecus quidem, si se ratione non regat, excusationem habet à naturâ, a qua hoc ei penitùs munus negatum est*. Adeoque ad nihil Spirituale cognoscendum pertingere potest, impotentiâ fundatâ in ipsâ ejus naturâ; Ergo Anima Bruti materialis est non verò Spiritualis. Caetera patent, major ostenditur; Nam quod Spirituale est, magis ex naturâ suâ, proportionatum est objecto Spirituali cognoscendo, quàm purè materiali, quemadmodum enim minùs distant in naturâ, ita & magis sibi ex ipsâ naturâ, congruunt in ratione objecti. Cum itaque partus, ut dicitur, sequatur ventrem, si materialis est Anima à quâ prodit Bruti cognitio, quid mirum si & ipsa cognitio, materialis dicatur?

Phil. Quid tantâ cum pervicaciâ Animam Brutorum, materialem vocas? An nescis, tam repugnare Cognoscitivitatem materiae, quàm vero Spi-

(a) *Dial.* 3. *An. Brut. vindic. pag.* 35. (b) *Dial.* 4. *An. Brut. vindic.* (c) *D. Bern. Serm.* 36. *in Cant. n.* 8.

Spiritui divisibilitatem, aut in varias conformabilitatem figuras?

Crit. Sine caussâ de me conquereris Philadelphe; nunquid Brutorum Animam, *Materialem* unicè voco, & non potiùs ratione, multifariam evinco? Nunquid in hoc uno controversiae puncto, ex modo operandi, deducere nefas est modum essendi? Quis nisi gratis id affirmet? Utique cognoscitivitas repugnans est materiae, veruntamen Anima quam in Brutis, *Materialem* assero, materia non est. Nè tamen materialibus hisce paritatibus, à Spirituum insigurabilitate desumptis, ultrà Peripateticos impetas; Scito aliam esse rationem de figurabilitate, aliam de cognoscitivitate; Figurabilitas vis quaedam passiva est, fundata in partium divisibilitate, quae quidem divisibilitas ex earundem distinctione praesupositâ, oritur; Hinc illud ens dicitur figurabile, cujus partes sunt ab invicem distinctae, & proinde extrinsecâ in illud agente caussâ, & sejungi vicissim possunt, & loco transmutari; Quare cum in ideâ clarâ, & distinctâ Substantiae Spiritualis, omnimoda appareat indivisibilitas, sequitur in hac, nullas repperiri partes, vel reciprocè separabiles, vel transmutabiles loco & exindè nullam in ipsâ passivam vel in partes extendibilitatem esse, vel figurabilitatem; è contrà verò, Cognoscitivitas vis quaedam activa est, non in existentiâ, vel carentiâ partium fundata, nam & ligna & saxa partes habent, nec tamen sunt cognoscitiva; Punctum partibus caret, & tamen cognoscitivitate non pollet; sed radicata in rei alicujus naturâ, quae citrà dubium omne materia non

sit, sed vel sit Spiritus, vel entitas materiam inter & Spiritum medians, qualem, constanter docent Peripatetici formam materialem: Licet ergo non possit vel Spiritus passivè figurari, nec etiam activè configurare se ipsum; licet non possit materia cognoscere, cum ipsa secundùm se nihil activitatis habeat; Poterit vi cognoscitivâ donata esse entitas aliqua, quae quamvis materialis sit, non sit tamen materia. Quod si adhuc instes; Quid est ista entitas? Respondeo, vel tuae vis imaginationi satisfaciam, vel rationi? Si primum? Me imparem fateor, imaginem quam tibi exhibeam, non habeo; Si secundum? Ab effectibus metire illam, ab operationibus eam cognosce.

Quoniam verò compertum mihi est, eas ipsas Operationes, ex quibus Principii operativi naturam, agnoscendam sentio, à te negari ut distinctas ab earundem principio; Quia nimirum hasce ut tales admittere, nihil aliud foret, quàm adstruere entitates, quarum natura inanibus occultae qualitatis latebris abscondi debeat; (*d*) necessè est ut Operationum quarumcumque à facultate sive cognoscitivâ, sive volitivâ, creatâ tamen, veram, realemque distinctionem evincam, ut hinc tantisper elucere incipiat, quis nostrum Saniori sit addictus doctrinae.

Eam ego sententiam *Saniorem* voco, quae Ecclesiae sensui conformior, quaeque ab erroribus ab Ecclesiâ proscriptis, elongatior est, cum ea nequeat sana esse doctrina, quae vel distet ab illo, vel ad illos accedat; Jam verò cum tu ex odio in peri-

(d) *Dial.* 3. *An. Brut. vindic. pag.* 36.

peripateticas qualitates, omnem inficieris entitatem accidentalem verè ac realiter à Substantiâ distinctam, negabis ex doctrinae coherentiâ tùm *caracterem* Animae impressum, & distinctum ab illâ; Tùm *Gratiam justificantem* Animae rationali superadditam; Haec etenim, non minùs ac caeterae accidentales peripateticorum qualitates, apud te saltem, repugnantiam invenient.

Phil. Utique haec omnia tanquam purè fictitia, & occultae qualitatis vocabulo, dumtaxat explicabilia, denego prorsùs, ac inficior; Quid inde ex sanâ fide moliris periculi? Nec rectae Fidei contrarium est, quod recta ratio docet, nec verae Fidei consonum, quod clarae adversatur rationi.

Crit. Num ratio distinctis à Substantiâ accidentibus obsit, perpendemus postea; Examini interim subjiciamus num illa promiscuè & absolutè denegare ut realiter distincta, compatiatur cum sensu Ecclesiae, cum rectâ Fide; Fuit itaque Saeculo XVI. Osiander quidam haereticus, socius daemonum, ipsum (ut multorum opinio est) visibiliter in Canum specie comitantium, qui asserere non erubuit. *Hominem justificari eâdem essentiali justitiâ, quâ Deus justus est, quae est ipse Deus.* (e) Quem quidem errorem, gravissimis iis verbis refellit Concilium Tridentinum (f) *Demum unica formalis Causa justificationis nostrae est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis nostrae, & non modo reputamur, sed verè justi*

 nomi-

(e) *Card. Hosius de heref. nos. Temp. lib. 1.* (f) *Concil. Triden. sess. 6. cap. 7.*

nominamur , & sumus , Justitiam in nobis recipientes , & paulò post ita prosequitur . *Id tamen in hac impii justificatione fit , dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur , Atque ipsis Inhaeret , unde in ipsâ justificatione , cum remissione peccatorum , haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum , cui inseritur , Fidem , spem , & Charitatem* .

Docere per summam impudentiam non dubitavit Vicclephus (g) referente Thomâ Vualdensi (*h*) quod . *Sacramentalis caracter , nec in Scripturâ Sacrâ , nec in ratione fundamentum habet , prorsusque inutilis est* . Haeresim hanc conceptis terminis proscripsit , & anathemate confixit Concilium Tridentinum (*i*) sic inquiens . *Si quis dixerit , in tribus Sacramentis , Baptismo scilicet , Confirmatione , & Ordine , non imprimi caracterem in Animâ , hoc est signum quoddam Spirituale , & indelebile unde ea iterari non possint , anathema sit* . Audirem propterea libenter à te , quem non minus Doctrinâ conspicuum , quàm rectae fidei tenacissimum agnosco , quâ ratione duo haec Catholicae Ecclesiae Dogmata , negatâ qualibet entitate accidentali , à substantiâ realiter distinctâ , verificentur , & inconcussa persistant .

Phil. Equidem mirabar, quod me ad differendum de rebus Fidei , non transferres ; Mos iste inolevit apud Peripateticos , ut naturalia supernaturalibus immisceant , & cum adversarios refellendi ,

(g) *Trial.4. c.15.* (h) *Th. Vuald. Tom.2. c.109.* (i) *Concil. Triden. sess. 7. can. 9.*

di , ratio eis non ſuppetit , ad Eccleſiam confugiant , & in Sacriſtiam ſe ſe recipiant . Sed nè putes haec ideo à me dici , quia ex Eccleſiae Definitionibus , aliquid praejudicii verear , opinioni Accidentia quaecumque profliganti ; Et ſtatim , & paucis reſpondeo , nullâ etiam admiſsâ accidentali entitate Peripateticâ , quàm optimè Concilii Tridentini ſalvari deffinitiones , tum quò ad Impii juſtificationem ; tum quò ad caracteris in Animâ impreſſionem , per ſolam *Diverſam Animae Modificationem* , ſeu per hoc quod *Anima , quae priùs uno modo ſe habebat poſtea ſe habeat alio modo* , Deo nimirùm in ipsâ , & ad ipſam diverſimodè ac priùs ſe habente ; Hoc ſemel reſponſo , quid jam opus eſt , fictitiis qualitatibus tuis ?

Crit. Non Peripateticis (lepidè dicam) probro vertendum , quod facilè ingrediantur , nec infrequenter Eccleſiam ; Quod enim ingrediantur facilè , ex eo eſt , quia nullo (Deo quidem dante) ſentiunt ſe vel Interdicti , vel Excommunicationis vinculo detentos ; Quod autem ſaepè , ex eorundem , in Eccleſiam amore deſcendit . Verumtamen , ut ſeriò loquar ; Rectae rationis , non defectu , ſed uſu , etiam cum de naturalibus agimus , quotquot Peripatetici ſumus , Eccleſiae dogmata ob oculos jure merito retinemus , nè nimiâ opinandi libidine obcoecati , quae rectae Fidei vel contrarientur , vel non conſentiant , doceamus ; Quis enim Philoſophus , dummodò Catholicus neſciat , non intellectui noſtro ſubjiciendam Fidem , ſed in Obſequium Fidei , noſtrum potius captivandum intellectum ? Non itaque mos iſte Peripateticis

cis opponendus, sed potiùs à modernis foret imitandus, nè dum plus aequo, suo fidunt Captui, minùs quàm par est, deferant Fidei; Praesertim cum verum, nec esse, nec dici queat juxtà Philosophiam, quod falsum inveniatur juxtà Fidem; Neque falsum juxtà illam, quod verum comprobetur ex istâ.

Videor jam mihi, auditâ tuâ Ecclesiasticarum Deffinitionum explicatione, exultantem cum familiaribus sibi Daemoniis Oxiandrum videre, Vicclephumque denegato Sacramentali Caractere, Ecclesiae deffinitionem irridentem. Quid enim ipsorum interest de vocibus, dummodò nihil de Rebus admittatur? Enim verò si homo de injusto, non putativè tantùm, sed verè fit justus, nihil de novo sibi superaddito, nullâque entitate in ipso receptâ, quid restat, nisi quod, si justificatur sine ullo dono creato (nec quidem merè denominativè, sed verè & realiter) justificetur à solo Deo, non ut causâ Efficiente, sed Formali, adeòque per justitiam Dei, quâ ipse justus est, quae est ipsissima haeresis Oxiandri? Scio quidem consequtionem hanc, tibi numquam placituram, sed quomodo te expedias ab ipsâ, planè non video, nam si homo formaliter justificatur, & non per aliquid creatum; ergo per aliquid increatum; ergo per ipsum formaliter Deum, contrà clarissimum Dogma concilii Tridentini.

Non absimili modò irridebit Vicclephus Doctrinam Oecumenicam de Caractere Sacramentali; Nam si non aliter explicetur, quàm per aliud *sic*, seu per diversum Animae modum, ita ut tamen

men nihil importetur reale de novo superadditum ipsi , jam persistet in asserendâ Caracteris *inutilitate* , cum caracter ita explicatus , nihil addat Animae , nihilve importet à merâ purâque Caracteris voce distinctum ; cumque illud meritò asseratur inutile , quod aliquid quidem vocetenùs importat, nil verò quoad rem , Vicclephum in damnato pertinacem errore , ex Ecclesiae Sanctionibus , (si tua Philadelphe vera sit doctrina) nemo poterit revincere .

Sed persistent , vel non haeretici in erroribus suis , (quantum mihi videre fas est) indecentem Ortodoxo viro , opinionem quòad haec tuam judicabitur , quisquam seriò animadvertere velit , Ecclesiae universalis Catholica Dogmata , non circa nudas voces versari , sed potissimùm , & fermè unicè , ad res ipsas per vocabula designatas , vel negandas , vel asserendas statuendo , occupari ; Fermè unicè , dixi , etsi enim aliquando Ecclesia de voce aliquâ vel admittendâ,in iis quae ad fidem spectant , vel rejiciendâ , sollicitam se ostenderit , non quasi de vocibus , ut voces sunt , ageret , id praestitit , sed prudentissimè praecavens , nè nimiâ facilitate & libertate vocum introductâ in Mysteriorum explicatione , sensim sine sensu , aliquis in filiorum suorum animos, circa Fidem ipsam, error irreperet quoad rem .

Numquid enim non verba das Philadelphe , per solos diversos Animae modos vel impii justificationem , vel caracteris in Animâ impressionem explicans , remque ipsam , quam Concilium adstruit , verè ac fidenter inficiaris ? Quis Concilium legat ,

legat, quis Doctrinam hanc tuam audiat, & mihi non consentiat? Inquit citatis sessionibus Oecumenica Synodus Tridentina, Caussam Formalem nostrae Justificationis, eam *non esse Justitiam, quâ Deus ipse justus est*; Docet, *nos Justitiam in nobis recipere*. Docet *Caritatem Dei diffundi in cordibus nostris*, atque ipsis *Inhaerere*. Docet in tribus Sacramentis, Baptismo videlicet, Confirmatione & Ordine, *imprimi Caracterem in Animâ*. Haec igitur Ecclesiae universalis Doctrina, est ne de vocibus nudè sumptis, & seclusim à rebus per verba significatis, an potiùs de rebus ipsis, quae talibus verbis exprimuntur? Quis primum dicat, nisi planè coecutiat? Etsi velit Ecclesia, quod Fideles sui, externam loquutionem cum Fide internâ concordent, numquam tamen eos primitùs intendit instruere, ut loquantur, sed ut credant; & ut rectâ imbuti Fide, quae ex ejus uberibus biberint ad propriam salutem, eructent posteà ad aliorum aedificationem, atque instructionem, siquidem, ut ait Apostolus (*k*) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

Secundum itaque fateri oportet; Quod videlicet, Res per verba praedicta proprio in sensu, quem praeseferunt, denotatas, asserere, & admittendas deffinire intellexerit Sancta Synodus: Sed si ita est, quomodo negatâ omni entitate reali, realiter superadditâ animae, stare poterit Concilii Doctrina? Dum ais hominem vel justificari, vel Animam per tria recensita Sacramenta, ut sic dicam, Caracterizari, per hoc quod Anima, quae prius

(k) *Ad Rom. 10. v. 10.*

priùs uno modo se habebat, posteà se habeat alio, seu (quod idem est) per diversas modificationes in ipsâ receptas; Vel nomine modificationis, aliquid reale intelligis, de novo adveniens Animae, quodve intrinsecè recipiatur in illâ? Vel nihil tale adstruis, sed aliquid purè denominativum? Si primum dicas? Ergo cum realis modificatio de novo adveniens Animae, illique inhaerens, sit accidens reale & physicum, jam aliqua saltem, & quidem physica, concedes dari accidentia, cum tamen omnia prorsùs abneges; Hoc autem, cum sine evidenti Doctrinae tuae inchoerentiâ, respondere non possis, restat ut secundum sincerè confitearis. Hoc tamen semel admisso, quis ita, hebes sit, ut statim non videat quantùm Catholicae veritati detrahatur? Si *Justitia*, si *Caritas*, si *Caracter* nihil reale sunt distinctum realiter ab Animâ, nihilque realiter receptum in ipsâ; Cum qua sanè veritate, cum qua proprietate verborum dicere potuit Tridentinum Concilium; Quod Justi nominamur, & sumus, Justitiam in nobis recipientes; quod Caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhaeret; Quod Caracter imprimitur in Animâ? Nunquid quod nihil reale est, potest in altero realiter recipi? Alteri realiter inhaerere; In altero realiter imprimi? Quod est realiter indistinctum ab alio, quomodo poterit cum proprietate sermonis dici, vel receptum, vel inhaerens, vel impressum, in illo, vel illi à quo realiter non distinguitur?

Phil. Verè Peripateticum agis Critophile, simili etenim, ut gallicè loquar, *Kiriel*, ii solent,

quorum partes agis, modernorum aures obtundere, irritò tamen, nec enim Concilium Tridentinum, gravissimis rebus intentum, de peripateticis Accidentibus caussam instituit, nec unquam vel illa obtrudere, vel admittere curavit; Quid enim accidentium vel rejectio, vel admissio, ad eos pertinet, qui non Philosophiae, sed Fidei Caussam pertractant?

Crit. Haec utique decantata à tuae Doctrinae consociis responsio est; Quâ tamen veritate polleat, viderint quorum interest. Satis autem ex eo confoditur, quod aliud est Accidentium physicorum existentiam statuere, Accidentium nomine expresso; Aliud est, rem ipsam nomine accidentium importatam, suppresso licet accidentis nomine, deffinire. Accidentia siquidem licet proprio sub nomine non deffinierit admittenda, rem tamen admisit, quam Peripatetici accidentis nomine designant, non equidem de nomine, sed de re quaestionem tractantes; Rem inquam admisit, quis enim afferat vel Justitiam in Animâ receptam, vel Caritatem in corde infusam, vel Caracterem in Animâ impressum, totidem esse substantias? Cum itaque citrà dubium omne, haec omnia à Concilio afferta, atque de Fide credenda, sancita, ex unâ parte substantiae non sint, ex aliâ verò non sint Nihil (nec enim prejactis Deffinitionibus, *aliquod nihil* admittendum in Animâ ab Oecumenicâ Synodo statutum esse, somniari potest; Reliquum planè est, ut illud aliquid reale, quod sive in Justificatione, sive in quorundam Sacramentorum susceptione recipitur in Animâ sit aliquid, reale uti-

utique , attamen alteri inhaerens atque non adventitiè tantùm , sed & entitativè in se ipso accidentale , & consequenter reale & physicum accidens .

Verum est quod Tridentina Synodus , non Scholasticorum litibus dirimendis , sed iis quae stabiliendae Fidei , propulsandis erroribus , confutandis haeresibus deservire poterant , & prodesse , tota incubuit , ast quid inde ? Si quaestio Scholasticorum , affinitatem habebat cum iis quae Fidem respicere possunt , cur Concilium directè sanciens quae spectabant ad Fidem , indirectè non potuit ea resolvere quorum controversia erat in Scholis , etiamsi ad Scholasticas controversias non attenderet ? Atque ut hoc , quod assero , ritè percipias . Ponamus quod duo , de vineâ aliquâ , cujus eorum neuter est Dominus , probabilibus innixi fundamentis , disputent inter se , alter quidem mordicùs sustinens vineam esse sub dominio Titii , alter è contrà , eandem omni jure spectare , ad Cajum , & esse istius . Interim verò Lis Titium inter & Cajum excitetur circà ejusdem Vineae Dominium , utroque eorum , illam sibi vel ex haereditate , vel alio quovis modo pertinere , ac cessisse defensante ; Deffiniat autem Senatus vineam e. g. deberi Titio , nullatenus Cajo ; Nonnè hac positâ semel sententiâ , nè dum Lis directa manebit Titium inter , & Cajum , qui Vineae Dominium quaerebant sibi , sed etiam inter duos illos qui de Domino Vineae quis esset , disputabant , etiamsi ad hosce , Senatus consultus , nullimodè respexerit ? Id planè evenit in casu nostro ; Asserentibus siquidem Peripateticis ultrà Substantias creatas , dari etiam enti-

tates quasdam sive Spirituales, sive materiales, sivè naturales, sive supernaturales, quae reales quidem sint, non tamen per se subsistentes, sed Substantiae verè & realiter inhaerentes, quas proin accidentales, & Accidentia physica vocant; Aliis e contrà Entitates illas negantibus, tanquam eas quae aliquid chimericum sint, vanoque occultae qualitatis vocabulo explicabile; His inquam de physicorum Accidentium existentiâ asserendâ, aut negandâ, inter se pro virili colluctantibus, Tridentina Synodus, non ut Philosophorum tricas expediat, sed ut Haereticorum evellat errores, inque Sanâ Fidei Doctrinâ instruat Fideles, docet, atque deffinit Hominem justificari per *Justitiam* à Deo illi donatam, ac in ipso receptam; Docet atque deffinit *Caritatem* diffundi in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis *inhaerere*; Docet atque deffinit *Caracterem*, hoc est signum quoddam Spirituale & indelebile *imprimi* in Animâ; Cumque Justitia, Caritas, & Caracter, neque sint Substantiae, neque sint nihil, reliquum est quod sint entitates reales, realiter inhaerentes Substantiae, ac proinde sint illud ipsum, quod nomine physici accidentis à Peripateticis designatur. Si igitur concilium Haereticos confodiens, & Fideles instruens, rem illam admittendam decernit, de quâ admittendâ vel non, apud Philosophos quaestio erat, quomodo quoad Spiritualia ac supernaturalia saltem Accidentia, apud Philosophos Catholicos, lis dirempta non erit?

Arist. Ulterioribus parce verbis Critophile, quantùm enim attinet ad accidentia supernaturalia, tibi

tibi libenter acquiesco, & Philadelphum ipsum ex oris immutatione, atque ex silentio, tibi consentientem agnosco; Sed vellem modo audire qua ratione probes operationes Animae, realiter ab ipsâ distingui; Hic te casurum Philadelphus expectat.

Crit. De hoc ipso disserere, jam anteà proposueram, sed datâ occasione, tantisper ab instituto Dilapsus sum; Nunc igitur & ut obsequar tibi, & ut adimpleam quod promisi, abs mor â exordior. Utrumque tamen precor ut mihi subirasci nolitis, si hac vice etiam, primitùs ex sensu & Doctrinâ Ecclesiae, quàm ex naturalis Dictamine rationis, punctum hoc exagitabo: Memini itaque, ad Controversiam de actuum distinctione, vel indistinctione ab eorundem principio, spectantia me nonnulla legisse, quae ut memoriae occurrerint, congruum videtur referre. Et primò quidem, fuit olim haereticus quidam, *Gregorius Palamas* nomine, qui turpissimè blatherare non erubuit operationem Dei, ab ipsâ Dei substantiâ esse realiter aliam, atque omninò distinctam (*l*). Improbus aequè ac insipiens, qui de Divinis humana praedicans, Deum ipsum, Creaturarum adinstar, vel potentialem asserere, vel physicè cum actu suo compositum, fingere non est veritus; Quasi verò non sit Deus Actus purissimus, atque ens illud, quo nihil melius vel esse potest, vel cogitari.

Inter sexaginta octo propositiones Michaelis de Molinos ab Innocentio XI. proscriptas, vigesima prima erat illa. *In oratione opus est manere in fide obscurâ, & universali, cum quiete & oblivione cujus-*

(l) *Apud Bernin. T. 3. pag. 536.*

cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctae attributorum Dei, & Trinitatis, & sic in Dei praesentiâ manere .... Sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet. Vigesima autem secunda immediatè sequens ita habebat. *Cognitio haec per fidem non est actus à creaturâ productus, sed est cognitio à Deo creaturae tradita.* Quarum utraque, sicut & caeterae meritò damnata est, cum in ordine ad actus sive naturales, sive supernaturales, non se habeat Anima velut Inanime quoddam, & merè patiens, sed ut principium illorum, & verè agens; nemoque nisi improbitatem stultitiâ cumulaverit, non videat, neque ad culpam, neque ad meritum, eos posse actus imputari, qui sint in Animâ, sed non ab Animâ, qui recepti, sed non eliciti.

Nec piget hic iterum comminisci aliam propositionem damnatam, quam etsi aliàs Philadelphe à me audieris, video tamen illam è memoriâ tibi excidisse, & fortè nundùm cognita erit Aristippo. Igitur inter viginti duas propositiones damnatas (*m*) cujusdam Joannis de Mercuriâ, in quo, ut ait Clarissimus Dominicus Bernini (*n*) anticipatâ nativitate visus est surrexisse Calvinus, vel qui in Calvino, visus est revixisse, haec erat decima quinta propositio. *Probabile est, cognitionem, vel volitionem non esse distinctas ab Animâ.* Quam quidem propositionem utpotè ab Ecclesiâ proscriptam, tu quoque Philadelphe, Ecclesiasticis sanctionibus, (ut viri Catholici est) addictissimus, damnare atque anathematizare teneris.

Hisce ut occurrerunt succinctè expositis, constat

(m) *Anno 1347. sub Clem. VI.* (n) *Bernin. T. 3. cap. 5.*

ſtat ni fallor, Philadelphi opinionem de actibus Animae indiſtinctis ab illâ , nec ab illâ productis , extremè oppoſitam eſſe recenſito ſuperiùs errori Gregorii Palamae ; Gregorius etenim Intellectionem & Volitionem Dei , à Deo diſtinctas aſſerebat ; Philadelphus, illas in creaturis docet eſſe indiſtinctas , ex quo conſequi videtur , quod quemadmodum ille potentialem faciebat Deum , ſic iſte actualiſſimam conſtituat creaturam ; Quorum tamen utrumque quantùm à veritate aborrheat, nemo non videt . Et quamvis hoc ipſum (ſi de Deo loquamur) apertum ſit , quia tamen oppoſita illatio in ordine ad creaturas , vel ſubobſcura alicui , vel falſa videri poteſt , ideò ipſam fas eſt tantiſper comprobem . Quomodo Creatura in agendo finita erit , ſi cum ipſa vel intelligendo vel volendo , ad infinita extendi poſſit , omne intelligere ſuum ac omne velle , ſecum habet identificatum ? Si omnia quae agere poteſt , Creatura , cum ipsâ unum & idem ſunt (ſunt autem haec omnia unum & idem realiter cum ipsâ , ſi cum ipsâ identificantur, ut patet ex terminis) jam ſicut creatura eſt ſemper tota ſecum , ita ſemper eſt cum omni ſuâ actione poſſibili ; Enim verò actio poſſibilis creaturae (de Spirituali loquor) cum tàm quoad extenſionem , quàm quoad intenſionem ſeu attactionis modum ſit infinita , nullus ſiquidem eſt aſſignabilis terminus vel quoad objecta cognoſcibilia , vel quantùm ad modum illa cognoſcendi , cum & plura & plura in infinitum , & perfectiori in infinitum modo cognoſci poſſint , planè deſcendit, quod Creatura ſecum identificans omne ſuum agere , ſemper ſit &

actu

actu agens, & actu agens infinita, nam quemadmodum nihil potest esse sine se ipso, sic nihil esse potest sine omni eo, quod à se ipso non distinguitur, sed est idem cum se ipso, & si infinitum aliquod sit idem cum se ipso, illud ipsum erit aliquod infinitum.

Investigare jam superest, num vera naturalis ratio, suadeat ac comprobet intellectionem, volitionemque non esse entitates ab Animâ Spirituali realiter entitativè distinctas; Sed si ingenuè quod in me sentio, patefacere debeam, eodem naturali lumine earundem realis entitativa distinctio, & à suo principio, & à se invicem videtur clarè evinci, quo cuique ratione utenti perspicuum experimentaliter est, se esse liberum: Quâ porro ratione, humana in operando libertas defensabitur, si quaecumque ejus determinatio, seu quaevis objecti, sive boni moraliter, sive mali, volitio, cum ipsamet Animâ, identificata realiter, asseratur?

Phil. Quid luci tenebras offundis? Illic trepidas timore, ubi non est timor; Quis neget Deum, saltim quoad operationes ad extrà liberrimum esse, quamvis nullum à se distinctum vel volitionis, vel intellectionis eliciat actum? Estne de ratione libertatis ferri in objecta per actus à liberâ Facultate distinctos; An potiùs ferri in ea quae libuerint, & quo libuerit modo? Sive actus ab Animâ distinguantur, sive non, perinde est; nec nisi irrationabiliter & gratis omnino evertenda libertas praedicatur, admissâ semel identitate operationum, cum earundem principio.

Crit.

Crit. Immeritò, crede mihi, ad increatam libertatem confugis, teque in illius perfectionis abysso abscondere pergis, ut creatam explices. Verum itaque est, quod Deus à nullâ omnino creaturâ necessitatem patiens, vel pati valens, liberrimè omnia produxit & producit, regit atque conservat, & omnia quaecumque voluit fecit in Coelo, & in terrâ; Sed verum insuper est, quod cum Deus ens optimum sit, quo nec esse, nec cogitari melius potest, omnia movet, & immutat, immotus & immutatus, immobilis, ac immutabilis; cumque transitus vel de non actu ad actum, vel de uno in alium actum, non compatiatur cum actualitate infinitâ Dei, atque omnimodâ & essentiali immutabilitate, quâ ratione constat Deum esse immutabilem, ac omnis potentialitatis expertem, constat etiam Velle suum, suumque Intelligere, nec esse, nec esse posse, ab ipso distinctum.

Quis autem non videat, contrario prorsus modo loquendum esse de creaturâ, utpotè quae naturâ suâ & mutabilis, & potentialis est? An non quisque hominum (ut in nostro genere sistamus) experitur in se met ipso, se non esse vel fuisse, ex quo est, semper eadem vel volentem, vel respuentem, vel odientem, vel amantem, vel sperantem, vel timentem objecta. Annon potiùs constat cuique, sibi multa displicere modo, quae anteà arridebant; plurave viceversa placere quae priùs summo odio habebantur, & multa intelligi quae priùs prorsùs erant ignota? Haec cum ita sint, nonne sponte sua patescit transitus Animae rationalis, vel de uno actu in alium, vel de ne-

gatione actus, ad actum? Quâ autem ratione haec omnia quae evidentissimè patent, salvari possunt, si vel amor, vel odium, vel cognitio, nihil reale sint ipsi animae de novo adveniens? Certè quemadmodum Anima non potest se ipsam immutare quòad substantiam, ita nec se per diversa sive intellectionum, sive volitionum genera mutare valebit, semel ac intellectio atque Volitio, unum quid realiter & identicè sint, cum ipsâ. Audi jam D. Th. (o) ex Augustini (p), cui te addictissimum profiteris, doctrinâ concludentem *Si aliquis intellectus est, qui per essentiam suam cognoscit omnia, oportet quod essentia ejus habeat in se materialiter omnia, sicut antiqui posuerunt essentiam Animae actu componi ex principiis omnium materialium, ut cognoscerent omnia; Hoc autem est proprium Dei, ut sua essentia sit immaterialiter comprehensiva omnium ... solus igitur Deus per essentiam suam omnia intelligit, non autem Anima humana, neque etiam Angelus.* Quod si proprium solius Dei est, per ipsam formaliter essentiam intelligere, concedere tu quoque teneris, nec Angelum, nec Animam humanam per aliquid à se ipsis indistinctum intelligere & velle; Et si ad id asserendum, Authoritas tanti Doctoris te non movet, moveat saltem & impellat timor incidendi in propositionem Damnatam, cum enim (ut antea dixi) proscripta sit propositio asserens, quod *Probabile est cognitionem vel volitionem non esse distinctas ab Animâ* sive tu probabilem, sive quod pejus est, certam dixeris indistinctionem & identitatem actuum cum Animâ, invenieris porro damna-

(o) *In Sum.* 1. *p. Q.* 84. *art.* 2. (p) *Lib.* 9. *de Trinit.*

damnatam docuisse, & defendisse doctrinam, quod certè Sanioris Philosophiae Professore, omninò indignum est.

Sed insuper ex istâ actuum Animae rationalis identitate cum ipsâ maximum creatae libertati praejudicium, ut ajebam, infertur. Planè nosti Philadelphe, quod sicuti ad veram Creaturae rationalis libertatem, non sufficit libertas à coactione, sed ulteriùs libertas à necessitate (cui quidem posteriori libertatis conditioni, contraria Jansenii Iprensis Episcopi propositio, in ordine tertia, meritò proscripta est, quae sic ajebat. *Ad merendum & demerendum, in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*) ita non debet Anima rationalis se habere ut inanime quodam, quasi patiens, & non agens, sed cum indifferentiâ cùm contradictionis, tùm exercitii, unde Concilium Tridentinum (*q*) sub Anathemate damnat doctrinam asserentem liberum arbitrium *veluti inanime quodam nihil omninò agere, merèque passivè se habere* & rursùs (*r*) sub eâdem anathematis paenâ asserere vetuit. *Solâ fide impium justificari .... Et nullâ ex parte necessè esse eum, suae voluntatis Motu praeparari, atque disponi*. Constat igitur, esse de ratione liberi arbitrii posse agere, de ratione liberae voluntatis posse motu suo praeparare se (cum Gratiae tamen auxilio) ad Justificationem, nec enim necessè esset Impium suae voluntatis motu praeparari, si nullus possibilis foret motus voluntatis, ut per se notum est.

Arist. Frustrà jacitur rete ante oculos penna-

 to-

(q) *Concil. Trid. sess. 6. can. 4.* (r) *ibid. can. 9.*

torum ; An putas ex his laqueum quo capiatur, intexuisse Philadelpho ? Omnia haec sicut jamdudum noverat, sic ultrò concedit, sed cum negatis etiam actibus ab Animâ distinctis, adhuc verum sit ipsam non merè passivè se habere, sed posse pro libito diversimodè ferri in objecta, eam adhuc verum est liberrimam manere.

Crit. Scio quidem sequelam hanc, utpotè erroneam nimis, non esse à Philadelpho spontè concedendam, sed ego quae spontè dare recusat, vi extorquere conabor. Ut itaque creata voluntas, cum veritate sit libera, debet ipsa se ipsam posse reducere pro libito de potentiâ ad actum ; & ad eum qui libuerit actum ; atqui si nullum habet voluntas actum à se ipsâ distinctum, nec se potest de potentiâ reducere ad actum, nec unum actum ponere prae alio ; Ergo si nullum habet voluntas actum à se distinctum, creata voluntas libera non est : Major perspicua, est cuicumque conceptum noverit Creatae libertatis. Minor probatur : Ut possit voluntas se reducere de potentiâ ad actum, vel unum actum prae altero ponere, debet posse ponere, & in se recipere aliquid de novo, quod anteà non haberet ; Sed si voluntas nullum habet actum à se ipsâ distinctum, nihil est, quod ipsa vel de novo ponere, vel in se ipsâ recipere possit ; Ergo si voluntas nullum habet actum à se ipsâ distinctum, nec se potest de potentiâ ad actum reducere, nec unum actum prae alio ponere, consequenter non est libera. Major evidens est, nec enim intelligi potest voluntas creata de potentiâ se reduxisse ad actum, quin aliter, (& quidem alie-

tate reali) se habeat postea, ac antea se haberet; Quomodo autem nullo reali, vel detracto, vel adveniente, mutari ipsa realiter potest; seu aliter se habere? Minor notior est quàm probari indigeat; si etenim volitio à facultate volitivâ non distinguitur, tandiu est volitio, quandiu est volitiva facultas; per consequens, numquam erit vel eliciens vel recipiens aliquid de novo; maximè cum nihil possit vel elicere, vel recipere se ipsum.

Phil. Quis sibi verum dicere ausus est (s)? Ea ne libertas quam sibi inesse, intimo experimento quisque hominum sentit, à mero Philosophorum placito, quò ad esse, vel non esse dependet, ita ut verè adesse dicenda sit, si Intellectio & Volitio sint actus ab Animâ distincti, abesse verò si illi non distinguantur ab illâ? Apage ineptam consequtionem!

Crit. Si, ut ais, intimo quisque hominum experimento, sentit se liberum, sentit pariter de unâ contradictionis parte se posse movere ad aliam, de non volente videlicet, facere se volentem, cogitantem de non cogitante &c. Transitus autem iste de contradictorio in contradictorium realem Animae mutationem importat, nam, ut nosti, damnata est (t) propositio Nicolai de Ultricuriâ, in ordine trigesimaoctava, quae asserebat sic. *A contradictorio in contradictorium, absque mutatione reali intrinsecâ cujuscumque, transitus esse potest* realis autem Animae mutatio, aliquid exigit, realiter de novo ipsi adveniens, quod antea non inesset eidem Animae, & quod insuper sit activè ab eâdem Animâ, nec

(s) *Seneca l. 1. c. 1. de Tranquil. an.* (t) *Sub Clem. VI.*


nec enim ad veram Creaturae rationalis libertatem, sufficiens est passivè mutari, seu unicè per modum recipientis, sed ulteriùs per modum agentis, ex suâmet electione ut omninò notum est. Nec est quod confugias Philadelphe ad novas Animae modificationes; quaero enim abs te, num novae modificationes istae, sint aliquid reale distinctum ab Animâ & superadditum ipsi, quodve anteà non inesset Animae, insit autem posteà, activè proficiens ab Animâ, & receptum in ipsâ? An verò nihil reale sint, distinctum ab Animâ & proficiscens ab ipsâ, & in ipsâ receptum? Si primum dicas; Jam incidis, mutato tantum nomine, in eas Peripateticorum Entitates, quarum natura, ut ajebas (u), inanibus occultae qualitatis latebris, abscondi debeat. Si verò postremum eligas; Libertas Creata, quantùm videre valeo, penitùs interit, & proscripta revivìscit doctrina cum Joannis de Mercuriâ. *Probabile est cognitionem vel volitionem non esse distinctas ab Animâ.* Tum Nicolai de Ultricuriâ *à Contradictorio in Contradictorium, absque mutatione reali intrinsecâ cujuscumque, transitus esse potest*, ut nemo non videt.

Arist. Puto multos potuisse ad sapientiam pervenire diceret in praesentiarum Seneca (x) *nisi putassent se pervenisse, nisi quaedam in se dissimulassent, quaedam apertis oculis transiluissent*, cum etenim loquereris Philadelphe de actibus Animae, maluisti eorundem indistinctionem supponere potiùs, quàm probare, & quasi quaestio haec, nullius fo-

ret

(u) *Dial.* 3. *An. Brut. Vindic.* (x) *Lib.* 1. *c.* 1. *de Tranquil. an.*

ret momenti, concludebas: Veruntamen negligamus ista: At certè audito super hac controversiâ Critophilo, pace tuâ dixerim, nec controversiam hanc levem judico, nec Opinionem de actuum indistinctione ab Animâ, tutam esse, vel sanâ cum doctrinâ cohaerentem existimo. At quoniam hucusque in vestibulo principalis controversiae constitistis, tempus jam est, ut ad ejusdem penitiora procedatis, ut si fieri potest, lis ista dirimatur. Crastinâ itaque die (satis enim pro nunc certatum est) ambos reduces expectabo, ac pacificis vestris dissidjis interesse gaudebo.



SUB-

SUBSTANTIA SPIRITUALIS EST AD IMAGINEM DEI,

Ex hoc Capite Anima *Spiritualis* Brutorum Profligatur.

DIALOGUS QUARTUS.

Aristippus, *Philadelphus*, *Critophilus*.

Arist. Uàm prompti advenistis Domini, mei! Si hac ipsâ horâ concertatio vestra exordium sumat, vobis quidem prolixus labor, sed mihi productior fiet voluptas; Dicas itaque Critophile, quâ ex parte *Spiritualem* Brutorum Animam impetere moliaris; Dicas Philadelphe unde hodiernam disceptationem inchoari peroptes.

Phil. Memini Critophilum vereri (*a*) ne Bruta dicenda sint ad Imaginem Dei Creata, semel ac Animâ Spirituali instructa asserantur; Libenter propterea absurdum hoc à Critophilo promoveri audirem, paratus suam ei allucinationem detegere, & absurdae hujus falsitatem sequelae, per quàm clarè ostendere.

Crit. Nutibus tuis praesto sum Philadelphe, dummodo tamen consentiat Aristippus.

Arist. Nè dum vobis lubentissimè consentio, sed

(a) *Dissert. con. An. Spir. Brut. Dial.* 4.

ſed imò oro vos ut hoc manè de hac tantùm re à Philadelpho propoſitâ diſſerere contenti ſitis; Haec una etenim difficultas, abundam, ut video, dicendi materiem vobis miniſtrabit.

Crit. Ut itaque petitis faciam ſatis, incunctanter exordior non nulla praemittendo. Praemoneo itaque primò, quod Scripturâ dicente (*b*) *Faciamus hominem ad Imaginem, & Similitudinem noſtram*. Non immeritò diſtinguenda venit in ipſomet homine ratio Imaginis, à ratione ſimilitudinis, ſeù ratio per quam homo eſt ad Imaginem Dei, à ratione per quam eſt ad Dei ſimilitudinem; Neque gratuitam, & arbitrariam putetis diſtinctionem illam, Imaginis à ſimilitudine, vel ſimilitudinis ab Imagine; Siquidem ſi pro uno & eodem acciperentur Imago & ſimilitudo in hoc Scripturae loco, jam non duplicaſſet Scriptura vocabulum, ſed vel tantùm dixiſſet. *Ad Imaginem*; vel ſolùm dixiſſet *ad Similitudinem*; Neque mea eſt animadverſio haec, quamquam alioqui mea; Inveni ſiquidem D. Auguſtinum in hac eâdem eſſe ſententiâ, cum inquiat (*c*) *Sunt qui non fruſtra intelligunt duo dicta eſſe, ad Imaginem, & Similitudinem, cum ſi una res eſſet, unum nomen ſufficere potuiſſet*.

Praemoneo ſecundò, Imaginem Dei in homine, ſitam eſſe in Mente, ſive in eo, quod homo ſit in ſummo rerum gradu, in quo eſt Deus, & Angelus, videlicet ſit naturae intelligentis, ſi que Animal Rationale; Homo ſiquidem, potiſſimè per mentem & intellectum, refert Deum, eumque per rationalem naturam, quantùm Creaturae

(b) *Gen. Cap.* 1. (c) *D. Aug. lib.* 83. *queſt. Q.* 51.

fas eſt, imitatur; Ex quo conſequitur Imaginem Dei naturaliter ineſſe homini, ita ut perdi in homine nequeat imago Dei, niſi ipſa natura hominis deperdatur; Conſequitur itidem, ut impiam aequè ac Stolidam, ab Ortodoxis omnibus rejiciendam, ablegandamque ſententiam Matthiae cujuſdam Illirici Lutherani dicentis, Imaginem Dei in homine ita per peccatum fuiſſe corruptam, ut homo ſubſtantialiter ſit transformatus in vivam, ac Subſtantialem Imaginem Diaboli;è contrà verò Similitudo, ſi accipiatur ut diſtincta ab Imagine, ſeu, ut ait D. Th. (*d*) ſecundùm quod aliqua ſimilitudo deficit à ratione Imaginis, vel etiam eſt Imaginis perfectiva, fundatur in aliquo accidentali & ſeparabili ab ipſomet homine ſeu ab Animâ ejus licet Spirituali, & intellectivâ, proindè & ipſa ſeparabilis ab ipſo eſt.

Et quidem Imaginem Dei in homine, eſſe naturalem, ac indeperdibilem contrapoſitivè ad Similitudinem Dei, ad quam pariter creatus eſt homo, Communiſſima eſt Sanctorum Patrum Doctrina. D. Baſilius ait (*e*) *Per Imaginem Animae impreſſam meae obtinui rationis uſum; Verùm Chriſtianus effectus, utique ſimilis efficior Deo*. Similia habent D. Chryſoſtomus (*f*) D. Auguſtinus (*g*) Eucherius (*h*) D. Damaſcenus (*i*) & aliis omiſſis D. Bernardus (*k*) addens. *Imago ſiquidem in gehennâ uri poterit, non exuri, ardere, ſed non dele-*

(d) *Q. 93. art. 9. in reſp. ad 1.* (e) *Homil. 10. Hexam.* (f) *Homil. 9. in Geneſ.* (g) *Lib. cont. Adimantum c. 5.* (h) *Lib. 1. in Geneſ.* (i) *Lib. 2. de fide c. 12.* (k) *Serm. 1. de Annunt.*

leri ; Similitudo non sic , sed aut manet in bono , aut si peccaverit Anima , mutatur miserabiliter jumentis insipientibus similata . Addam , si non piget audire , Philastrium Brixiae Episcopum , qui in rem hanc sic scribit . (*l*) . *Sunt quidam Haeretici , qui cum legunt Scripturam dicente Domino . Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram , non in parvam descendunt amentiam , ignorantes primùm quid imago , quidve similitudo sit Dei ; cumque nesciunt quid sit imago Dei natura proprietatis , & quid portionis sit gratia , non parvam sibi praesumunt superbiam dignitatis, Imago enim Dei idest Anima omnis hominis facta ex nihilo , similitudo autem in fide & vità , nisi cognita fuerit à Deo , appellari non potest Dei imago similis ... Ideoque imaginem &c. ... Similitudinem autem non omnium sed Sanctorum , & Christianorum esse &c.* Addam rursus D. Augustinum dicentem (*m*) *Deus ad imaginem suam hominem fecit , propter hoc quod dedit ei mentem intellectualem , qua praestat pecoribus* ex qua D. Augustini auctoritate sic concludit Angelicus Doctor (*n*) ; cujus alia luculentissima non affero loca , nè vestrâ abutar patientiâ ; *ea ergo quae non habent intellectum , non sunt ad imaginem Dei* per quae tamen , licet succinctè adducta , palam innuitur , in omni & solâ intellectuali naturâ imaginem Dei reperiri .

Phil. Unum excipio ex iis quos in rem hanc adduxisti , Patribus , nimirum D. Augustinum , qui ut nosse debes (*o*) inquit . *Hanc imaginem in Spiritu mentis impressam , perdidit Adam per peccatum* , si

 itaque

(l) *Lib. de Haeres. haer.* 86. (m) *Lib. 6. de Gen. ad lit. c.* 12. (n) *Quaest. 93. art. 2.* (o) *Lib. 6. de Gen. ad lit.*

itaque Adam perdidit illam, non est illa inamissibilis ab homine, nec fundatur in aliquo, quod ipsimet homini secundùm Animae naturam conveniat.

Crit. Laudo promptitudinem responsionis, sed non hinc doctrinam approbo; mirum potiùs mihi est, quod non reflectas, ad libros retractationum illius D. Augustini, cui te addictissimum profiteris; Scias ergo illum eundem D. Augustinum, qui à te modo relata scripserat, citato à te loco, postmodùm ea retractasse dicendo (*p*), quod ut verum sit quod ibi dixerat, sic accipiendum est; Non quasi in Adamo peccante nulla remanserit Dei imago, sed quod illa per peccatum tam deformis effecta fuerit, ut reformatione indiguerit; Ex quibus constat plane, Imaginem Dei in Animâ Spirituali hominis, esse indeperdibilem: Quod si vellem ex Augustino luculentiùs ostendere, quod secundo loco praemonui, possem afferre ipsum dicentem (*q*) *Ubi factus est homo ad Imaginem Dei? In intellectu, in mente, in interiori homine* & nè respondere posses D. Aug. loqui de interiori homine quantùm ad moralia, non verò quoad naturalia ejus, audi, dicerem, audi Augustinum se expressè (*r*) explicantem sic. *Homo ad imaginem Dei factus esse dicitur secundùm interiorem hominem*, vide de quo interiori loquatur, num videlicet morali & libero, an potiùs naturali & necessario. *Ubi est ratio & intellectus*. Quare cum Ratio & Intellectus essentialiter conveniant homini secundùm Animam, Imaginem Dei, quae est in homine repo-

(p) *Lib. 1. retract. cap. 24.* (q) *Trac. 8. in c. 4. Ep. 1. Joa.* (r) *Lib. 1. de Gen. cont. Manich.*

reponit evidenter Augustinus, sicut alii Sancti Patres communissimè, in praedicato aliquo essentiali Animae Spirituali hominem informanti; Sed ne tibi & Aristippo molestus sim, haec sub silentio pertransco.

Praemoneo denique, quod licet imago Dei, ad quam creatus est homo, si in proprio, & naturali sensu accipiatur, fundata sit in ipsâ Animae humanae naturâ; Potest nihilominùs in aliquo alio, partialiter tamen, & incompletè, aut in sensu morali collocari, & exponi, sicut nonnunquam Sancti Patres, & Divini Verbi interpretes illam partialiter collocant, & moraliter exponunt; Sed multiplex Sensus, in quo res aliqua explicari possit, non officit genuino & principali Sensui, in quo res illa accipi, & explicari debet. Hisce praemonitis sic. Et solae, & omnes Creaturae intellectuales sunt ad imaginem Dei, solae siquidem inter caeteras Creaturas, & suprà ipsas, in ipsâ intellectuali naturâ, speciali modo imitantur Deum, nam ut ait S. Aug. (s) *Quae sapiunt vel intelligunt, ita sunt Deo similitudine proxima, ut in Creaturis nihil sit propinquius*. Ex quo deducit Angelicus Doctor. *Ergo patet, quod solae intellectuales Creaturae propriè loquendo sunt ad imaginem Dei*: Atqui solae & omnes Substantiae Spirituales sunt Creaturae intellectuales; Ergo solae & omnes Substantiae Spirituales sunt ad imaginem Dei; Subsumo; Sed si Brutis inest Anima Spiritualis, inest pariter Anima intellectualis, adeòque sicut in numero entium Spiritualium, ita & in numero intellectualium

(s) *Lib. 83. quaest. quaest. 51.*

lium sunt reponenda; Ergo Bruta forent propriè loquendo ad imaginem Dei; Quod quidem consequens, cum ex unâ parte legitimum, ex aliâ absurdissimum sit, planè constat Animam Spiritualem Brutis non inexistere, nec ipsis inexistentem, posse cum veritate doceri.

Phil. Duo itaque complecteris mox facto argumento Critophile. Primò videlicet, Animam Spiritualem Brutorum esse intellectualem; Secundò, Animam Spiritualem & intellectualem Brutorum esse ad imaginem Dei; Sed nullo negotio utrumque refello, & primò primum. Vel nomine Animae intellectualis, intelligis Animam sufficienti praeditam lumine, ad res Corporeas ac sensibiles cognoscendas, ac differendum de illis, ita ut ad altiora cognoscenda evehi nequeat; Et in hoc sensu, do tibi Animam etiam Spiritualem Brutorum, & esse & dici debere intellectivam. Vel nomine Animae intellectualis, Animam accipis eo illustratam lumine, quod Deus super homines signavit, cujus beneficio adjuvatur homo ad Deum, divinasque res dignoscendas, sentiendasque probitatis regulas; & in hoc sensu quis hominum ambigat, Animam Brutorum, Spiritualem licet, non tamen esse intellectivam? Neque arbitraria est distinctio ista, sed fundata in D. Augustini, & D. Bernardi doctrinâ, quorum primus sic scribit, (t) si tamen verus est Augustini foetus liber ille. *Hominem ex Animâ & Corpore constare nulli est dubium ... Sed rursus in eâdem Animâ duo quaedam videntur; unum quod amans divina intelligit, & participat rationi,* ac

(t) D. Aug. lib. 21. Sent. cap. 6.

ac dicatur rationale; Aliud quod sensibus, fruens belluis etiam communicat, ac sit irrationale. Posterior autem non absimili modo differit : (*u*) *Alius est intellectus ex vi naturalis rationis , alius ex virtute mentis rationalis ; Intellectus quidem idem ipse est , qui quocumque sive in bonum , sive in malum applicatus fuerit , naturaliter viget , sed alius invenitur sibi relictus , alius à gratiâ illuminatus ; Ille saeculi rebus se non negat ; Hic autem non nisi dignis se rebus, & similibus sibi , se ipsum accommodat* . Duas ergo veluti naturales facultates in eodem hominis intellectu , duos quasi intellectus in humanâ mente concipere debemus, alium qui sibi relictus, ex vi rationis naturalis corporalibus duntaxat , ac sensibilibus rebus occupatur ; Alterum qui gratiâ illuminatus , ex virtute mentis rationalis divina intelligit , & diligit .

Ex his autem , quod secundo loco proposueras , similiter everto ; Siquidem quando dicitur homo esse ad imaginem Dei secundùm mentem , seu Rationem , non accipitur ratio secundùm ampliorem hujus vocabuli significationem , prout scilicet rationis nomen, se extendit ad illam etiam facultatem , quâ res corporales , & sensibiles attingimus, & de his differimus, sed consideratâ Ratione pro lumine illo vultus Divini super nos divinitùs signato , per quod & Deum cognoscimus , & ad piè honestèque vivendum adjuvamur , ut frequens est SS. Patrum doctrina . *In quo factus est homo ad imaginem Dei* ? Inquit. S. Aug. (*x*) *In intellectu , in mente , in interiori homine , in eo quod intelli-*

(u) *D. Bern. Epis. ad Frat. de Mon. Dei* . (x) *S. Aug. trac. 8. in Epist. 1. Joa.*

telligit veritatem, dijudicat justitiam, & injustitiam; novit à quo factus est, potest intelligere Creatorem suum, laudare Creatorem suum; Ideo multi, quum per cupiditates malas deleverunt in se imaginem Dei, & ipsam quodammodo flammam intelligentiae perversitate morum extinguerent, clamat illis Scriptura: Nolite fieri sicut equus & mulus &c. Clemens Alexandrinus haec scribit: (z) *Hominem ad imaginem Dei esse factum ... Quoniam uti Deus ratione molitur omnia, sic homo qui perfectâ cognitione praeditus est, ex rationali facultate, bonas & honestas actiones exequitur.*

Hos inter Sanctos Patres, quorum ut dixi frequens est haec doctrina, audi Firmianum Lactantium qui perpulchrè sic loquitur (a) *Quis tam indoctus ut nesciat? Quis tam imprudens ut non sentiat, aliquid inesse in homine divini? Nundum venio ad virtutes animi, & ingenii, quibus cum Deo manifesta cognatio est. Nonne ipsius corporis status, & oris figura declarat, non esse nos cum mutis pecudibus aequales? Illarum natura in humum, pabulumque prostrata est, nec habet quidquam commune cum Coelo, quod non intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi ad contemplationem mundi excitatus, confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoscit. Propterea nullum est animal (ut ait Cicero) praeter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei. Solus enim sapientiâ instructus est, ut Religionem solus intelligat; & haec est hominis, atque Brutorum vel praecipua, vel sola distantia.*

Aliis denique sexcentis ommissis audi quid inquiat

(z) *Clem. Alexand. lib. 6. Strom.* (a) *Lib. 7. de ira Dei.*

quiat clarissimus vir Augustinus Torniellus (*b*): *Post illa verba, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, continuo subjungitur, & praesit piscibus, & volatilibus Coeli, & Bestiis, universaeque terrae. Ex quibus videtur indicari, in hoc potissimum esse accipiendam hanc imaginem, & similitudinem Dei, quod quemadmodum ipse Deus verè est finis omnium, ita homo est quodammodo finis cunctarum rerum saltem sensibilium*. Cum ergo Bruta, non eâ polleant intellectivitate, in quâ juxtà SS. Patres sita est Imago Dei in homine; Cumque ipsemet homo, sit potissimùm ad Imaginem Dei, ut modo retuli, in quantùm ipse est finis rerum omnium sensibilium, Bruta nihil habent, per quod cum veritate dici possint, esse ad Imaginem Dei.

Arist. Egregiè more tuo locutus es Philadelphe; Sed patere ut Critophilum respondentem audiamus.

Crit. Magnam, & speciosae frontis, erexisti Philadelphe Machinam, sed vereor nè erexeris super arenam. Incipiamus à posteriori, utpotè recentiori responso, & postea regrediemur ad primum: Ratio, inquis, secundùm quam homo, factus dicitur ad Dei imaginem, non est accipienda nisi in hoc sensu, quatenùs nimirùm importat lumen signatum à Deo super nos, quo mediante, & honestae vitae normam, & Deum Creatorem edocemur, juxtà SS. Patrum mentem; Attamen in primis, fateor me non videre, quo polleat fundamento, responsio ista. Nam D. Augustinus, loco à te mox citato, non loquitur de Imagine propriè

 tali,

(b) *Torniell. Annal. sac. 1. Mun. aetate die 6. n. 7.*

tali, saltem in subsequentibus ubi ait. *In eo quod intelligit veritatem &c.*, cum enim loquatur ibi de Imagine Dei, quae potest per malam hominis voluntatem aboleri, consequens manifestè est, quod licet loqui cæperit de imagine strictè sumptâ, eandem posteà promiscuè acceperit, in quantùm confunditur cum merâ similitudine: Quae quidem utpotè in ornamento Gratiae, & virtutum moralium exercitio consistens, per malum liberi arbitrii usum, potest deperdi. Caeterum D. Augustinus, ubi loquitur de Imagine Dei in homine strictè acceptâ, illam constanter reponit in ipsâ intellectuali hominis naturâ; Quod si alicubi visus est docuisse, Imaginem Dei in homine, sitam esse in aliquo accidentali, esseque proinde amissibilem, id postea expressè retractavit, ut antea dixi, & debes meminisse.

Quod attinet ad Clarissimum virum Augustinum Tornielli, quem omni eruditionis & doctrinae ornamento fulgentem conspicio, veneror que, admitto equidem, Hominem, in hoc etiam sensu dici posse ad Imaginem Dei, prout nimirùm sicut Deus est finis omnium, sic homo est finis non quidem omnium, sed sensibilium saltem Creaturarum; Sed tamen intrepidè inficior, hunc esse vel unicum, vel praecipuum sensum, in quo dicendus sit Homo, ad Imaginem Dei Creatus. Praecipuus siquidem sensus, quo dicitur homo ad Imaginem Dei, iste est, ex Sanctis Patribus quos supra retuli; Scilicet quod Homo sit in ordine rerum, & substantiarum Spiritualium quòad Animam; Quod adeo certum, fixumque est D. Augustino, ut in uno eodemque sermone (c) loquens de imagine Dei

(c) *S. Aug. lib. 7. de Gen. ad lit.*

Dei, ad quam conditus eſt homo , repetat quater , quod imago Dei in homine , *niſi ſecundùm Animam rectè intelligi non poteſt* . Cum itaque , ordinatio Creaturarum ſenſibilium ad hominem , ſit gratis à Deo facta , non homini qua homo eſt , naturaliter debita , ſi juxta apertiſſimam praecipuorum SS. Patrum doctrinam , potiſſima ratio imaginis Dei in homine , in Animâ conſiſtit , jam non in hoc , potiſſimùm ſaltem , eſt accipienda . *Quod quemadmodum ipſe Deus* &c. *ita homo ſit quodam modo finis* &c. in hoc etenim ſenſu, nec unicè nec principaliter conſiſtit , Dei in , homine imago .

Ariſt. Verè non oportet eſſe judicem unâ tantùm parte auditâ ; Videbaris enim mihi , rem magnam praeſtaſſe Philadelphe, ſed audito Critophili reſponſo, quae à te dicta ſunt, evaneſcunt prorſus ; Et ſi, paulisper me quoque audire non piget, addo unum verbulum Critophili dictis . Imago Dei , ad quam homo eſt creatus , ut ex Scripturis , & Sanctorum Patrum auctoritate docemur , tam altè inſidet homini , ut ſemper in illo vivente remaneat , nec mortuo deleatur ; Atqui ſi in imperio , homini conceſſo ſuper res ſenſibiles , ſeu in ordinatione rerum ſenſibilium, ad hominem tanquam ad finem , ſi non ultimum , ſaltem proximum , talis imaginis ratio conſiſteret , quamvis remaneret in homine vivo , deleretur tamen in mortuo ; Nec enim ad hominis mortui bonum, ordinata ſunt entia ſenſibilia , nec homo mortuus, eſt finis propter quem res ſenſibiles vigent ; Ergo non in eo , propriè loquendo , ſita eſt imago Dei in homine , quod homo ſit finis , propter quem res ſenſibiles

creatae sunt; In eo proindè, est homo ad Imaginem Dei, quod habet Animam Spiritualem intellectivam.

Crit. Gratias tibi Aristippe, quod ingenii tui acumine, detexisti quod me latebat, & si permittis, prosequor caeteris respondere. Nihil ergo, nihil omninò me movent verba Lactantii Firmiani dicentis (*d*) *Solus enim homo sapientiâ instructus est, ut Religionem solus intelligat, & haec est hominis atque Brutorum, vel praecipua, vel sola distantia*. Nisi enim intelligantur de distantiâ morali, non habent veritatem; Quia homo, per naturam suam, seclusâ etiam Religionis intellectione, à brutis quàm maximè distat; Alioqui Atheus, qui nullam intelligit Religionem, (si tamen verè possibilis est) nè dùm moribus, sed etiam naturâ minimè distare, dicendus foret à belluis.

Phil. Scias tamen Stanislaum Hosium S. R. Ecclesiae Cardinalem, postquam retulit quaedam à Lactantio conscripta, (*e*) quae hominem inter & bestias, analogiam & discrimen ostendunt, sic postea de suo concludere (*f*) *Quid igitur esse dicemus, quo maximè discerni possunt homines à pecoribus? Non ratio, non oratio, non prudentia, non alia quaecumque; Sed sola est Religio, quae nos ab illis secernit*.

Crit. Jam pridem id noveram; Ast quid inde? Quis vel leviter suspicetur clarissimum virum, pietate & doctrinâ, non minùs quàm dignitate, eminentissimum, isthaec tuo in sensu scripsisse? Nescjit fortè, talis ac tantus vir, hominem solum, Animal

(d) *Lactan. Firm. cap. 7. de ira Dei.* (e) *De ira Dei c. 7.*
(f) *Stanis. Hos. in Proem. ad Confess. Cathol.*

mal esse rationale , & per hoc ex ipsâ ejus naturâ , maximè discerni à pecoribus ? Quid ergo sibi volunt ea verba ? *Sola est Religio , quae nos ab illis secernit* . Nisi hoc unum , quod secernimur à Brutis per Religionem , quoad meritum boni operis , quoad fructum verae gloriae ? Quid enim prodest homini , ad altissimum finem divinitus ordinato , esse hominem , si homini non insit Religio ? Quare piè doctèque ait Cornelius à lapide (g) *Coelo nati , Coelo creati sumus , hic finis , hic scopus noster , ab hoc si aberremus , frustra homines sumus , frustra coelum solemque suspeximus , satius foret , bruta aut saxa fuisse* . Secernimur itaque , secernimur quotquot homines sumus , à Brutis per rationem , secernimur oratione , secernimur prudentiâ , & super ea , in aliis etiam excellimus; sed non juvat consequendo fini, ad quem conditus est homo, secerni à Brutis per Rationem , nisi ratio sit subjecta Deo ; Vel per Orationem seu discursum , nisi ista sit conformis , & naturae legibus , & mandatis Dei ; Vel per prudentiam, si sit prudentia Carnis, & non potiùs secundùm Deum : Hoc in sensu , & non alio, verum est , quod sola Religio, nos à Brutis secernit, nec enim , nisi temerè negari potest , quod verissimè ajebat D Augustinus (b) : *Sensu nos bestiae multae superant , mente autem , ratione , & scientiâ nos illis Deus praeposuit* .

Attamen admiror vehementer , te in perscrutandis SS.Patribus, virum alioqui diligentissimum , tantùm Lactantio Firmiano deferre , ut ex ejus doctri-

(g) *Cornel. à Lap. comment. in Genes. c. 1.* (h) *S. Aug. lib. de quantit. an. cap. 28.*

doctrinâ controversiam hanc dirimere, non ambigas; quamvis enim in ipso, & ingenii pernicitatem, & Tullianam dicendi facundiam commendem, novi tamen, sicut & tu nosse debueras, pluribus ejus doctrinam scatere erroribus, ita ut Gelasius primus, in Concilio Romano, non immeritò pronunciaverit. *Opuscula Lactantii, apocrypha*. Et inclitum illud lumen Societatis Jesu, Cardinalis Bellarminus, in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, de Lactantii Firmiani operibus disserens, scriptum reliquerit. *Quemadmodum ad eloquentiam Tullianam accedunt, ita erroribus variis sic deformata sunt, ut non sine causâ Gelasius Papa in Concilio Romano, apocrypha censeri voluerit*. Unum tamen est, quo excuseris, quia videlicet malam, quam defendere suscepisti causam, meliori non vales auctoritate munire.

Arist. Opus est Critophile, ut Auctoritatem D. Clementis Alexandrini, cujus oblitus esse videris, tibi non officere ostendas.

Crit. Opportunè monuisti me, verè enim è memoriâ exciderat. Sed incunctanter respondeo, S. Clementem eo loci, non de imagine strictè acceptâ, verba facere, sed de imagine, quae confunditur cum similitudine, ex malo arbitrii usu ammissibili, si etenim Imaginem Dei strictè & propriè sumptam, in actuali bonarum ac honestarum actionum exequtione, reposuisse diceretur, consequens fieret, quod cum non omnis homo, cum non semper homo, bonas & honestas actiones actu ponat, non omnis homo, non semper homo esset ad imaginem Dei; Quod quis asserere audeat? Quis

Quis de tanto Patre, sentire ? Quisque verò ex his intelliget, juxta SS. Patrum, sacrorumque Verbi Dei Interpretum genuinam mentem, Imaginem Dei, ad quam factus est homo, consistere in ipsâmet Animâ hominis, quatenus Spirituali & intellectivâ; Quod si quis eorum inveniatur, Imaginem Dei in homine, per aliquod morale, vel per quidpiam aliud, homini liberum, & non in ejus naturâ fundatum, explicasse; eum necesse exponi debere, sine praejudicio Imaginis Dei, inamissibilis, ad quam est omnis homo, ad quam est semper homo, sive Deum agnoscat, sive non, sive bene moraliter vivat, sive malè. Sentis hinc Philadelphe quàm falsò, quàm gratis asserueris Imaginem Dei in homine, aut unicè, aut principaliter consistere in aliquo, quod ab hominis voluntate dependeat, & non potius in ipsâ Animae humanae naturâ; Et nè amplius errandi tibi causa remaneat, lege precor Angelicum universalis Ecclesiae Doctorem (*i*) reperies enim, & disces, quod cum homo secundùm intellectualem naturam ad Imaginem Dei esse dicatur, secundùm hoc est maximè ad Imaginem Dei secundùm, quod intellectualis natura Deum maximè imitari potest; Imitatur autem intellectualis natura maximè Deum, quantùm ad hoc, quod Deus se ipsum intelligit & amat; Unde Imago Dei tripliciter potest considerari in homine; Uno quidem modo, secundùm quod homo, habet aptitudinem naturalem ad intelligendum & amandum Deum, *& haec aptitudo consistit in ipsâ naturâ mentis, quae est comunis omni-*

(i) *D. Th. Q.* 93. *art.* 4.

omnibus hominibus. Alio modo secundùm quod homo, actu vel habitu, Deum cognoscit & amat, sed tamen imperfectè; & haec est Imago per conformitatem gratiae. Tertio modo, secundùm quod homo Deum actu cognoscit, & amat perfectè; & sic attenditur Imago secundùm similitudinem Gloriae: Unde super illud Psal. IV. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, Glossa distinguit triplicem Imaginem, scilicet Creationis, & Recreationis, & Similitudinis; Prima ergo Imago, invenitur in omnibus hominibus, & est Naturae; Secunda in justis tantùm, & est gratiae. Tertia solùm in Beatis, & est Gloriae; Stat ergo inconcussum, Imaginem Dei, ad quam, non solus est Justus per gratiam, non solus est Beatus per Gloriam, sed omnis homo Creatus est, sitam esse in ejus Animâ, quatenus Spirituali, & intellectivâ.

Opus modo est tantisper scrutari, quod primitùs respondebas; Nimirum Brutorum Animam ut ut Spiritualem, non tamen esse intellectivam, eo sensu, quo valeat vel morum regulas discernere, vel Deum etiam ut purè Authorem naturae intelligere; Esse verò intellectivam, si nomine intellectus, accipiatur facultas illa, qua res corporales & sensibiles percipiuntur, & de illis differitur. (*k*): In primis itaque fateor, me non videre quâ cum veritate, Anima Brutorum, Intellectiva rerum saltem materialium, esse dicatur; Notum enim est quod *Intelligere* idem sonat ac *intus legere*, ex quo Angelicus Doctor colligit differentiam Intellectus & Sensus, non minùs verè quàm subtiliter

(k) *Dial. 4. An. Brut. vindic.*

liter inquiens : (*l*) Quod cognitio sensitiva, occupatur circa qualitates sensibiles exteriores, cognitio autem intellectiva, penetrat usque ad essentiam rei, objectum enim intellectus est *Quod quid est*; Sunt autem multa genera eorum, quae interiùs latent; Ad quae oportet cognitionem hominis quasi intrinsecùs penetrare; Nam sub accidentibus latet natura rei substantialis; Sub verbis latent significationes verborum; Sub similitudinibus & figuris latet veritas figurata, res enim intelligibiles, sunt quodammodo interiores, respectu rerum sensibilium, quae exteriùs sentiuntur; Et in causis latent effectus, & è converso, unde respectu horum omnium, potest dici intellectus; Cum autem tu ipse, Philadelphe concedas, quod Bruta Animalia sensibilibus rebus tantùm fruantur (*m*) concedis itidem non ea se extendere, ad id quod latet, sub sensibilibus; Fruitio siquidem coarctata ad sola sensibilia; Non se extendit ad insensibilia & intelligibilia, consequenter vel invitus concedis, Bruta in nullo sensu esse intellectiva, licet sint sensibilium, qua merè talium, cognoscitiva.

His positis arguo: Omnis Substantia Spiritualis est vivens; triplex autem tantùm, vel ad summum, invenitur vitae genus, nempe vegetativae, sensitivae, & Intellectivae; Sed nulla Substantia Spiritualis est per se in genere vitae vegetativae, vel sensitivae; Ergo omnis Substantia Spiritualis est in genere Vitae intellectivae. Sub

Q sumo.

(l) *Secunda secundae Q. 8. art. 1. in corp.* (m) *Dial. 4. An. Brut. Vindic.*

ſumo; Atqui Anima Brutorum non eſt intellectiva, nec enim Bruta ex accidentibus dignoſcunt rerum naturas & eſſentias, neque ex verbis ſignificationem, neque ex effectibus Cauſas, vel ex Cauſis effectus, in quâ cognitione, conſiſtit ipſum *Intelligere* Animae Corpori alligatae; ergo Anima Brutorum, non eſt Subſtantia Spiritualis.

Sed gratis concedamus, Bruta eſſe verè & propriè intellectiva rerum materialium; Peto nihilominùs, an illorum vis intellectiva verſari tantummodò poſſit circa materialia objecta, an ſe etiam extendere ad objecta immaterialia, & ad Deum ipſum ſaltem Authorem naturae?

Phil. Placuit illi, qui omnia in ſapientia fecit, (n) immateriales quidem aliquas Subſtantias, ordinare ad immaterialia etiam objecta attingenda, alias verò aptas facere ſolis materialibus cognoſcendis; Et cum hujuſmodi ſint Brutorum Animae, quid mirum, ſi ad immaterialium objectorum, vel ad Dei cognitionem nequeant pervenire, vel regulas morum attingere? Nè autem arbitrariam putes reſponſionem hanc, audi quid inquiat D. Bernardus (o) de Spiritu Brutorum loquens. *Irrationalis nempe Spiritus, etſi corporalia per corpus & ipſe hauriat, corpore tamen ſuo non adjuvatur, ob innatam ſtoliditatem ad Spiritualia & intelligibilia capeſſenda.*

Crit. Quoniam reſponſionem hanc tuam, arbitrariam appellari non vis, non illi hanc notam inuram; Verùmtamen vel auctoritate inniteris, vel

(n) *Dial.* 4. *An. Brut Vindic.* (o) *S. Bern. Serm.* 5. *in Cant.*

vel ratione? Si auctoritate; Qualis sanè est ex D. Bernardo Spiritus, seu Substantia Spiritualis, cui Stoliditas, tanquam aliquid naturae proprium, innata est? Sed multa non moror pro modo, quoniam de mente D.Bernardi, quò ad hoc punctum scrutandâ, se le nobis expressior occasio offeret: Si autem rationi; Quam quaeso adfers? Cum unicè pro re hactenùs inauditâ adstruendâ, recurras ad placitum Dei? Scimus utique, quotquot homines sumus, & ea inter quae versamur, inspicimus, scimus inquam, Deum omnia in Sapientiâ, omnia in numero, pondere, & mensurâ fecisse; Sed ex hoc ipso, quod omnia summâ cum sapientiâ, rectissimoque cum ordine fecit Deus, novimus planè nec ipsum, quae genere nobiliora sunt, propter ignobiliora creasse, nec ad ignobiliora, tanquam ad proprium finem, devinxisse; Etsi enim creaverit Deus corpora coelestia, quae in haec inferiora, & ut in haec inferiora influant, corpora tamen sunt, & intrà corporeae Substantiae genus contenta; In hoc autem, quod corpora corporibus serviant, nulla certè apparet inordinatio, imò rectissimus ordo. At verò quò ad hoc, quod Substantia Spiritualis, in gratiam solius corporis creata sit; Ut non aliter sibi ipsi valeat deservire, quàm serviendo corpori; Ut non alia possit intelligere, velle, & amare, nisi corporalia; Quicumque planè Spirituali animatur Substantiâ, foedam deordinationem animadvertet. Quale enim est hoc, quod id quod est genere nobilius, propter aliquid longè inferius, creetur, tanquam propter finem sibi proprium? Quodve id, quod utpote Spirituale ad

Spiritualia, quantùm est ex naturâ suâ potest assurgere, solis terrenis, solis corporalibus occupatum, cognitione non minùs quàm affectu, detineatur? Si Doctrina quae ista venditat sanior est, quae nam sit falsa, ignoro.

Phil. Quam quaeso hinc inordinationem arguis (*p*)? Bene nè loqui illum admitteres, qui Aurigam famulari equis assevueraret, quum istis ille cibum praebet, & potum, lectum parat, eosdem pectit & lavat? Haud sanè; Omnibus enim compertum est sanae mentis hominibus, Aurigam equis ea omnia impendere ut Domino suo exactè famuletur, ad cujus usum, & commodum equi deserviunt; At verò, quem hominum unquam latuit bestias omnes ita à naturâ esse comparatas, ut nobiliori Spiritui, humano nimirum, inserviant, cujus subveniendis necessitatibus, tàm diversas Brutorum Animalium species D. O. M. conformavit, ut uno ore clamant SS. Patres? In quo sanè tantùm abest, ut aliqua appareat inordinatio, quin potiùs & nos Deum laudare compellimur, utpote qui non substantias tantùm materiales, sed immateriales etiam condiderit, alias aliis ignobiliores, ut una alteri deserviat, & sit proficua.

Crit. Miror quod hoc totum, ex jis quae refert Panyasis (*q*), roborare non studueris; Scribebat siquidem Deos hominibus serviisse subactos.

Pas-

(p) *Dial.* 4. *An. Brut. vindic.* (q) *Apud Clem. Alexan. in Admon. ad gent.*

Passa Ceres, passusque insignis Mulciber, estque
Passus Neptunus, passusque est Phaebus, Apollo
Mortali ipse suas operas mercede locavit
Passus Marsque ferox, irato à patre coactus &c.

Si enim absurdum non est, vel Deos, & quidem coactos, subjici hominibus, quid in hoc erit absurditatis, aut deordinationis, quod Substantia Spiritualis subdatur corpori, & ad hunc ipsum finem creata sit, ut serviat illi? Mirificè enim alienâ fabulâ, confirmasses & tuam. Sed tua jam perpendamus responsa: Auriga, ajebas, sine ullâ rerum deordinatione, pectit equos &c. ut domino suo deserviat; Ergo nulla in hoc est deordinatio, quod Substantia Spiritualis deserviat corpori, ut ita deserviat homini. Ineptitudinem argumenti hujus, ut clarè percipias, dicas mihi: Auriga ille qui pectit equos, lavat &c., praestat nè haec munia quatenùs homo, an quatenùs, ex accidentali conditione est addictus alterius hominis mancipio? Haec quidem non praestaret, nisi esset homo, sed tamen non ea praestat in quantùm homo, quasi proprium hominis sit ista praestare; Peragit itaque haec omnia in quantùm praecisè famulus est. Peto rursus. Auriga ille, est nè propter hunc finem creatus, ut pectendo & lavando equos &c. hero suo famuletur? An propter aliquem excellentiorem finem, ejus naturae consentaneum? Hoc postremum concedes, inficiabere primum; Hoc inquam postremum concedes, nam prescindendo pro nunc ab eo Altissimo, ac supernaturali fine, ad quem ex infinitâ

finitâ Dei munificentiâ, ac bonitate, gratis & gratiosè elevatus est homo; Homo ipse quatenùs Animal est rationale, seu quatenùs Spirituali Animâ praeditus, etiam in statu naturae purae relictus (cujus quidem status possibilitatem contrà Jansenium suosque, non audebis respuere) habuisset pro ultimo fine suo, non extrinsecùs & gratiosè assignato, sed intrinsecùs, & naturaliter à naturâ rationali praecisè quà tali, postulato, visionem Dei, non quidem claram & intuitivam, quâ verè fruuntur Beati in Patriâ, sed abstractivam; Talem tamen quae quietativa fuisset, omnis ejus rationalis appetitus, utpotè inscìis de eâ possibilitate intuitivae visionis Dei, quae non per naturale lumen dignosci potest, sed unicè credi per lumen fidei.

Optimus hinc apparet, rerum omnium à Deo creatarum ordo, per quem videlicet, ita omnes propter Deum, seu Gloriam Dei creatae sunt, ut quamvis, aliae aliis deserviant, finem tamen habeant singulae, earum naturae consentaneum & proportionatum, vel cui deserviant, vel quo fruantur: Atque ut in veris Spiritualibus substantiis sermonem contineamus, quae citra omnem dubitationem existunt: Creavit Deus Spirituales substantias, ab omni materiae informatione solutas, atque omnimodè independentes, quas formas simplices dicimus, & Angelos nominamus; Quamvis autem millia millium Angelorum creaverit, quorum unus alteri praestet in naturâ, alter alterius, inferior nempe superioris, illustratione indigeat, & obsequatur imperiis, quorumque infiniti propemodum, in Ministerium missi sunt, & mittun-

tuntur, propter homines qui haereditatem capiunt salutis, seu reparandis rebellium Angelorum ruinis, coelestibusque occupandis sedibus creati sunt, & creantur; Nunquid tamen, vel supremum, vel medium, vel infimum Angelum ita destinavit Deus alicui Ministerio, ut non etiam ordinaverit ad finem Substantiâ Spirituali dignum, quove Substantia ipsa Spiritualis frui posset, nè dum fine ullo nobilissimae Creaturae praejudicio, sed potiùs cum summo ac proprio, nativoque Spiritualis naturae, honore pariter & gaudio? Haud sanè; Immo omnes propter se ipsum, tanquam propter finem ad quem tenderent per gratiam, quo fruerentur per gloriam, creavit.

Creavit Deus hominem & ad imaginem & similitudinem suam fecit illum; subjecit illi volucres Coeli, pisces maris, & omnes bestias terrae, terraeque universae donavit imperium; Ast ad hunc nè tanquam ad praecipuum aut ultimum finem, condidit Deus hominem, ut corporeis rebus frueretur, dominareturque? Quis hoc dicat, nisi plane desipiat? Habet, habet homo alium excellentiorem finem, ad quem conditus est, nimirum, ut bene utens terrenis, obtineat coelestia, ut ritè utens temporalibus, bona consequatur aeterna; Pectat jam homo, lavet, pascat equos, tondeat oves, scindat vomere terram, & alia hujusmodi praestet, humano victui vel necessaria, vel commoda saltem, & utilia; nulla hinc recti ordinis naturalis perturbatio, cum non aliud id sit, quàm parare & assumere media ad finem conducentia, media videlicet corporalia, quae corporales infirmitates

& la-

& labores, vel praecaveant, vel minuant, vel sanitati, vitaeque corporali servandae deserviant; Ita ut tamen, nec ipsa corporis humani vel salus, vel vita, sit ultimus hominis finis, nec enim ideo vivit homo, ut vivat, sed ut bene moraliter vivendo in tempore, vivat felix in aeternitate, felicitate quidem supernaturali, in praesenti Providentiâ, vixisset enim felix felicitate eternâ, sed naturali in aliâ Providentiâ, in quâ quidem, homo non fuit, potuit tamen esse, cum nihil supernaturale homini, etiam quâ Animal rationale est, debitum sit.

Positis autem his, quae sicut apud omnes verè Catholicos, sic apud omnes Sanioris Doctrinae sectatores certissima sunt, & pro talibus sunt habenda; Quâ porrò ratione, vel puerculis venditet Philadelphus, inveniri in rerum naturâ Spiritualem Substantiam, rationalem & intellectivam, quae creata sit, in gratiam solius corporis; Cui alius non sit praestitutus finis, nisi Informatio, dominatio, & fruitio corporis? Rectusnè naturae ordo postulat, aut compatitur, quod Natura inter omnes Creaturas nobilissima, qualis est quaelibet Spiritualis Substantia, naturae quàm longè inferiori (qualis est Substantia corporea & materialis) subdita sit & famuletur? Hocque non ex pravâ liberae voluntatis deordinatione, sed ex ipsâ ordinatione naturae? Quis sanè, nisi anticipatae sententiae praejudicio obcaecatus, dicat, Placuisse Deo, quasdam Spirituales Substantias ad sola materialia ordinare? Quis enim consiliarius ejus fuit? Ubi nam revelavit hoc Deus? Quo fundamento, res tàm inconcinna pronunciatur?

Non

Non ſic , non ſic de Spirituali naturâ , divino aflatus Spiritu loquitur Apoſtolus ; Non ſic de eâdem Sancti Eccleſiae Doctores unquam ſenſere . Hortatur Apoſtolus Galatiae Populos (r) ut non carnis deſideriis obediant , ut non ſinant ſe abduci paſſionibus ſuis , ſed recto virtutis tramiti fideliter inſiſtant ; Sed quo putatis hortetur argumento ? Utique iſto . *Si Spiritu vivimus , Spiritu & ambulemus* brevis ſermo , ſed efficax , dignaque Doctore gentium ſententia , quâ videlicet ex ipsâ Animae Spiritualis nobilitate, homines excitat, nè ſe corporeis voluptatibus dedant , ſed amplexentur honeſta ; *Si Spiritu vivimus , Spiritu & ambulemus* . Ac ſi dicat. Anima qua vivitis excellentiſſimae naturae eſt , eſt enim Spiritualis Subſtantia , oportet autem Spiritualem Subſtantiam corporeis voluptatibus obſiſtere,cum indignum ſit ancillam, Carnem nimirum dominari, & dominam , ideſt Animam Spiritualem Carni ancillari, aequum enim eſt & rationale, ut ea quae generis ſuaptè naturâ nobilioris ſunt,iis imperent,quae ſunt genere inferiora;Turpe autem & irrationale,ut quae viliora ſunt in ſe ipſis,quaſi ſibi ſubactam , detineant Spiritualem Subſtantiam . *Si Spiritu vivimus , Spiritu & ambulemus* . Ajebat hinc non minus pulchrè , quàm verè D. Bernardus (ſ) *Perverſa res eſt & foeda ... Spiritualem & coeleſtem Creaturam ſuos oculos ; Ideſt internos affectus trahere in terram deorſum* .

Phil. Quid ex Apoſtoli dicto , tanta moliris ? Adi Sacros Verbi Dei interpretes , & ſtatim intelliges , non eum loqui eò loci de Subſtantiâ quatenùs

R

(r) *Epiſt. ad Gal. c. 5.* (ſ) *D. Bern. Ser. 24. in Cant.*

nùs entitativè Spirituali, sed nomine Spiritus significare Gratiam, Spiritumque Justitiae quem à Deo per Christum accepimus, huicque hortatur, ut correspondeamus, sequendo impulsum Gratiae, veraeque dictamen justitiae.

Crit. Novi utique praefata Apostoli verba, etiam in sensu à te mox allato explicari. Verùntamen hoc non officit, quominùs etiam ad litteram exponantur de ipsâ naturâ Spirituali. Audi quomodo hunc Apostoli locum *si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus*, exponat Lyranus (t) *Sequendo instinctum Spiritus Sancti, in operibus nostris*, attende Philadelphe quae sequuntur, *vel dictamen rectae rationis, quae etiam dicitur Spiritus &c.* Quasi dicat Apostolus; Si Animam habemus Spiritualem, & ratione pollentem, conformiter opus est operemur ad Animae Spiritualis dignitatem, & ad dictamen rationis: Sed prodeat Mellifluus Doctor, & genuinam Apostoli mentem nobis indigitet. *Magister gentium, ait Sanctus Doctor.* (u) *Magister gentium Paulus, ex occasione ipsius Spiritualis naturae quâ vivimus, ad Spiritualem conversationem excitans discipulos, ait. Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus.* Puto quod audito tanto Ecclesiae Doctore acquiesces Philadelphe; Sed quod nam robur haberet hortatio Apostoli quâ ex ipsâ naturâ Spirituali quâ vivimus, excitat nos ad vivendum Spiritaliter, si ullo absque absurdo, inveniretur Substantialis natura Spiritualis tota dedita corpori & voluptatibus ejus, quaeve non

(t) *Lyran. cap. 6. in Epist. ad Gal.* (u) *D. Bern. T. 1. ser. 23. pag. mihi 1030.*

non obstante excellentiâ naturae suae, rebus tantùm corporeis fruendis destinata esset,& mancipata, ex ipsâ ejus naturâ? Nullum planè; Immo verò quivis homo reponere Apostolo posset. Non bene, ex quo Spiritualem habeamus Animam, mones nos, ut Spiritualiter vivamus; Nulla siquidem est naturae deordinatio,in eo quod Anima,ut ut Spiritualis, vivat tamen carnaliter, nihil Spirituale sapiens, solis corporalibus inhians. Quod si ex ipsâ humanae Animae Spirituali naturâ rectè monet Apostolus homines ut Spiritaliter vivant, sicut de facto rectissimè monet; Videtis porrò Domini mei, quàm temerè, quàm falsò asseratur existere Substantias verè propriéque Spirituales, quae sine ullâ recti ordinis perturbatione, corporalibus vivant immersae voluptatibus, nec ad alium finem sint à Deo creatae, quàm ut vivificando Corpus, serviendo, Corpori, eoque fruendo, usibus deserviant humanis, & succurrant necessitatibus, nullimode verò vivant vitâ quae naturâ digna sit Spirituali.

Arist. Se puto,Philadelphus facilè expediet,repetendo quod primitùs dixerat, quod nempe Bruta, solarum rerum materialium sunt intellectiva; Unde non mirum, si careant fine praestantiori & super materialia elevato. Quare & bene arguit laudato loco Apostolus, quia argumentum sumit à Spiritu humano, qui ad intelligibilia assurgere valet,& assurgit;& injustè opponeret quis Spiritualem Brutorum Animam,quae utpotè in infimo Spiritualitatis gradu constitutâ, nec regulas morum percipere, nec incorporalia cognoscere nata est.

Crit. Facile quidem id dictu est, sed non quod dicitur probare: Apostolus, ex quo vero Spiritu animamur, & vivimus, ad honestè vivendum hortatur nos, *Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus*. Non ait si vivimus Spiritu nobiliori; si Spiritu in hoc aut illo Spiritualitatis gradu constituto, sed unicè & praecisè. Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus, tacitè nimirùm supponens Vitam moraliter rectam, omni convenire Substantiae Spirituali; indignumque & deordinatum, quod Substantia Spiritualis, quaecumque ea sit, actus suos, affectusque omnes, in solis corporalibus, rebusque se ipsâ longè inferioribus occupatos detineat. Facilè dicitur Animam Brutorum, Spiritualem licet, solis cognoscendis diligendisque materialibus rebus, aptam esse, sed ....

Arist. Parce Critophile si ceptum abrumpo sermonem: Fervet meridies hora prandendi est, satis pro modo concertatum sit, non tamen satis sit, humanissimae huc usque praestitae mihi societati vestrae; volo ut hanc mihi prandenti quoque praestetis. Placent nè tibi Critophile pisces sive marini sive fluviales, & lacuum? Integrum paravi optimis de piscibus prandium, quos selecto Lucensi oleo, diversimodè condiri mandavi.

Crit. Piscibus ego summopere delector; Credas mihi Aristippe; multis jam ab hinc annis de piscibus oleo, & non aliter conditis, mihi semper mensa paratur, eisque lubentissimè vescor; puto autem quod non displicebunt & Philadelpho.

Phil. Utique placet & mihi piscibus identidem uti, ad varietatem tamen.

Arist.

Arist. Omnia jam parata sunt, venite Domini mei, assidete hilares, exhaustosque diuturnâ concertatione Spiritus, restaurate tantisper.

SUBSTANTIA SPIRITUALIS EST INTELLECTIVA IMMATERIALIUM,

Ex hoc Capite Anima *Spiritualis* Brutorum Profligatur.

DIALOGUS QUINTUS.

Philadelphus, Aristippus, Critophilus.

Phil. GRatiis de optimo prandio, primitùs peractis Deo, inde tibi de tuo in nos munificentissimo corde Aristippe; Quoniam una jam cum dimidiâ hora est à prandio, optarem, si placet, ut posthabitis innocuis licet lepiditatibus, quibus nos invicem hucusque detinuimus, rediremus ad Seria; videor enim mihi Critophilum de sibi à se promissâ victoriâ (quae tamen in certam vertenda est cladem) videre exultantem.

Crit. De nullâ unquam praesumpsi victoriâ, nisi quam recta ratio concedit.

Arist. Utique humanissimi viri, non animi

praesumptione, non elatione vocis, non inflatione superbiae, non auctoritate dignitatis, non praeocupatione Sententiae, quaslibet oportet defensare opiniones, sed rectâ tantùm ratione, quae tamen verè sit recta.

Phil. Rectissimâ putarem me procedere methodo, si ostendam Critophilo sui nullitatem argumenti, quod quondam afferebat (*x*) consimili utens ratiocinio. Substantiae materiali generatim consideratae, (*y*) quaelibet extensionis, soliditatis, gravitatis &c. modificatio potest competere; Ergo cuilibet Substantiae materiali etiam secundùm specificum discrimen acceptae, convenire potest modus quilibet extensionis, figurae, motus, gravitatis &c. atque eà propter modi qui aquae competunt, ex. gr., lapidi non repugnant, ii qui proprii sunt ignis, proprii etiam esse possunt nivis &c., nec enim diversimodè arguebat cum, concluderet. Substantiae immateriali generatim consideratae, quaelibet competit cognitionis facultas, quâ non corporeas duntaxat, sed res etiam incorporeas attingat; Ergo Substantiae cuilibet immateriali, etiam secundùm specificum discrimen acceptae, quaelibet competit cognitionis facultas, quâ non corporeas duntaxat, sed res etiam incorporeas percipiat.

Dominus Bayle pari modo argumentabatur inquiens. Quod capax est cogitationis generatim consideratae, capax est cujuslibet; sed bestiae cogitationis generatim consideratae sunt capaces; Ergo

(x) *Dissert. cont. An. Spirit. Brut. Dial.* 3. (y) *Anim. Brut. Vindic. Dial.* 4.

Ergo capaces sunt cujuslibet. Sophisticum tamen discursum hunc demonstravit vir acutissimus Boullerius (*a*) hoc modo. Si recta esset argumentatio Bayle, recta etiam deberet esse haec altera. Ens generatim acceptum, capax est extensionis, vitae, sensus, motus, voluntatis, quoniam haec omnia quaedam sunt entis modificationes; Sed arbor e.g. aut lapis, conveniunt in communi entis ratione; Ergo arbor, aut lapis capax erit motus, vitae, sensus, & voluntatis. Quid hoc consectario absurdius cogitari poterit? Quis unquam Philosophus dixerit, ut id quod generis est particeps, cujuscumque etiam modificationis particeps esse debeat, per quam generis conceptus, in varias species distribuitur?

Tum subdit clarissimus Scriptor: Si hoc ipso, quod immaterialis Substantia, capax est cogitationis, & perceptionis, consequitur cogitationis & perceptionis cujuslibet, esse capacem; nulla amplius esse poterit Substantia immaterialis finita, & creata. Enim verò Substantia immaterialis finita, & creata, in communi Substantiae cogitantis & percipientis conceptu, debet convenire cum Substantiâ immateriali infinitâ & increatâ. Quotiescumque igitur verum sit, immaterialem Substantiam, hoc ipso, quod cogitationis alicujus capax est, cujuslibet probari capacem; Nulla erit Cognitio Dei propria, quae propria non sit immaterialis cujuscumque Substantiae finitae, & creatae; atque ideo cum Deo competat Cognitio, & perceptio infinita, haec conveniet etiam immateriali cuili-

(a) *Boull. Ess. Phil. sur l'am. des bet. par. 2. cap. 4.*

cuilibet Substantiae; Quo fiet Substantiam quamlibet immaterialem, infinitam esse debere; neque enim finita esse poterit Substantia illa, cui competit infinita perceptio.

Arist. Multa es locutus, quae singularem mentis tuae aciem haud obscurè nobis aperiunt; Sed quid hisce respondere valeat Critophilus, audiamus.

Crit. Magna certè mentis acie opus est, ad colorandam veritatis specie falsitatem; Patienter audite me, & quàm vana sint quae modo Philadelphus attulit, ordinatè, & clarissimè demonstrabo. Primitùs ergo vehementer miror, quod tanquam meum protuleris argumentum illud. Substantiae materiali consideratae &c. Revoca quaeso in memoriam, quae à me dicta sunt, (*b*) & nosces tuum illud esse, non meum; Ego siquidem, ut probarem Brutorum Animam, semel ac sit Spiritualis, debere esse simpliciter & absolutè intellectivam; assumebam paritatem ex praedicato *Sensitivum*; Ajebamque, quod quemadmodum praedicatum *Sensitivum* ne dùm convenit Animali genericè dicto, sed cuilibet etiam specificè accepto; Ita pariformiter praedicatum *Intellectivum*, cum conveniat Substantiae Spirituali ut sic, & genericè sumptae, convenire itidem debeat, Substantiae cuilibet Spirituali, in quâvis specie constitutae; Sed in rem hanc, plura nolo supervacaneè adducere, quia

Scili-

(b) *Dissert. contrà An. Spir. Brut. Dial. 3.*

Scilicet odi (c)
Res clarè dictas verbosâ iterare loquelâ

Si huic arguendi modo, habes quod opponas, libentissimè audiam te, sed contrà manifestam veritatem, quid sanè poterit acuta licet, mens, praejudicata, tamen?

Inquis verò. Spiritualis licet Brutorum Anima, est quidem aliquorum intellectiva, sed materialium tantùm, unde egregiè Boullerius, rationem à Domino Bayle adductam, confutavit. Utiliùs certè rem egisses, si à Boullerio, non quidem praefatam contrà Dominum Bayle responsionem; Sed optimum potiùs monitum didicisses (*d*) videlicet. Il faut soigneusement distinguer les usages accessoires, & pour ainsi dire entrangers des choses, d'avec leur fin naturelle & principale. Ex hoc enim, jam pridem intellexisses, quàm irrationabile sit, dicere, ut dicebas hoc manè, Dari in rerum naturâ Substantiam Spiritualem, quae non aliud habeat pro fine suo naturali, principalique, quàm frui corpore, & deservire materiae; Utiliùs inquam egisses, nam & benè concludit Domini Bayle discursus, nec nisi sophisticè urget discursus Boullerii à te mox relatus; Singillatim discutiamus utrumque.

Primò igitur. Substantia Spiritualis intelligens, in quocumque sit Spiritualitatis gradu, potest intelligere nè dum Corporalia, sed & immaterialia,

S

(c) *Plutar. de Garrulit.* (d) *Bouller. Essai Philsoph. Sur l'ame des Bet. Part.* 1. *Chap.* 8.

terialia, & Spiritualia; Capax est dignoscendi naturales regulas morum, immo & ipsum Deum, saltem ut Authorem naturae: Enim verò, puto ita certum, ut à nemine, qui ratione utatur, revocari possit in dubium, quod sicut Sensibilia Sensui, materialia materiali potentiae, sic Spiritualia Spirituali, intelligibilia intelligibili principio, sint per se naturaliter proportionata; Quodve omnis & quaecumque potentia, cognoscitiva, nata apta sit percipere objecta, quae sibi proportionantur; Quae autem major proportio, quàm objecti intelligibilis cum potentiâ intellectivâ; Objecti Spiritualis, cum principio Spirituali? Sane si ridiculum dictu esset, quod detur Auditus per se incapax percipiendi audibilia, Olfactus per se impotens olfacere odora; Non agnosco quâ cum verisimilitudine saltem, dicatur, dari Spiritualem Substantiam, incapacem de se, ineptamque attingere Spiritualia objecta, Animamque verè & omninò immaterialem, quae ad immaterialia vim suam cognoscitivam non valeat extendere: Porrò si repugnans ab omnibus verè Theologis judicatur, posse oculum Corporeum nè dum vi nativâ, sed etiam Superiori vi adjutum, videre Spiritualia, & omnino immaterialia, quia videlicet; Nulla est proportio illius ad ista, aequè repugnans est, posse intellectualem Substantiam, verè & secundùm se incapacem esse, attingendi Spiritualia & intelligibilia; De contrariis enim, opposito modo loquendum est. Si itaque nulla Corporalis Substantia percipere & cognoscere potest Spiritualia; Ergo omnis Substantia Spiritualis, quantùm

ex

ex se est, potens erit intellectivè videre intelligibilia, & Spiritualia; Et ut rem hanc, Sensibili declarem exemplo; Notum est, quamdam inveniri Analogiam, Intellectum inter & Speculum; Nam quemadmodum Speculum, forinsecùs apposita repraesentat objecta, fitque repraesentativè objecta ipsa; Ita intellectus, vitali & perfectiori modo, in sua objecta cognoscitivè, quodammodo transformatur; Quare & verissimè dictum est. Intellectus intelligendo fit omnia: Jam verò, est nè invenire in Universo, Speculum ritè elaboratum, sive aeneum, sive cristallinum, sive vitreum, quod unius tantùm speciei objecta repraesentare valeat, non autem Corpora alterius speciei, etiamsi in debitâ distantiâ sint ei apposita, referre sit capax? An non me, fabulas venditare judicaretis, si vobis enarrarem, alicubi reperiri Speculum ita elaboratum, ut objectorum quorumcumque sibi juxtà-positorum, Imagines exhibere valeat, alia tamen specula debitis licet servatis legibus ei opposita, repraesentare non possit?

Quid mehercle, quid aliud dicit Philadelphus, cum ait, inveniri Spiritualem Substantiam Corporeis quidem rebus dignoscendis aptam, omninò tamen incapacem Spiritualibus objectis percipiendis? Spiritualis Substantia, Spirituale Speculum. Spiritualis entitas, Spirituale objectum est; Si ergo implicans, & fabulosum meritò reputatur materiale Speculum, quod solùmmodo quaedam materialia objecta, non verò quaecumque fuerint ei apposita, valeat repraesentare; Quid ni implicans pariter, & fabulosum censeatur Spirituale

Speculum, ſolis materialibus objectis percipiendis aptum, ineptumque Spiritualibus referendis, vel ad ſola materialia cognoſcenda ordinatum? Nec eſt quod reponas, Animam noſtram, Spiritualem licet Subſtantiam, pro ſtatu tamen alligationis ejus ad Corpus, non poſſe intuitivè cognoſcere entia Spiritualia, & hoc abſque ullo abſurdo, immò potiùs conformiter ad ejus naturam; Conſequenter nec eſſe inconveniens admittere Subſtantiam Spiritualem, materialibus tantùm rebus agnoſcendis idoneam, nec quicquam proinde, paritate à Speculis depromptâ concludi.

Non, inquam, id reponas; Reſponſio enim in promptu eſt; Anima humana utpotè naturalis humani Corporis forma, intelligit, dum eſt conjuncta Corpori, convertendo ſe ad phantaſmata, ſeu hauriendo ſpecies à rebus, (quidquid demum ſint eae ſpecies, de quibus non diſputo, cum ad praeſens inſtitutum non pertineant) quare cum Phantaſmata Corporum, eorumve ſpecies, nihil Spirituale exhibeant, nil mirum, ſi Anima hiſce utens ad cognoſcendum, nihil Spirituale queat videre intuitivè, ut ſic alligata Corpori ipſam aggravanti. Attamen etſi Anima videre intuitivè Spiritum nequeat, ita nè hebes eſt, ut eum nullimodè potens ſit intelligere? Nonne eos Spiritus, quos fide docente, novit exiſtere, nempe Angelos; Quoſve vel fide, vel ratione, agnovit exiſtentes, Deum videlicet, & ſe ipſam, quamvis imaginatione concipiat Corporeos, reflexione tamen intellectuali, ab omni eos phyſicâ materialitate ſeu corporalitate denudat; Nulloque ducen-

te

te sensu, sed solo ducta discursu, ipsa in se ipsam rediens, totamque super materiam elevans, agnoscit; eosdem non esse Substantias materiâ quovis modo compactas? Non ergo, ita materiae immersa est Spiritualis Anima, atque ita dependens à Sensibus, ut ipsa sibi non vindicet operationem aliquam sibi propriam, cui nullatenùs materia communicat, seu non valeat Spiritualia objecta ullatenùs attingere; Cum itaque natura, (ut habet commune proloquium) sit maximè una, si Spiritus omnes quos novimus, tales sunt, ut nè dum Corporalia intelligant, sed & Spiritualia, nonnisi temerè invehitur Spiritualis Substantia ad sola Corporea, suaptè naturâ coarctata.

Omnis ergo & quaevis Substantia Spiritualis, dummodo vera sit Spiritualis Substantia, est potens ex naturâ suâ, incorporea & purè intelligibilia percipere; Et non solùm haec aut illa, sed quaecumque, naturalia tamen, & pro suo, quaeque, modulo, intelligere; Quae enim potior ratio sit, de uno naturali intelligibili objecto, potiùs quàm de alio. Urget mox adducta speculi paritas, urget argumentatio Domini Bayle, & non concludentem demonstro Domini Boullerii alias doctissimi, argumentationem: Primitùs itaque, observares velim Philadelphe, non eandem esse rationem de Ente generatim accepto, ac de Substantiâ Spirituali universaliter sumptâ; Ens etenim ut sic, est genus universalissimum, omnia saltem creata sub se continens, vel creabilia; Nec proin tantùm rerum omnium species amplectens quaslibet, sed etiam quaecumque alia inferiora genera,

in varias species partibilia; Quod autem est generalissimè contrahibile, ab omnibus & quibuscumque differentiis, nullas determinatè differentias quà tales in se includit, sed aequaliter indifferens est ad omnes; Quod verò indifferens est ad omnes sive differentias, sive modos entis, assumi legitimè nequit pro antecedente, ex quo ens aliquod peculiare, vel peculiaris entis differentia inferatur: Notum siquidem est, Metaphysicam vel primo è limine salutantibus, non posse à Genere ritè concludi speciem, vel differentiam speciei; Cum non possit ex antecedente determinatè deduci, quod in antecedente, non determinatè, sed vagè & disjunctivè continetur. Caeterum eâ ipsâ ratione, quâ constat, nullam concludi posse determinatam & peculiarem, speciei alicujus differentiam ex praecisâ ratione Entis; Evincitur abs dubio, praedicata quae propria sunt generis inferioris, propria itidem esse cujuslibet speciei contentae sub illo; Genus enim inferius universalissimo, habet rationem speciei subalternae relatè ad genus supremum, quamvis habeat rationem generis respectu ad infimas species, de quibus praedicatur; Unde & est aliquid potentiale & genericum, si comparetur ad species infimas; & est aliquid actuale & specificum, si inspiciatur per ordinem ad genus supremum; eo ex inde modo, quo species infima, continet praedicata quae communia sunt, iis omnibus individuis, quae illi subsunt; Etiam species subalterna, seu infimum genus, praedicatum saltem aliquod importat, quod proprium sit cuicumque infimae speciei contentae sub illo. Et quemadmodum,

dum, de quolibet individuo ea affirmantur praedicata, quae sunt convenientia suae speciei, infimae; Ita & de qualibet infimâ specie ea verificantur attributa, quae suo generi ultimo convenientia, sunt; Unde non minùs rectè arguitur: Omnis leo est animal rugibile; Hoc animal est leo; Ergo hoc animal est rugibile. Quàm si dicatur exempli saltem gratiâ: Omnis arbor est vivens; Omne animal est sensitivum. Sed cedrus est arbor; Sed equus est animal; Ergo cedrus est vivens; Ergo equus est sensitivus; Nam in primo Sylogismo, praedicatum speciei, appropiatur individuo; In posterioribus, autem, praedicatum toti competens generi, applicatur suis respectivè speciebus, subalterno generi subalternantibus.

Non porrò diversimodè quispiam arguet hoc modo: Omnis Substantia Spiritualis est intellectiva; Sed Anima Brutorum est Substantia Spiritualis ergo Brutorum Anima est intellectiva; Quod si praecedens argumentatio concludens est, cur non & ista? Ast inquies. Distinguo consequens. Est intellectiva rerum materialium, concedo. Materialium, & etiam immaterialium nego. Sed facilè est, gratuitam distinctionem, radicitùs evertere. Sic. Omnis Substantia intellectiva, quae citra controversiam admittitur, nè dum est intellectiva rerum materialium, sed & immaterialium, ut nemo negat, & inductione patet: Substantiae siquidem intellectivae creatae, quarum existentiam, nemo Catholicorum Philosophorum, in dubium revocabit, sunt vel Angeli Supremae, Mediae, & infimae Hirerarchiae, vel rationales hominum Animae;

mae ; Atqui esto Angelus Supremae hyerarchiae perfectiùs intelligat quàm Angelus mediae ; Mediae , perfectiùs quàm infimae , infimae perfectiùs quàm Anima hominis; Angeli tamen omnes , & ipsae etiam rationales hominum Animae ne dùm corporea, sed & immaterialia intelligere valent, & intelligunt , nè dum haec aut illa , sed quaecumque , naturalia saltem , secluso supernaturali lumine ; Ergo omnis Substantia intellectiva quae nobis est nota, non solum materialia potens est intelligere , sed etiam immaterialia , non solùm haec aut illa , sed quaecumque , quae supernaturalia non sint ; Ergo si Anima Brutorum sit intellectiva Substantia , nè dum rerum corporearum , sed etiam incorporearum & purè intelligibilium erit intellectiva .

Ad pleniorem autem hujusce rei elucidationem , tuique Philadelphe argumenti confutationem , non erit abs re tantisper animadvertere , quod res quaecumque, in qualibet specie constituta, duo praesertim importat praedicata , per quae in tali specie primò & per se constituitur , quorum unum habet locum generis , aliud verò differentiae . Praedicatum , quod rationem differentiae habet , ita proprium est peculiaris unius speciei , ut non competat alteri ; Illud verò quod stat pro genere ultimo , tàm competit uni , quàm alteri , & cuicumque speciei, quae claudatur sub illo : Exinde non licet arguere . Leo animal est rugibile ; Sed equus est animal ; Ergo equus est rugibilis ; Quia scilicet , tò rugibilis , est praedicatum conveniens alicui certae speciei animali , non tamen animali cuili-

cuilibet, & prout praecisè animal est; Unde ex puro praedicato Animalis, nequit legitimè, & cum veritate deduci, differentia speciei. Attamen ritè concluditur: Animal habet vim sentiendi; Sed equus est animal; ergo &c. Unde jam, oritur fallacia primi; Unde veritas secundi Sylogismi? Non sanè ex alio, quàm ex hoc; Quod nimirùm in primo, infertur differentia ultima à praedicato generico, quod licet contrahi possit per hanc vel illam, nullam tamen de se determinatè dicit, sed aequaliter ad omnem indifferens est; In secundo autem, deducitur praedicatum, sine quo sicut nullum animal in specie potest inveniri, ita nec animal in genere potest intelligi; Quare cum sit praedicatum animalis etiam genericè accepti constitutivum, verum est dicere, de quocumque verificatur esse Animal, quod itidem verificetur esse Sensitivum. Pariformiter ergo, cum intellectivitas sit praedicatum Substantiae Spiritualis, non quidem specificum, sed genericum, sine quo Spiritualis Substantia, nec esse, nec intelligi potest; Optimè infertur, quamcumque Entis speciem, quae sub genere Substantiae Spiritualis claudatur, Intellectivitate gaudere; Quod si omne, quod participat de vi sentiendi, dùmmodo ritè disposita organa corporis informet, non haec tantùmmodo aut illa, sed quaevis corporea sentire potest objecta; Cur non, & omne, quod vi pollet intellectivâ, ad omnia & quaevis (intrà tamen naturae confinia, comprehensa intelligibilia) possit se extendere? Nùm Sensus potentior Intellectu? Nùm vis sensitiva, vi intellectivâ perfectior? Vel vim sensitivam cum in-

tellectivâ confundis? Vel ab istâ distinguis illam, tanquam inferiorem à superiori? Si primùm dicas, missâ pro nunc responsi falsitate, quae ex eo constat, quod Sentire, est actio non solius Animae, sed Conjuncti totius; Intelligere autem, Animae solius est; Unde vis sensitiva patitur à sensibili, & excellentia sensibilium corrumpit sensum, quod sanè non contingit in intellectu; Iste enim, maxima intelligibilium intelligens, potentior fit ad percipienda minora; Missâ inquam hac falsitate: Sicut vis sensitiva, ad omnia sensibilia, sic vis intellectiva, ad omnia intelligibilia se poterit extendere; Si verò secundum? Quod inferiori conceditur, quâ ratione virtuti superiori denegatur?

Ex his autem sua sponte patet, nihil ad intentum concludere argumentum illud: Substantiae materiali generatim consideratae &c. Cum enim arguatur à modificabilitate in genere, ad concludendam determinatam modificationem in specie, in aliquâ particulari Substantiâ, fatuè sanè concluditur; non sic autem cum dicitur. Substantia Spiritualis generatim accepta, est intellectiva objectorum, non corporalium duntaxat, sed etiam purè intelligibilium; Anima Brutorum est Substantia Spiritualis; Ergo &c. Hic siquidem non infertur ex genere, aliquid proprium peculiaris speciei, sed potiùs aliquid, toti generi Substantiarum Spiritualium conveniens & commune; Substantiae siquidem Spirituales, non intelliguntur diversificari specie, ex earundem objecto extensivo; Quasi quod, una earum diversae & nobilioris sit speciei, quia possit intelligere plura; Alia verò inferioris speciei

ſpeciei ſit, quia valeat aliqua tantùm, & pauciora percipere; Quemadmodum enim objectum cujuſlibet intellectus, eſt Ens in totâ ſuâ latitudine; Ita omnis intellectus, eandem habet objecti extenſionem; Id ergo per quod Subſtantiae Spirituales, à poſteriori ſaltem intelliguntur diſtingui ſpecie, ita ut, una earum ſit perfectior aliâ; Eſt perfectior intelligendi modus ſive ipſa major perfectio intellectionis: Sic Deus utpotè primum ac perfectiſſimum intelligens, omnia omninò unico ſimpliciſſimo intuitu à ſe indiſtincto, ſemper intelligit, & comprehendit, & ſuper-comprehendit; Angeli infimae Hierarchiae, omnia intelligunt, quae ab Angelis mediae cognoſcuntur; Et illi omnia percipiunt, quae ab Angelis Supremae Hierarchiae intelliguntur; Diſpari tamen modo, & perfectione intelligendi; Angeli ſcilicet, quamvis omnes eadem intelligant objecta, qui tamen Superioris ſunt Ordinis, per pauciores ubi inditas & univerſaliores Species, omnia intuentur; Qui verò vel medii, vel infimi ordinis ſunt, per plures proportionaliter ſpecies, minùſque proin univerſales, eadem objecta attingunt. Animae verò rationales, eadem quae ab Angelis intelliguntur, intelligunt, modo tamen imperfectiori, hauriendo nimirum ſpecies ab objectis; Ex quo fit, quod Cognitione tantùm abſtractivâ in merè Spiritualia ferantur; Et ea inſuper quae ſub unâ ſpecie non conveniunt, ſingulis ſingula, ſpeciebus cogantur intelligere; Unde licet eadem quae Angeli, imperfectiori tamen longè modo, quàm ipſi, intelligunt, ut acutè, ac veriſſimè docet Angelicus

Doctor. (e) Parce jam Aristippe si te diutiùs, quàm par esset, hisce tricis metaphysicalibus detinui; Id enim & ego egi coactus, nè videlicet, minùs in metaphysicis peritis, fucum aliquando facerent paralogismi, quos Philadelphus superiùs afferebat; Facilè enim est, eos in errorem labi, qui rem non intrinsecè & penitiùs, sed cortice tenùs aspicere contenti sunt.

Breviùs me expediam, in alio egregio sophismate Boullerii viri caeteroqui ingeniosissimi, dissolvendo, quo utebatur Philadelphus cum eodem Boullerio concludens; Quod si Substantia Spiritualis quaecumque, ex hoc quod intelligat aliqua, debeat etiam potens esse intelligere quaecumque, jam nulla erit Substantia intellectiva, quae infinita non sit, & par Deo ipsi, in intelligendo: Ante omnia praemitto, quod si de aliquali tantùm infinitate virtutis intellectivae ageretur, illam concedere non ambigerem; Non quidem ex vi praefati discursus, sed ex aliâ ratione, quam etsi non agnoverit Boullerius, vidit tamen Clarissimum Ecclesiae lumen, Angelicus Doctor in Summâ (f) unde de Substantiâ Spirituali, in quantùm intellectivâ differens, inquit: *Dicendum quod ratio quodammodo est virtutis infinitae, in quantùm potest in infinitum aliquid considerare, ut apparet in additione numerorum, & linearum, unde infinitum aliquo modo sumptum, est proportionatum rationi*. Et pressiùs loquendo de peculiari Substantiâ Spirituali, videlicet Animâ humanâ, concludit (g) *Dicendum quod Anima*

(e) *D. Th. in Sum. q. 86. art. 2.* (f) *Quaest. 30. art. 4. ad 2.* (g) *D. Th. Quaest. 76. art. 6. ad 4.*

Anima intellectiva, quia est universalium Comprehensiva, habet virtutem ad infinita.

Phil. Ex hoc ipso confirmas quod postremò asserueram, Spiritualem videlicet Substantiam, creatam licet, debere esse infinitam cum habeat virtutem ad infinita; Neque enim finita esse poterit Substantia illa, cui competit infinita perceptio.

Crit. Attende Aristippe, & Boullerii & Philadelphi solemnem allucinationem, & fatebere opinor de utroque, quod olim ajebat D. Gregorius (*b*) *In caecitate quam tolerant, quasi in claritate luminis exultant*; Duo itaque valde diversa sunt, Habere virtutem ad infinita; & habere virtutem infinitam: Aliud est posse objecta in infinitum percipere; Aliud habere infinitam perceptionem: Ad primum sufficit, quod virtus activa & perceptiva, quantùm in se est, queat finita in infinitum percipere, licet modo finito percipiendi; Posterius autem exigit, quod hìc & nunc infinita simul objectorum collectio, infinito pariter modo percipiendi, attingatur: Quis autem ex primo, hoc posterius deducat? Nunquid infinitè perfecta est entitas illa, quae utpotè activa, si semper durat, semper agit; Adeoque agit in infinitum; Et, si potest durare semper, potest itidem agere semper? Minimè gentium; Materia, utpotè naturaliter incorruptibilis, potest durare semper, & quascumque finitas in infinitum modificationes suscipere; Nec tamen habet modificabilitatem categorematicè infinitam, nec unquam est, vel erit infinitè

(b) *D. Greg. lib.* 1. *moral. c.* 10.

finitè modificata; Angeli & Animae rationales, ſemper intelligent, & in infinitum, quia ſemper erunt; Quis dicat proinde, vel haſce, vel illos infinitam habere, vel ſaltem habituros intellectivitatem? Clariſſimo aequivocationem detegamus exemplo: Sol, qui modo nos illuminat, finitae virtutis eſt in illuminando, & finita eſt illuminatio ejus; Si itaque in aeternum, conſervaretur Sol à Deo, & novi ſucceſſivè in infinitum mundi, eidem Soli ſic conſervato ſupponerentur, eos omnes ſucceſſivè mundos, Sol ſuâ luce illuminaret; Nec tamen ullus mundus infinitè illuminaretur; Nec tamen unquam Sol ipſe, illuminationem exerceret actu infinitam; Quia videlicet, etſi proſequeretur in infinitum illuminando, quaelibet tamen illuminationes ſuae forent finitae.

Porrò non diverſimodè res ſe habet in eâ quam verſamus materiâ. Quaevis Spiritualis Subſtantia, cum ſit intellectiva, quantùm de ſe eſt, objecta quaecumque, naturaliter cognoſcibilia, cognoſcere poteſt; Aſt quemadmodum unicus Sol, neque duo unius mundi emiſpheria poteſt eodem inſtanti ſimul illuſtrare, ſed dum unum illuminat, aliud caecâ relinquit in nocte; Ita creatus quilibet intellectus, non poteſt unico actu, omnia cognoſcibilia attingere, ſed dùm vel unum vel plura cognoſcit, ad alia non advertit; Cum igitur, ea virtus non ſit in ſe ipsâ entitativè infinita, quae licet ſemper operari queat, ſi ſemper conſervetur, ſemper tamen circa objecta numero finita verſari poteſt ſolummodo, mediâ actuali cognitione ſuâ; Et etiamſi Deum ipſum cognoſcat

(qui

(qui utique infinitus est & immensus) eum tamen nec comprehendit, nec potens est ullimodè comprehendere, sed modo finito, finitâque intellectione cognoscit, non minùs quâm alia objecta quaecumque ; Evidens est Substantiam Spiritualem creatam, ex quo par sit intelligendis objectis naturaliter cognoscibilibus, nullam importare, entitativae virtutis infinitatem.

Deo utique infinita Intellectivitas competit, sed non ideò infinita, per hoc praecisè quod cognoscere possit, quidquid est cognoscibile; Sed quia omne cognoscibile, actu semper cognoscit; Quia omnia omninò cognoscit unico simplicissimo intuitu; Quia omnia intuetur & intelligit, intellectione Substantiali, quae est ipse Deus; Quia denique omnia, & etiam se ipsum ita intelligit, ut omninò & perfectissimè comprehendat; Num autem quid tale conveniens est Spirituali Substantiae creatae? Quis audeat dicere? Num saltem quid tale, per legitimam consequentiam, ostenditur convenire debere Substantiae cuivis Spirituali, semel dato, quod ipsa possit in cujusvis Objecti naturaliter perceptibilis, cognitionem devenire? Quis hoc novit ostendere? Planè in propatulo est & Boullerii & Philadelphi allucinatio, & sophistica utriusque argumentatio eversa est; Ex eodem siquidem momento, quo divinae intellectionis Infinitas evincitur, omnis create Spiritualis Substantiae intellectivitas, comprobatur finita.

Arist. Verè hac vice potes Philadelphe ingenuè contrà te repetere, quod olim quasi de Critophilo triumphans canebas (*i*) *Vin-*

(i) *An. Brut. vind. Dial. 6.*

Vinca il ver dunque, e si rimanga in sella,
E vinta à terra caggia la bugia.

Crit. Cum ostensum huc usque sit, ut puto, nullam Spiritualem Substantiam, ita ad unum naturalium objectorum genus cognoscendum, coarctatam esse, ut non etiam ad aliud quodlibet, dùmmodo naturaliter cognoscibile, suam valeat vim intellectivam extendere; Restat modo, ut naturales regulas morum, immò Deum ut Authorem naturae, à Brutis cognosci posse, evincam, semel ac insit ipsis Anima verè Spiritualis; Et sanè si utrumque summâ cum veritate de Animâ humanâ affirmavit D. Gaudentius (*k*) scribens. *Rationabilis Animae humanae natura, ut creatorem suum sentiat, ut proximum non laedat, ut non faciat quod pati non vult, naturali quâdam lege intelligit.* Quare utrumque concedendum non erit Animae Brutorum, si sit & ipsa, ut jam impavidè asseritur, Substantia Spiritualis intellectiva? Porrò, nonnisi gratis negatur de uno, id quod de omnibus conceditur sub eodem genere ultimo contentis, sub quo illud unum continetur.

Phil. Placuit Deo, bestiis ad altiorem finem non ordinatis, denegare lumen illud, quo mediante naturales morum Regulae dignoscuntur; Quid in hoc absurdi? Quis dicat Brutorum actiones, vel bonas moraliter esse, vel malas?

Crit. *Venena erroris, circumliniebant melle verborum*, diceret opportunè D. Hieronymus. (*l*) Quo-

(k) *D. Gauden. ser.* 10. (l) *D. Hieron. Epist. 61. ad Pammach.*

Quoniam tam saepè nominas *Lumen*, sive quo regulae morum innotescunt, sive quo cognoscitur Deus ipse; Digredi tantisper placet ab instituto, ut tandem advertas quàm inchoerenter loquaris, ea ipsa assumens, quando tibi expedit, quae quando tibi placet, tanquam irridenda admittere recusas: Lumen itaque hoc, de quo loqueris; Vel est aliquid superadditum Spirituali Substantiae, & realiter distinctum ab ipsâ; Vel est cum Substantiâ Spirituali identificatum? Si primum respondeas; Peto; Hoc superadditum vel aliquid reale est, vel nihil? Non dices, illud nihil esse; Concedes ergo esse reale aliquid; Sed insto; Hoc reale superadditum, vel est aliqua alia Substantia, vel non? Non potest dici quod sit Substantia; Una enim Spiritualis Substantia, non potest superaddi alteri, neque tanquam virtus potentiae, neque tanquam forma subjecto, ut patet. Quid ergò erit hoc lumen superadditum; Ni velis ludere vocibus, cogeris fateri, illud Accidens quoddam esse, in Spirituali Substantiâ divinitùs impressum; Adeoque concedis tandem, licet nesciens, & nolens, aliquas admittendas esse entitates, quae aliquid verè reale sint, nec tamen sint Substantiae; Si verò secundum dixeris; Cum subtrahi non possit ullimodè à Substantiâ, quod est idem realiter cum illâ ut notum est ex terminis; Si lumen illud, quo Spiritualis Substantia vel morum regulas, vel Deum ipsum valet percipere, identificatur cum Spirituali Substantiâ qua tali; Substantia quaecumque, dummodò Spiritualis, tali gaudebit lumine, utpotè ab ipsâ realiter indistincto;

Cum

Cum igitur primum concedere, nec velis, nec possis ut coherenter loquaris; Nè videlicet Entitatem aliquam admittas, cujus natura, ut olim ajebas (*m*), inanibus occultae qualitatis latebris, abscondi debeat, opus est fateare secundum; Hoc tamen dato, elucescit satis; Te non aliud dare quam verba, cum inquis placuisse Deo, denegare praefatum lumen Brutorum Animae, licet Substantia sit verè, propriè que Spiritualis.

Attamen sive distinctum sit, sive indistinctum à Spirituali intellectivâque Substantiâ lumen illud; Gratis certè asseritur, ipsum, Animae Spirituali Brutorum, non inesse. Si etenim hoc lumen inspiciatur quòad entitatem, est aliquid merè naturale, non elevans ad ordinem aliquem excellentiorem eam Substantiam, in quâ reperitur. Si consideretur in ordine ad effectum; Non excedit similiter naturam; Nam cognoscere faciendum alteri, quod sibi fieri placeret; Alteri non faciendum, quod sibi fieri nollet; Est aliquid ipsi intellectuali innatum naturae, seu saltem, est aliquid naturae confinia non transiliens,& ab ipsâ intellectuali Substantiâ, sponte sua erumpens. Audire non pigeat quid de Brutis scribat, te non impar eorundem Advocatus Plutarcus (*n*) *Quae nam sit ea virtus, cujus bestiae sint participes? Immo nulla est virtus, quâ non magis praeditae sint, quàm hominum aliquis sapientissimus*. Et desine iis incognitas asserere moralis vitae Regulas, quae in quâvis, praexcellunt hominibus virtute.

Sed

(m) *An. Brut. Vindic. Dial. 3*. (n) *Plutar. Trac. Brut Animal. rat. uti*.

Sed tu, perſpicaciſſimi utpote ingenii vir, non ita, ut probè novi, deſipis ut tanta cum Plutarco de Brutis affirmes; Quin potiùs ita veras virtutes iiſdem ineſſe, negas, ut neque primas naturalis moralitatis regulas, ipſis notas eſſe contendas. Ego tamen, id ipſum, quod cum veritate Brutis denegas, oſtendam à te concedendum veritate ſequelae. Si principium operationum in Brutis, eſt Subſtantia Spiritualis & intellectiva, jam non agunt Bruta caeco ductu ex parte ſuâ, vel ex naturae inſtinctu, ſed operantur cum cognitione cauſae, ea quae operantur; Agunt non materialiter tantùm, ſed formaliter propter finem, ſic e. g. Hirundo nidificans, ideo multis rejectis paleis, alias colligit, quia noſcit, illarum prae aliis utilitatem, & aptitudinem ad nidi conſtructionem; Sic formica, madidata tritici granula foras exportans, calidoque ſoli exponens, id efficit, ſciens humiditatem granulis officere, eaque corrumpere; Solem verò vim habere exſiccandi, ſiccitatemque tritico conſervando prodeſſe: Dicitur de Corvis, (ſit apud relatorem fides) quod cum ſiti explendae quaerunt aquam, ſi eis parvula occurrat fovea, in quâ paululùm reperiatur aquae, & tam parvâ cum profunditate expanſae, ut roſtrum in illâ nequeant ita mergere, ut eam hauriant, & bibant; Plures aquae injiciunt lapillos, ut aqua è loco per lapillos occupato, recedens magis tollatur circa ipſos, & eam ſic elatam potare poſſint. Hoc autem, niſi naturae inſtinctu fiat, ſed potiùs agatur, cum cognitione conducentiae mediorum ad finem, quid aliud importat, quàm univerſalis Phyſices Princi-

pii cognitionem. *Duo corpora non possunt simul esse in eodem loco*, & etiam Hydrostaticae. *Solidum grave, fluido minùs gravi immersum, tantùm de fluido tollit sursum, quantùm de se ipso, seu mole suâ ponit deorsum*, quâ cognitione positâ subsumant; Atqui lapilli sunt corpora & quidem solida, aqua corpus fluidum est, & minùs grave in specie, quàm lapilli; Ergo injectis lapillis, aqua recedet, & in se ipsam magis collecta tolletur, ita ut ebibi possit? Narratur à viris fide dignis, quod Vulpes, super glacie concretas aquas transitura, consistit in ripâ glaciati fluvii, & aure propè glaciem demissâ explorat subterlabentes aquas; Et si quidem vel nullum, vel modicum labentium aquarum murmur audierit, impavida transit; Si verò clarum decurrentis fluminis audiat sonum, aliam regrediens arripit viam, quasi sic argueret. Corpus meum grave est; Ergo indiget sustineri à superficie quam premit. Sed glacies quae non impedit ab aure meâ sonitum percipi subtùs fluentis aquae, non est ita crassae superficiei, ut corpus meum valeat sustinere; Ergo non debeo me committere glaciei, sub quâ decurrentium audio rumorem aquarum; Nam si tantae foret crassitiei, ut par esset corpori meo ferendo, tantae pariter esset, ut impediret obstreperas aure dignoscere aquas; Praetereo quorundam sive Quadrupedum, sive Volatilium mirabilem propemodum in pullos suos amorem; Taceo notissimam omnibus, inter ejusdem speciei Animalia, mutuam societatem, & pluribus comprobatam argumentis dilectionem, quam nec divina silent oracula, nos Sancto docente Spiritu

ritu (o) *Omne Animal diligit simile sibi*.

Sed his omnibus, non dicendo, sed dicere fugiendo, unicè attactis, neminem sanè fugiet, immeritò ea Bruta quae tam benè argumentari norunt, & tanta cognoscunt, caeca & inscia praedicari, in ordine ad naturales regulas morum. Enim verò si principium operandi in Brutis est verè Spirituale & intellectivum, ipsamet eorum opera manifestè declarant, naturalis moralitatis regulas, Brutis esse perspectas. Lupus lupo parcit, Equus equum non mordet, Tigris in tigridem non desevit, eaque mala, quae sibi inferri metuunt, & pro posse impediunt Animalia; Aliis sibi in specie similibus, non inferunt, vel saltem inferre non solent: Immò & ea bona, quibus ipsa delectantur, norunt sibi similibus praestare: Agunt invicem excubias nocturno tempore Grues, ita ut quae prima vigilavit, stato tempore transacto, vocem emittat, se seque componat ad somnum; Et aliae aliis pari modo sibi succedant, reddantque invicem, quam primitùs ab aliis vigilantibus acceperant, dormiendi securitatem: Cervi spatium aliquod maris transnataturi, turmatim colliguntur, & se ita mari committunt, ut gravatum ramosis cornibus caput, unus vicissim alterius dorso sustinendum imponat; Quia verò primus sive anterior, alium non habet, cui capitis sui pondus committat, postquàm aliquo tempore sequentis onus detulit, nullo sibi opitulante, recedit loco, & de primo fit ultimus, recipitque quam priùs praestiterat vicem: Cum igitur haec omnia secundùm se inspecta con-for-

(o) *Ecclesiastici* 13. v. 19.

formia sint rectae rationis dictamini, suadenti alteri faciendum vel non faciendum, quod quispiam sibi fieri vellet, vel nollet; Si à principio Spirituali, ac intellectivo proficiscuntur, quomodo à praefato dictamine regulari negantur? Sanè si bene à Brutorum operibus, sagacitatem & prudentiam redolentibus, putat Philadelphus intulisse, admittendam in Brutis Spiritualem Animam, & sagacem & prudentem, à quâ talia opera derriventur. Cur aequè verum non sit deducere, ex eorundem Brutorum operationibus, naturali conformibus moralitati, Spirituali Brutorum Animae notas esse, & cognitas moralitatis regulas, & ex istarum cognito dictamine, tales operationes dirigi, & directas derrivari?

Oh si Bruta, Spirituali Animâ praedita loqui possent, & internas cognitiones suas patefacere, audiremus utique, ipsis non incognitas naturalis regulas aequitatis! Verumtamen, ut quid optare ut fiat, quod jam pridem legimus factum? Incedebat Balaam super Asinam (*p*) à Balac moabitarum Rege vocatus ad maledicendum Israeli; Cumque Asinam, viso Angelo minaci, territam & amplius procedere nolentem, ipse Balaam bis & ter iratus percuteret, aperuit Dominus os Asinae & locuta est, dixitque. *Quid feci tibi. Cur percutis me? Nonne Animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti, usque in praesentem diem?*

Phil. Optimè utique didicisti ab Asinâ, in morem jumenti ratiocinari, dum assumis miraculum, ut ostendas naturam.

Crit.

(p) *Lib. Numer.* 22.

Crit. Patienter age Philadelphe: Fateor (quis ambigat) rem illam miraculosè evenisse, sed in quo, hujus ratio miraculi stetit? Planè in eo quod, cum os Asinae, sicut & aliorum Brutorum, (ut alia mittam) sit oblongum & lateraliter apertum, non possit aerem ab intimis progredientem colligere, & ita ad palatum, labia, & dentes colligere & frangere, ut ritè articulata vox audiatur, aer enim potiùs per laterales rictus difluit; Deus per Angelum ex aere vicino supplevit, quod organis Asinae deerat ad loquendum; in eo etiam quod nè dum effecit, ut humanis similes ederet voces, sed ut insuper ea proferret vocabula, quae interno suo conceptui explicando deservirent; Sed tamen fecit, ut exteriori miraculosâ locutione, patefaceret ad extrà, quod secum ipsa discurrebat ad intrà, si verè Substantiâ animabatur Spirituali; Vel hoc postremum concedis; Vel negas? Puto non negabis; Cum etenim Brutis internos conceptus, atque etiam discursus attribuas circa res bene multas, nonnisi voluntariè negares Asinae praefatae interiorem conceptum, quo secum ipsâ jam conquereretur, de percussionibus receptis; Concedes itaque, quod licet nesciens quid diceret per exteriorem illam locutionem, verba tamen protulerit, interno suo, concordia discursui. Jam verò quid important haec verba. *Quid feci tibi? Cur percutis me*? Nisi Asinae quaerimoniam contrà Bilaam, eam immeritò percutientem? Quid tanquam praesuppositivè cognitum involvunt? Nisi hoc morale principium. Non debet innocens plecti, nec nisi injustè percutitur; Ego sum innocens, nam

si de

si de viâ recessi, & si etiam sub te concidi, & coacta id egi, & terrore perculsa; Cur ergo percutis me? Quid similiter sequentia innunt verba. *Nonne Animal tuum sum &c.*? Nisi notum jam Asinae jus morale dominii, Balaam super ipsam, & morale debitum servitutis suae erga Balaam? Fateor quidem illatum hoc falsum esse, cum nulli Bruto insit, vel inesse possit, semel ac Brutum quodvis careat intellectu; praefatorum moralium principiorum cognitio; Ast supposità in Brutis Spirituali Animâ, hoc ipsum quod certè falsum est, constat verum esse debere, veritate illationis; Et innotescit exinde quàm longè à veritate distet illud antecedens, ex quo legitimè sequitur tàm absonum consequens.

Absonum inquam consequens; Nam si Bruta, naturalis sentiunt moralitatis dictamen; Vel illi conformantur in operando? Vel actionibus suis contrariantur? Si primum; Et laudem merebuntur & praemium (naturalis tamen ordinis) post mortem; Si secundum; Vituperationem reportabunt, & poenam post fata; Et ita novus Providentiae ordo, pro Brutis erit instituendus: Et ita pariter, extumulabitur Caffrorum orientalis Aetiopiae populorum error, asserentium, peculiaribus male agentia Bruta, Inferis detrudi; Cui quidem errori, nonnulli etiam, ut probè nosti, subscripsere Rabbini. Immò nec ampliùs erronea erit, excogitatio haec tam insulsa; Siquidem omnis, moralis Virtus, licet naturalis, praemium; Defectus poenam, intrà naturalem tamen ordinem, meretur; Moritur autem simplex Columba, mo-

ritur

ritur innocens Ovis ; Neutra tamen prae noxiis sontibusque Animalibus, majorem vivens felicitatem nacta ; Sed potiùs illa quidem semper timens Accipitrem, ista verò metuens Lupum ; Cumque servatae Simplicitatis, ac Innocentiae praemium, non obtinuerint in hac vitâ ; Aequum est, ut illud, ipsis post vitam hanc conferatur ; Truculentus Leo, nemorum grassator ; Sanguinolentus Lupus, Ovilium depopulator, Pastorum terror simul & Ovium, alienâ victitant caede, inque antris suis benè pasti, & senio confecti moriuntur ; Cum igitur, contrà naturalis lumen rationis, tot se gravaverint rapinis, & foedaverint caedibus, nullam pro tot Criminibus, peculiarem poenam passi ; Aequum est ut finis vitae, ipsis sit principium poenae. Quemadmodum enim de Animali rationali, videlicet Homine, in Statu Naturae purae (qui utique possibilis fuit) constituto, omni cum veritate arguitur ; Ita & de Brutis, in hoc moralis vitae principio constitutis, infertur ; Sicut pro illo fuisse exstituram, ita pro istis de necesse paratam existere, sub Justissimo Authore naturae Deo, moralibus & defectibus poenam, & Virtutibus mercedem, post hanc vitam.

Phil. Ut quid incassum tanta congeris ? Cui unquam suadebis ea Bruta meriti demeritique esse capacia, quae nec libertate gaudent, nec Deum adhuc ut Authorem naturae cognoscunt, vel cognoscere valent ? Recordare eorum quae olim ex Augustino à me allata sunt (*q*) & nosces nullam Brutis libertatem verè talem, esse concedendam ;

X *Caussae*

(q) *An. Brut. vindic. Dial.* 4.

Caussae voluntariae, ajebat S. Aug. (*r*) *aut Dei sunt, aut Angelorum, aut hominum, aut quorumcumque Animalium: Si tamen appellandae sunt voluntates, Animalium rationis expertium motus illi, quibus aliqua faciunt secundùm naturam suam, cum quid bono malòque, vel appetunt, vel evitant*. Recole quam promovebam Philosophorum eorum doctrinam, qui rationibus invictissimis, tam è naturalibus principiis derivatis, quàm ex SS. PP. comparatis, *Optimi Entis* notitiam, nobis à naturâ insitam esse, ut loquitur etiam S. Joan. Damascenus, (*s*) pro virili tuentur, hoc est, non aliunde obtineri posse, propugnant, quàm ex Ideâ illâ quam liberali munificentiâ ingenitam humanis mentibus, Deus ipse elargitur; Haec inquam recole, & senties quàm meritò Brutis, Spirituali quamvis Animâ praeditis, quaecumque denegetur cognitio Dei.

Crit. Duplex Philadelphe contorsisti telum; Sed utrumque imbelle sine ictu concidit: Et primò; Cur non admittit S. Augustinus voluntatem vel libertatem propriè talem, in Animalibus Brutis? Porro, quia sunt expertia rationis, ut liquet ex ipso textu; Optimè videlicet sciens, quod cum Ratio sit radix Libertatis, ubi Ratio non est, vera non potest reperiri libertas, seu libera voluntas; Quod si S. Aug. sentiret, (ut tu asserere non vereris) Bruta Spiritualem habere Animam, ipsaque ratione uti, in ordine ad Corporalia, & Sensibilia. Utique in ordine ad haec saltem objecta, veram

(r) *Lib. 5. de Civit. Dei cap. 9.* (s) *Lib. 1. de Fid. Orthod. cap. 1.*

veram Brutis tribueret voluntatem, veramque proinde Libertatem, nam ut ait D. Bernardus (*t*) *Ubi voluntas, ibi libertas*. Caeterum fas sit mihi de te Philadelphe amicè conqueri; Ludis enim, & mihi illudere satagis joco praeocupationis: Quid hasce, vel similes SS. Patrum auctoritates adducis, ut ostendas, hocce vel illud praedicatum Brutis non posse concedi? Oporteret priùs evincere, quod iidem SS. Patres admittant Spiritualem in Brutis Animam, & nihilominùs talia attributa, tanquam ex Animae Spiritualitate non descendentia, denegent Brutis; Tunc enim, quod tibi agendum incumbit, ageres; Ast afferre eorum SS. Patrum textus (qui cum neque per somnium admiserint Brutorum Animas esse Spirituales) bestias detineri exprimunt intrà confinia, quae nihil redolent Spiritualitatis; Nihil est aliud, quàm usurpare quod dictum est cum veritate, ad comprobandum quod fingitur cum falsitate.

Perpende igitur paulisper, quid dicant Sancti Patres de Substantiâ Spirituali, quae aliquâ utatur ratione, seu, quod idem est, de Substantiâ Intellectuali creatâ: *Id omne, quod ratione utitur*; Sic effatur D. Joa. Damascenus (*u*) *Arbitrii quoque libertate praeditum est*. S. Thomas fidelissimus D. Augustini discipulus & assecla, sub titulo quod Substantiae Intellectuales sint volentes (*x*) sic incipit. *Has autem Substantias Intellectuales, necessè est esse volentes*. Et prosequitur, hoc ipsum probando fusè quatuor rationibus. Sequenti similiter

(t) *D. Bern. Trac. de Grat. & lib. arbit.* (u) *Lib. 2. de Fide Orthod. cap. 3.* (x) *D. Th. cap. 47. cont. Gent.*

liter Capite ponit in titulo. *Quod Substantiae Intellectuales sunt liberi arbitrii*, remque hanc in titulo positam, quinque rationibus probatam relinquit, ita sub finem Capitis scribens. *Judicii libertate carent aliqua, vel propter hoc, quod nullum habent judicium, sicut quae cognitione carent, ut lapides & plantae; Vel quia habent judicium à naturâ determinatum ad unum, sicut irrationalia Animalia; Naturali enim aestimatione judicat Ovis Lupum sibi nocivum, & ex hoc judicio fugit ipsum, similiter autem in aliis; Quaecumque igitur habent judicium de agendis non determinatum ad unum à naturâ, necesse est liberi arbitrii esse*; Attende Philadelphe, audi Aristippe, quae sequuntur. *Hujusmodi autem sunt omnia intellectualia, intellectus enim apprehendit, non solùm hoc vel illud bonum, sed ipsum bonum commune &c.* Denique sic concludit. *Omnia igitur intellectualia liberam habent voluntatem ex judicio Intellectus venientem, quod est liberum arbitrium habere, quod deffinitur. Liberum de ratione judicium.*

Arist. Mirificè in rem tuam Critophile concludit D. Thomas; Cum enim non loquatur, de hoc Intellectuali vel illo; In hoc aut illo intelligendi gradu, constituto, sed de omni & quocumque Intellectuali; jam conformiter ad ejus doctrinam, etiam Spiritualis Anima Brutorum, libera dicenda est, cum sit & ipsa, Philadelpho non abnuente, Intellectiva; Immò quantùm ex hoc capite est, fateri oportet, quod si insit Brutis Spiritualis Anima, intellectiva & libera, Bruta ipsa, meriti demeritique sunt capacia; At ex alio id inficiabitur momento Philadelphus; Quia videlicet,

tet, quomodo possunt Bruta mereri, vel demereri apud Deum, cum nec agnoscant, nec agnoscere valeant Deum?

Crit. Superest itaque, ut & istius effugii vanitatem ostendam. Et certè si tantùm ego deferrem Plutarco, quantùm Philadelphus, me paucis expedirem, scribit enim (y) *Elephantos Diis vota facere, cum se nemine docente mari lustrent, solemque orientem adorent, proboscide manus loco sursum erectâ: Itaque etiam hoc Animal Diis est carissimum, ut Ptolemeus Philopator testatum fecit.* Quomodo autem, haec agere possent Bruta, nisi eis Divinitas aliqua, cognita foret? Sed monumento hoc, uti nolo; Relinquo potiùs illud tibi Philadelphe, ut ex eo evincas Spiritualem Brutis Animam inexistere; Ea enim abs dubio Spiritualis est Anima, quae Deum venerari novit, eique porrigere vota:

Aliâ igitur viâ proposito occurram efugio, tùm scilicet ex fine, ad quem est omnis Intellectualis Substantia; Tùm ex summâ facilitate cognoscendi ex creatis effectibus Caussam primam, & increatam: Non opus est autem, multa congerere ex primo capite, cum satis hoc mane tùm ex Apostolo, tùm ex SS. Patribus ostensum, ut reor, sit, ad aliquem sublimem finem à Substantiâ ipsâ Spirituali fruendum, omnem Spiritualem Substantiam, esse suaptè naturâ ordinatam. Verùm, ut hoc ipsum, de quo disceptamus, expressiùs innotescat, litis Arbitrum (si placet Aristippo) D. Thomam constituamus.

Arist. Non poteras excellentiorem seligere judicem,

(y) *Plutar. de Soler. Animal.*

dicem, Angelicâ etenim opus eſt mente, ad ritè diſſerendum de Spiritualibus Creaturis.

Crit. Audite ergo ab acceptato, optimoque judice quam ferat ſuper hac controverſiâ ſententiam. Tractat. S. Doctor (z) de fine quem habent, Intellectuales Creaturae, poſitoque hoc titulo. *Quod intelligere Deum eſt finis omnis Intellectualis Subſtantiae*, ſic diſertè incipit, & proſequitur. *Cum omnes Creaturae etiam intellectu carentes, ordinentur in Deum ſicut in finem ultimum, ad hunc autem finem pertingant omnia, in quantùm de ſimilitudine ejus aliquid participant: Intellectuales Creaturae, aliquò ſpeciali modo ad ipſum pertingunt, ſcilicet per ſuam propriam operationem intelligendo ipſum; Unde oportet quod, hic ſit finis intellectualis Creaturae, ſcilicet Intelligere Deum*. Aſt nunquid hoc ipſum aſſerere contentus fuit, & non potiùs luculentiſſimè probare perrexit? Percurrite ambo D. Thomam, & aſſertum hoc, decem ſibi invicem ſubſequentibus rationibus, firmiſſimè demonſtratum repetietis; Adeo ut ſi quis ſit, qui D. Thomae auctoritate non moveatur, tot rationum vi, de neceſsè vincatur; Et ſi poſt Aquilam fas ſit, noctuae volare, addam, id praeclariſſimè à D. Thomâ dictum, utpotè ſummè conformiter ad Sapientiſſimam Dei Bonitatem, quae quamvis potuerit Intellectualem Creaturam, ad ſupernaturalem ſui ut Authoris Gratiae, intuitivam non elevare Viſionem; Nulllam tamen voluit, eo naturali ſibique proprio fine privare, ad quem ex naturali inſitâ capacitate, naturalis oritur Inclinatio in ipſâ. Neque

(z) *S. Th. cap. 25. cont. Gent.*

Neque capacitatem hanc in qualibet, quaecumque ea sit, vel esse dicatur, Substantiâ Spirituali, temerè admitti, dicat quispiam; Quid enim repugnantiae, aut saltem incongruaentiae est in hoc invenire? Nil sanè incongruum; Cum potiùs maximè rationabile sit, Spiritum Intellectivum, qui omne aliud rerum Creatarum longè praetergreditur Genus, ad Spiritum Creatorem cognoscendum assurgere posse; Ut quemadmodum nè dum exercitè sentit, sed etiam reflexè cognoscit, se esse, ita etiam, à quo sit, cum à se non sit, cognoscat: Potest, ut proximè perpensum est, Substantia Spiritualis animans Bruta, physicalia perspecta habere principia; Potest morale dictamen attingere, & juxtà illud operari; & non poterit à creatis effectibus in cognitionem Entis increati devenire? Aut incongruum erit quod cognoscat Deum, ens illud, quod utpotè Spirituale, maximè imitatur Deum? *Notitia Dei*, ajebat S. Joa. Damascenus (*a*) *omnibus à naturâ est insita. Neque id aliquis ratione utens, ignorare potest*. Tertull. (*b*) *Prima Animae dos*, Animae videlicet Spiritualis & intellectivae, *Dei notitia est*. D. Greg. Magnus in illud Job. 36. *Omnes homines vident eum*. Sic effatur. *Omnis homo, eo ipso quod Rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit, Deum esse* nonnè autem ipsa etiam Bruta, Spirituali insignita principio, Ratione aliquâ utuntur? Nonnè habent Animam Intellectivam, non nè sunt condita rationalia? Quare ergo eis denegatur

(a) *S. Joa. Damasc. lib. 7. de Fid. Orthod. cap. 1.* (b) *Tertull. lib. 1. cont. Marc.*

gatur, quod omni Spirituali Animae, Intellectivaeque conceditur naturae.

In medium prodeant eae invictissimae rationes, quibus Philosophi nonnulli tuentur, Deum, non aliter cognosci posse, quàm ex Ideâ, Spirituali Animae liberaliter à Deo inditâ: Potissima inter istas est. Quod Deus, est infinitus, immensus, aeternus, &c., omnis autem Creatura, finita est, limitata, & temporalis; Unde sicut ex calido frigidum, & unum contrarium cognosci nequit ex alio, ita neque potest ex Creaturis, dignosci Deus: Prodeant itidem eae Sanctorum Patrum auctoritates, quae tale quid comprobent, vel confirment: Praecipuae illae erunt, in quibus cognitio Dei asseritur nobis, seu cuilibet Substantiae intellectivae insita, anticipata, & omne studium praeveniens; Vel ex Sacrâ Scripturâ illud regii Psaltis (c) *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*; Prodeant, inquam, & quasi pulvis ante faciem venti, exsufflabuntur: Evertamus itaque eam rationem, quae inter invictissimas, primum obtinet locum: Verum est, quis ambigat; Creaturas & quaslibet divisivè, & omnes collectivè, infinito distare intervallo à Deo; Ast quid inde? Vestigium pedis humani in pulvere relictum, quàm longè distat, ab hominis naturâ, & tamen aptum medium est, ad inferendum illinc hominem transiisse; Non ergo requiritur aequalitas perfectionis, vel similitudo naturae, in eo quod est Medium ad aliquod cognoscendum, cum perfectione vel naturâ illius entis, cujus cognoscendi Medium est. Sed satis est unum

(c) *Psal.* 4.

unum attingi ut dependens ab alio, vel ut effectus alterius, ut saltem confusè cognoscatur, debere adesse aliquid, à quo dependens, dependentiam dicat; A quo effectus, fuerit causatus. Cum proinde, cuilibet ratione utenti notum sit, existere Creaturas, quae non sibi dederunt existentiam, sed illam acceperunt ab alio; Easque quae existunt Creaturas, non semper extitisse, & non sit progredi in infinitum; Nè dum potest ex Creaturis, finitis licet, & temporaneis, devenire in cognitionem Entis Infiniti & aeterni; Sed cogitur evidenter admittere Caussam aliquam, quae sit omnium causa, & causetur à nullo, quae omnium Principium sit, & careat principio, quae proinde sit Deus; Quare docet nos Spiritus Sanctus (*d*) *à magnitudine speciei & Creaturae, cognoscibiliter poterit Creator horum videri*. Quibus tanquam eodem S. Spiritu afflatus, fidelissimè consonat Apostolus inquiens. *Quia quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis manifestavit*. Sed quomodo manifestavit! Forsan per specialem aliquam revelationem? Nùm per supernaturale Lumen aliquod eis infusum, aut saltem per aliquod speciale donum naturae rationali superadditum? Non sanè ita loquitur Apostolus, quin potiùs assignans quomodo manifestus sit gentibus Deus, sic immediatè prosequitur. *Invisibilia enim ipsius, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur &c.*

Quae quidem priora Apostoli verba, ad mentem SS. Patrum ita exponit doctissimus Cornelius

 à La-

(d) *Ad Rom. cap. 1.*

à lapide (*e*) *Apostolus asserit planè eos Deum, Deique veritatem agnoscere potuisse, & debuisse, quin & reipsa cognovisse, quia haec veritas, naturaliter est aperta, & manifesta, eamque docet, & dictat ipsa natura*. Audis Philadelphe? Non Idea distincta à potentiâ naturali Animae, exire potentis in actus suos; Non Lumen additum ipsi rationali naturae, docet nos Deum esse, sed ipsa docet, & dictat natura; Sed grave non sit ediscere quae paulò inferiùs scribat celeberrimus idem Interpres. *Solus ferè Anselmus, cum aliquot recentioribus, addit Deum hanc veritatem, sive seipsum Gentibus manifestasse, per lumen non tantùm naturale, sed etiam supernaturale, quasi sine lumine supernaturali, & sine, fide non potuerint gentiles per solum lumen naturae, agnoscere unum esse Deum verum; Sed hoc est praeter mentem Apostoli, & Patrum, qui asserunt Deum Gentilibus se manifestasse per Creationem, & res creatas; Ex illis enim Gentiles per lumen naturae, Deum creatorem agnoscere potuerunt, & debuerunt*. Quod si Gentiles, & potuerunt, & debuerunt, juxta & Apostoli, & Sanctorum Patrum mentem, inferre per discursum ex Creaturis, seu Creaturarum universitate, existentiam Dei; Jam non illa innotescit, vel aliter potest Creaturae aliquâ licet, verâ tamen, ratione utenti innotescere, quàm per Ideam liberaliter ipsi à Deo donatam; sed nullo intellecto tàm naturali, quàm supernaturali dono superaddito, spontè sua erumpit talis cognitio, ex ipsâ rationali naturâ in quantùm tali; Planè nec video, quâ fide dicant Philosophi non-

nulli

(e) *Cornel. à lap. Comment. in Epist. ad Rom. cap. 1.*

nulli, non posse rationalem Creaturam, juxta SS. Patrum Doctrinam, à Creaturis asurgere ad primae caussae, seu Creatoris cognitionem absque Ideâ Dei inditâ Animae, & superadditâ naturali rationis lumini.

Nec est, quod hosce Philosophos defendas Philadelphe, ex quo plures ex Patribus docuerint notitiam Dei in Craeturâ rationali, seu intellectivâ esse inditam, & omne studium praevenientem; Quo enim in sensu id dixerint, facilè patet ex D. Thomâ, qui sicut in assiduâ Patrum lectione versatissimus, ita omnium mentem est assecutus; Scribit autem S. Doctor (*f*) quod Dei notitia *Dicitur nobis inserta, quia omnibus insertum est aliquid, unde possit perveniri ad cognoscendum, Deum esse*. Quia videlicet data est nobis Natura rationalis, quae se ipsâ facillimè potest, ex obversantibus sibi undequaque Creatis rebus, & ad semetipsam attendens, Dei existentiam colligere. Aliud ergo est naturam quamlibet intellectivam Creatam non posse per se cognoscere perfectè divinam essentiam, seu quid Deus sit; Aliud longè diversum, ab eâdem non posse cognosci solo suo naturali lumine existentiam Dei, seu an Deus sit; Primum quidem verum est; Qui enim quid sit in se ipso Deus, putat attigisse, non quaesita reperit, sed in inquisitione defficit; Secundum autem à veritate alienum esse constat ex ratione, constat ex Apostolo, constat ex comuni sensu SS. Patrum; Quare eleganter non minus quàm verè ait D. Bernardus (g) *Tanta haec*

 for-

(f) *D. Th. Quaest. 10. de verit. art. 12. ad. 1.* (g) *D. Bern. serm. 31. in Cant.*

formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi radii sunt Deitatis? Monstrantes quidem quia verè sit à quo sunt, non tamen definientes prorsus quid sit; Itaque de ipso vides, sed non ipsum; Cum autem de eo quem non vides, caetera vides, scis indubitanter, existere quem oportet inquirere. Hinc & Angelicus Doctor absolutè pronunciat (*h*) *ex effectibus Dei, potest demonstrari Deum esse, licet per eos non perfectè possimus eum cognoscere secundùm suam essentiam*, & aequè piè ac verissimè exclamarat D. Augustinus: *Cæli & terra clamant Domine, ut amemus te*. Sed mirum sanè quod Creatae res, in quantùm pulchrae, ac bonae nobis, invitent nos ut amemus Deum, naturalium horum bonorum largitorem; Et tamen in quantùm Creatae, non manuducant nos ad cognoscendum eundem Deum, ut illarum Creatorem! Tot jam momentis ita patet Animam, seu Substantiam Intellectivam, innatam habere vim, atque potentiam, cognoscendi ex Creaturis existentiam Dei, Deumque ut authorem naturae, ut constet etiam, Lumen illud, quod teste regio Psalte super nos signatum est, aliud non esse, quâm ipsum Lumen rationis, ab Intellectivâ Substantiâ minimè distinctum, ac omni proinde principio intellectivo commune; Ut hunc locum exponunt Dionisius Carthusianus, Titelmanus, aliique.

Quod si tecum duriusculè agere vellem Philadelphe; Ex ore tuo convincerem te, ab immateriali & Spirituali Substantiâ cognosci Deum ut authorem naturae, absque ullâ Ideâ, ei divinitùs libera-

(h) 1. p. Quaest. 2. art. 2.

beraliter superadditâ; Sic enim, ut memini, quondam loquebaris (*i*) *Illud inter parvulorum mentes, & Brutorum Animas discrimen intercedit, quod illae suapte naturâ, Deum, & caetera objecta immaterialia cognoscere possunt, impedimento semoto, hae verò nunquam* & paulò post, ajebas. *Optimi entis notitiam, nobis à naturâ insitam esse*: Quomodo autem potest, humana Mens suaptè naturâ cognoscere Deum? Si verum est requiri ad hanc cognitionem Ideam liberaliter donatam, ab ipsâ naturâ non progredientem, & ab ipsâ naturâ distinctam? Quomodo à naturâ insita est nobis notitia Dei; Si nobis inest, per aliquid indebitum, & gratis concessum naturae in suo esse constitute? Haec porrò non sibi cohaerere videntur.

Idea insuper ista Dei, naturae intellectivae impressa ex liberali, ut ais, ipsius Dei munificentiâ; Vel talis asseritur, ut Deum exprimat & intellectui repraesentet, prout est in se clarè, & intuitivè videndum? Vel talis dicitur, ut solùmmodo Deum exhibeat in aenigmate, & quòad an est, non verò quòad ejus positivam quidditatem? Quis primum dicat, nisi Beguardorum vel Beguinanarum sectae dederit nomen? Restat ergo secundum. Sed talem Ideam vanè assertam, & inutiliter fictam, pronunciabit quicumque, qui seriò animadvertat, quod quemadmodum nulla requiritur, praevìè impressa in rationali Creaturâ Idea caussae creatae, ut possit ab effectu argui existentia & virtus, alicujus caussae, quae tali effectui dederit esse; Ita nullâ opus est Ideâ praecedenter inditâ,

(i) *An. Brut. Vindic. Dial. 4.*

inditâ, Caussae increatae, ut à cognitione Creaturarum quatenùs talium, inferri possit existentia Creatoris, sive Deus quòad an est; Sicut enim sin guli creati effectus indigitant & arguunt aliquam singularem sui Caussam, ita & effectus & Caussae, creato intellectui innotescentes, ad increatam omnium Caussam cognoscendam, manuducunt.

Arist. Huc usque dictis, quid detraham non habeo Critophile; Unum potiùs est quod suggeram, quoniam utrumquae aequaliter diligens, solam prae oculis Veritatem habeo, solamque quâ militat parte, praeponderare sino. Unum inquam est, quod suggeram; Ei videlicet argumento simile, quo nuperrimè utebaris ad explodendum ab intellectuali Substantiâ Lumen illud distinctum ab ipsâ, in quo plurimùm fidebat Philadelphus. Haec idea Dei, vel est ipsa essentia Dei, intimè unita cuilibet intellectui creato agnoscenti Deum, & gerens in ipso munus speciei; Vel est aliqua Substantia, & quidem Spiritualis, à Deo, ut ita dicam, insculpta praesuppositae Spirituali Substantiae? Vel est aliquid inditum intellectivae Substantiae, quod neque est Deus, neque est Substantia quaevis alia? Primum dicere de omni intellectivâ Substantiâ, cognoscente Deum ut naturae & Authorem, & Dominum, manifestus est error. Secundum dicere, absurdum pariter est; Nam nec una Spiritualis creata Substantia, in aliam itidem Spiritualem illabi potest, neque una in aliâ recipi tanquam in subjecto; Et etiamsi id posset; Inquirendum adhuc veniret, nùm haec Sub-

Subſtantia Spiritualis ſuperaddita alteri , quâ mediante cognoſcitur Deus , ut praeciſè Author , & Dominus naturae , ſit ſupernaturalis , an potiùs naturalis ? Non quidem ſupernaturalis; Nec enim ſupernaturali principio opus eſt , ad cognitionem naturalem , ſeu ad cognoſcendum Deum ſub ſolâ ratione Creatoris , & Domini proinde omnium Creaturarum ; Atque inſuper cum Dona ſupernaturalia non conferat , vel conferre teneatur Deus , omnibus omnino Creaturis, ratione licet utentibus, conſequens fieret, quod in aliquo ratione utente, cui nimirum collatum non fuiſſet tale ſupernaturale auxilium , non eſſet reprehenſibilis , ſed integrè excuſabilis Ignorantia Dei ut Authoris naturae ; Quare nec ampliùs foret inſipiens qui diceret in corde ſuo . *Non eſt Deus* . Quod ſanè quis ita improbus , ut ſentiat ? Quis ita efrons , ut dicat ? Erit ergo naturalis ; Sed praeterquàm quod , contrà hanc ſuperadditam alteri Spirituali Subſtantiae , Spiritualem , naturalemque Subſtantiam , militant quae mox dicebam ; Inquirere pergo ; Haec naturalis Subſtantia indita alteri , vel eſt ex ſe ipsâ potens cognoſcere Deum ut Authorem naturae ? Vel indiget & ipſa , Ideâ Dei ſibi ſuperadditâ ? Si primum ? Sicut ergo unà Spiritualis Subſtantia , & quidem naturalis , poteſt abſque ope diſtinctae , & ſibi impreſſae Ideae Dei , cognoſcere Deum ; Cur non & quaevis alia intellectiva Subſtantia idem ſe ipsâ poterit , ſine tali ſuperadditâ Ideâ ? Si ſecundum ? Inquiro ſicut modò , quid illa Idea ſit , & ita pergitur in infinitum .

Reſtat ergo reſpondere talem Ideam , nec

esse Deum ipsum intimè unitum creato intellectui; Neque Substantiam aliquam sive supernaturalem, sive naturalem, sed entitatem quandam accidentalem, Spirituali Substantiae inhaerentem, quam certè Philadelphus non admittet, nè aliquid adstruat, quod inani occultae Qualitatis vocabulo, debeat occultari; Nisi fortè iis velit annumerari & ipse, qui quod in aliis irrident, mutato tantùm nomine admittunt; Quorum multos est invenire.

Crit. Libentissimè amplector opportunum quod suggessisti argumentum contrà Philadelphum egregiè, & ad hominem concludens: Sed notum ex his cuilibet erit, immeritò confugi posse ad Ideam Dei, à Spirituali Animâ distinctam, ut ostendatur Brutorum Animam, etsi Spiritualem, ad Dei cognitionem ut naturae saltem Authoris, assurgere minimè posse; Probatum siquidem manet, Cognitionem hanc, ex ipsâ Spirituali Substantiâ, qua tali proficisci, & concedendam proin & Brutis, si Brutis conceditur Spiritualis Anima: Cum itaque, ut dicta recolligamus, notae sint belluis moralis vitae Regulae; Cum insuper notus ipsis sit Deus, tanquam naturae nè dum Author, sed & Supremus Dominus, Capaces sunt belluae, & merendi, & demerendi in ordine suo naturali, seu in suo statu Naturae purae; Debita ipsis est post hanc vitam, vel merces boni, vel mali poena; Quo tamen quid absurdius cogitari, quid à sanâ Doctrinâ remotiùs dici poterit unquam?

Phil. Miror, quod tantam in eo vim facias, quod spontè sua evanescit; Quae mehercle vel merces, vel poena potest rependi Brutis post mor-

rem;

tem; Cum Brutis morientibus, eorum Anima esse desinat in rerum naturâ? Nunquid quod nihil est, vel praemium recipere potest; Vel poenam subire?

Arist. Aliam tangis Lyrae chordam, quae modo non est pulsanda; Jam inclinata est dies: Satis sit hodierno certamini; Valete ambo, reditumque, quem praestolor vestrum, longiori morâ differre nolite.

Phil. Nutibus tuis libenter obsequimur Aristippe, sed tu interim

Vive, vale laetus, tibi Dii dent prospera multa. (k)



(k) *Plutar. de Profec. virt. sin.*

SUBSTANTIA SPIRITUALIS EST IMMORTALIS

Ex hoc Capite Anima *Spiritualis* Brutorum Profligatur.

DIALOGUS SEXTUS.

Ariſtippus, *Philadelphus*, *Critophilus*.

Ariſt. Uàm opportunè ſimul ambo veniſtis! Mandaveram mihi Cocolatam parari, accipietis vos quoque mecum; Et quamvis mihi mos non ſit, laudare mea, certos vos reddo, quod optimam ac ſaluberrimam experiemini.

Phil. Gratias tibi Ariſtippe; Placet utique mihi cocolata, ſed tamen ſumere nolo, quoniam nimiùm, bonae obeſt valetudini; Siquidem à Medicis audivi quod nimium calorem Cocolata immittit in ſanguinem, ipſumque expiſſat, & torpidum ex craſſitudine reddit, nè aptam tempore ſuo circulationem peragere valeat.

Ariſt. Oh quid audio! Quamvis jam ſenuerim, quotidianae Cocolatae ſumptioni adſuetus, nihil tale audivi, nihil tale in me expertus ſum, nec fortè ſine Cocolatâ ſenuiſſem.

Crit. Nè metuas Ariſtippe; Noli credulus eſſe Philadelphe; Utrique potiùs meminiſſe juvat,

quod

quod *qui medicè vivit, miserrimè vivit.* Quamvis non à Medicis, non à doctis, sed ab imperitis talis timor ingeritur; Et nisi quod ad graviora, nobis est festinandum, palpabili ratione evincerem, ex Cocolatâ nec nimium immitti Calorem, neque Sanguinis, humorumve crassitudinem, torporemque caussari.

Arist. Non est jactura temporis, de rebus licet gravioribus, tractatum diferre tantisper, ut alia removeantur praejudicia, & discantur utilia; Age, si vales Critophile, Cocolatae vindicias, & rem tàm, mihi quàm Philadelpho facies acceptissimam.

Crit. Utriusque votis lubentissimè annuo; Componitur itaque Cocolata tum ex glande quàdam, quam vulgò appellamus *Cacao*, tum ex saccaro aliisque aromatibus, quorum unum italicè *Cannella* nuncupatur, aliud verò *Vainiglia*; Portio autem major, ut nostis, non ex saccaro est, vel aromatibus, sed ex Cacao; Jam verò Glandem hanc, quam dicimus *Cacao*, frigidae esse naturae, non uno evincitur argumento: America parit nobis fructum hunc, sed nonnisi ex humido aquosoque Solo, ut referunt Franciscus Carletti (*a*) & Gulielmus Pisoni. (*b*) Arbor autem, quae glandem hanc nobis fructificat, mediocris est altitudinis, & frondosis arboribus circum ipsam dispositis, à solaribus subtrhaitur, diligentissimè radiis.

Cum itaque calidus esse nequeat suaptè naturâ fructus ille, qui & in humidis tantùm locis enasci novit, & Solis calorem refugit, & umbrae frigiditate fovetur; Ex ipsâ hujusce glandis ge-

(a) *Discur. 5. pag. 92.* (b) *Mantis. aromat. cap. 18.*

nesi notum planè sit, eam calidae non esse naturae. Dicet fortasse imperitus aliquis; Nonnè in calidâ arbor haec nascitur Regione? Verum est, respondeo; Sed quid tùm? Sicut in nostrâ temperatâ licet, aliisque sub climatibus non calidis, calidissimae tamen herbae nascuntur, ita & Frigida in calidissimis etiam Regionibus, oriri nihil vetat: Addite insuper, quod quidquid vel arborum, vel fructuum calidum est, suae Calorem naturae exteriùs manifestat, vel gravi aromatico odore, aut amaro, mordacique sapore, nihil autem tale experimur in hac glande, etiam vi ignis assatâ, ut quisque testari potest; Quod si veritatem hanc, novo probatam cupitis momento, praelaudatum legite precor Gulielmum Pisoni; Invenietisque (c) quàm salubri experimento, Glans ista in potum soluta, apud sive Americanos, sive Europèos, in acutis febribus prosit, ad sitis extinguendum ardorem, nimiumque calorem jecoris temperandum.

Atque hinc est, quod qui rerum naturas sagaciùs norunt inquirere, & intimiùs perscrutari, ad attemperandam nimiam glandis istius frigiditatem, usi sunt Aromatibus praecalidis, vulgò *Cannella*, & *Vainiglia*, ut ita ex maximi copiâ Frigidi, maximique parvâ Calidi quantitate, Tertium quoddam exurgeret, quod temperie suâ, ita languidum recrearet Stomachum, ut neque immoderato frigore, nativi caloris vim retunderet, neque nimio calore, vehementiùs accenderet; Sed potiùs innocenter servaret, atque blandissimè foveret.

(c) *Ibid. pag.* 198.

veret : Quare doctè non minùs, quàm veraciter scripsit Celeberrimus Nicolaus Lemery (*d*) quod Cocolata quovis modo sumatur, restaurat, reficitque languentes vires, vigorem Caussat, humorum malignitati resistit, stomachum denique & cerebrum, omnesque corporis partes mirificè adjuvat atque corroborat.

Et certè si calidae, noxiaeque Cocolata esset naturae; De Caracensibus populis, (qui tamen immortali memoriâ digno referente Columbo, plùs centum annis vivere non rarò inveniebantur) actum foret; Ipsi enim, non alio vescebantur pane, quàm ex glande istâ eformato, varjisque aromatibus mixto, qui proinde cum Cocolatâ nostrâ, non immeritò veniat comparandus: Sed ad refellendum Vulgi insani crassissimum errorem, jam nimis multa; Canite ambo potiùs cum quoddam doctissimo viro, rerumque usu peritissimo (*e*)

O dolce Ambrosia cagion di Salute
Della caduca vita almo sostegno,
E ne' convitti degli immortali Dei
Lassù nel Cielo tanto desiata!

Phil. Gustu potiùs, quàm cantu saluberrimam laudabo potionem; Afferte, afferte mihi Cocolatam; Non ero ampliùs in me metipsum crudelis, sapiditate & salubritate excellentissimo, me à Pharmaco alienans. Gratias tibi plurimas Critophile, quod brevi, solidoque discursu, à noxio me

(*d*) *Lemery Trac. univer. de Simpl. aromat.* (*e*) *Petrus Andr. Forzoni Eleg. in laud. Cocol.*

me praejudicio expediisti: Par pari tamen & ego reddam, gravius à te praejudicium removendo, quo sentis nimirum Brutorum Animam, semel ac Spiritualis asseratur, Immortalem itidem debere concedi.

Arist. Quoniam disceptare parati estis, & cupidi, propositam Incipite Controversiam ventilare, & tàm mihi, quàm vobis sapidiorem Cocolatam reddetis.

Phil. Quo glutine connexam putes cum Spiritualitate Immortalitatem, equidem videre non possum; Nam nec omne quod Spirituale est, est itidem cum veritate Immortale; Nec omne quod expers Corruptionis est, pariter est Spirituale: Habitus infusi Fidei, Spei, & Charitatis, Spirituales sunt, neque tamen indefectibiles: Nam per infidelitatem Fides; Spes per desperationem; Charitas per quodvis laethale peccatum deperditur: Materia sive coelestis, sive sublunaris, apud omnes Philosophos est incorruptibilis, & tamen materia est, quàm longè distans à Substantiâ Spirituali, nec cum ipsâ ullatenùs comparanda; Relinquitur ergo, non aliam inveniri cum Spiritualitate ut sic, & naturali Immortalitate connexionem, quàm quae ex praeoccupatae Imaginationis vi, ac glutine ideali fingi potest.

Crit. Ne quaeso jam alias (f) satis solutum repetas argumentum; Affer nova si habes, & vel me victum dabo, vel tibi veriora suadere conabor: De Substantiâ Spirituali, non autem de entitate Spirituali, quae Substantia non sit, est nobis quae-

(f) *Differt. cont. An. Spir. Brut. Dial. 7.*

quaestio ; Illam ego, immortalem esse ex naturâ suâ sustineo intrepidè, eo modo quo naturaliter immortalem, Animam hominis assero.

Phil. Sermonem, ut placet, ad solas Spirituales Substantias contrahamus : Quomodo piaculum erit, aliquam Spiritualem Substantiam asserere, non esse naturaliter Immortalem, cum falsò de ipsâ etiam hominis Animâ supponas, ipsam immortalem esse suaptè naturâ ? Nè precor, scandalizeris hoc audito, me enim explico statim. Recogitandum itaque est (*g*), Mortem bestiarum bifariam explicari à nobis posse ; Aut nempe per dissolutionem partium, ita ut tamen partes ab invicem segregatae conserventur ; Aut per interitum, sive ut rigidioribus loquar scholarum vocabulis, per annihilationem rei, quâ fiat ut Substantia quae priùs extabat, existere penitùs desinat : Si mortem, priori modo explicatam consideremus ; Fateri utique compellor, immaterialem Brutorum Animam, aequo modo dicendam esse naturâ suâ immortalem, ac est naturâ suâ immortalis Anima hominis ; Neque id mirum ; Quandoquidem hoc immortalitatis genere, gaudet etiam prima rerum corporearum materies, quae suaptè naturâ incorruptibilis praedicatur ; Si autem, secundo eam modo accipiamus, quo nempe fiat, ut Brutorum Anima, neque per destructionem, sive annihilationem mori possit, seu desinere ; Quis hoc sensu vel ipsam hominis Animam naturâ immortalem, auserit definire ? Nisi ad Dei voluntatem confugiamus, à quo cujuslibet Creaturarum Conservatio pen-

(g) *Anim. Brut. Vindic. Dial. 7.*

pendet, humanam mentem, seu Animam, immortalem esse, nunquam obtinebimus.

Arist. Optimus videtur mihi discursus iste, nec aptum puto ei responsum reperiri.

Crit. Sed cui unquam in mentem venit, Creaturam aliquam, hoc sensu immortalem dicere, quasi quod à Deo non possit annihilari? Novi quidem, egregio viro Thomâ Vualdensi referente (*h*) ausum fuisse Vicclephum insanissimè effutire quod *Deus aliquam Creaturam, in nihilum redigere non potest*. Quasi verò vel paris potentiae non sint vis Creativa, & vis annihilativa; Vel Deus qui liberè potuit Creaturas quaslibet è nihilo educere, aliquâ, absolutâque necessitate teneatur quascumque ita conservare, ut nullas earum, ad nihilum possit reducere; Sed suas insano illi relinquamus insanias. Fatemur quotquot Catholici sumus, Creaturam quamlibet, à Deo posse in nihilum redigi, & nihilominùs communior Theologorum Sententia est, Substantias quaslibet Spirituales, naturâ suâ immortales esse; Sed quâ immortalitate? Nùm excludente annihilationis possibilitatem? Absit hoc à doctis; Absit à verae Fidei sectatoribus vel suspicari; Etsi enim Spirituales Substantiae, non sint à Deo annihilandae; Non tamen hoc ideo erit, quia Deus non possit, sed quia non vult eas annihilare; Quâ igitur immortalitate naturaliter dotatae asseruntur Spirituales Substantiae? Illâ utique, quâ videlicet nec per partium, quas non habent, sejunctionem mori, nec per contraria, quibus carent, corrumpi possunt; Cumque per solam annihila-

(h) *Th. Vualden. lib. 1. cap. 17.*

hilationem queant desinere, aeternum ipsae durabunt, ac vivent, si Deus eas positivâ annihilatione non destruat; Sive (si phrasis ista non placet) immortaliter vivere pergent, absque speciali Dono, per hoc solùm quod eâ generali conservatione, quâ Deus res caeteras conservat in tempore, hasce conservet Substantias per totam aeternitatem: Quo in sensu ajebat Sanctus Bernardus (*i*) *Immortalis Anima est, quoniam cum ipsa sibi vita sit, sicut non est quo cadat à se, ita non est quo cadat à vitâ.*

Luculentissimam veritatem hanc tradiderat etiam D. Dionysius inquiens. (*k*) *Intellectuales Substantiae vitam habent indefficientem, ab universâ corruptione, Morte, & materiâ, & generatione, mundae existentes* ita ut mirum sit, eam in dubium revocari: Sed paucula addam, per quae de veritate istâ non amplius ambigas Philadelphe: Cum dicimus Substantiam Spiritualem, naturâ suâ immortalem esse; Non intelligimus, eandem secluso libero Dei conservantis auxilio, esse duraturam; Aliud nimirum est, esse ex naturâ suâ Immortalem; Aliud, esse ex naturâ suâ nunquam defecturam: Postremum hoc postulat, vel quod Deus necessitate compellatur aliquâ ad talem Substantiam perpetuò conservandam; Vel quod talis Substantia possit se ipsam manutenere in esse, Deo etiam ab ejus conservatione cessante; Horum autem utrumque falsissimum est; Horum neutrum nec somniando quidem affirmamus. Primum verò

(i) *D. Bern. Ser. 81. in Cant.* (k) *D. Dionys. lib. de Div. nomin. cap. 5.*

solùmmodo exigit quod ea Substantia talis naturae sit, ut si Deus non desinat ab eâ conservandâ, generali conservatione suâ qua res etiam corruptibiles conservat; Ipsa nullum in se corruptionis principium habens, nec ab agente exteriori pati valens, nunquam se subtrhaet, seu nunquam subtrhaetur à divinâ Conservatione, adeoque semper vivet; Hoc autem primo modo immortalem suaptè naturâ pronunciamus Spiritualem Substantiam, nullatenùs verò secundo.

Caeterum ut pateat, in primâ hac acceptione, Spiritualem Substantiam propriè dici ex naturâ suâ Immortalem: Ponamus sub eâ Conservatione, quâ Deus ut author naturae conservat omnia, ponamus inquam, hinc Leonem, hinc unam aliquam Substantiam Spiritualem; Jugiter perseverat quantùm est ex parte Dei tàm conservatio Leonis, quàm Spiritualis Conservatio Substantiae; Sed nunquid utraque Substantia haec tandiu durabit, quandiu duret ex parte Dei Conservatio? Haud sane; Substantia utique Spiritualis nunquam esse desinet, si Deus ex parte sui, eam Conservare non cesset; Leo autem utpotè & internam Elementorum quibus componitur, luctam patiens, & externorum Agentium corruptivae contrarietati subjectus, non obstante Conservationis duratione quantùm est ex parte Dei, sinentis corruptibilia corrumpi, corrumpetur, & interibit; Hunc igitur, naturaliter corruptibilem dicimus, quia ad ipsum à corruptione & morte servandum, non sufficit ea praecisè Conservatio, quâ Deus res conservat ut naturae Author; Sed illam naturaliter immor-

mortalem meritò asserimus, quia cum solo Dei ut Authoris naturae Conservationis auxilio, nescia corruptionis, & nescia mortis, sicut semper durabit in esse, ita semper durabit in vitâ; Et ut verum dicam, quâ cum cohaerentiâ doctrinae loquantur, non video, Philosophi quidam, qui naturalem tribuentes incorruptibilitatem materiae, nihilominùs timent & nolunt, naturalem concedere Spirituali Substantiae immortalitatem; Porro, si materia vivens foret, cum concedatur incorruptibilis, nonnè foret Immortalis? Quis ambigit? Cum itaque Substantia Spiritualis sit, de facto vivens; Cum sit Philosophis omnibus (de orthodoxis loquor) concedentibus, incorruptibilis ex ipsâ ejus naturâ; Quomodo negari potest ipsam esse naturaliter Immortalem, semel ac concedatur, esse naturaliter incorruptibilem, cum in iis quae se ipsis vivunt, idem sit & esse, & vivere? At dices, Nonnè potest quaelibet Spiritualis Substantia annihilari à Deo? Utique, respondeo, sed insto & ego: Nonnè potest materia ex quâ componuntur res corporeae à Deo annihilari? Affirmativè & tu respondebis, sed accepto responso tuo, sic urgeo. Quamvis materia corporum sit incorruptibilis, potest tamen annihilari à Deo; Et vice versâ, quamvis materia possit divinitùs in nihilum redigi, tamen est ex naturâ suâ incorruptibilis; Ergo licet Spiritualis Substantia à Deo annihilari possit, erit tamen naturaliter Immortalis; Nam quod incorruptibilitas est materiae, hoc Immortalitas est Spirituali Substantiae; Et quemadmodum possibilitas annihilationis non detrahit materiae incorrup-

ptibilitatem, ita nec tollit à Spirituali Substantiâ naturalem Immortalitatem.

Phil. Nonne audis D. Paulum apertè docentem. (*l*) *Dominus Dominantium, qui solus habet Immortalitatem*. Nimirum ab intrinseco, ut communiter explicatur? Nonnè sextam Constantinopolitanam Synodum legisti, in quâ Mentes hominum dicuntur, non Naturâ, sed Gratiâ Dei Immortales, quia non à se ipsis, sed à divinâ voluntate & Gratiâ Immortalitatem consequuntur? Quid ergo incassum tanta congeris. Adi Dionysium Petavium (*m*) & ab ipso, ex mente Sanctorum Patrum loquente, audies. *Quod enim Divinâ vi, saltem potest in nihilum redigi; Tùm quod alieno beneficio sempiternum est, hoc per se caducum & mortale censetur*. Quod si pressiùs Animae Brutorum Spiritualis licet, Mortalitatem nosse desideras, consule Sacras Scripturas, & ex Davidis testimonio, illam non obscurè intelliges, inquit enim (*n*). *Auferes Spiritum eorum, & deficient*, en Spiritus interitum, *& in pulverem suum revertentur*, en corporis dissolutionem (*o*).

Crit. Stupeo te, in Sanctorum Patrum Lectione versatissimum, tàm facilè asserere laudatum Apostoli locum, communiter explicari de Immortalitate ab intrinseco, cum & Sanctus Augustinus (*p*) & D.Gregorius (*q*) & D.Bernardus (*r*) nomine

(l) *Apost. Paul. Epist.* 1. *ad Timot. cap.* 1. *v.* 16. (m) *Dionys. Petav. Theol. Dogm. lib.* 1. *cap.* 5. (n) *Psal.* 103. *vers.* 29. (o) *An. Brut. vindic. dial.* 7. (p) *D. Aug. lib.* 1. *de Trinit. cap.* 1. (q) *D. Greg. lib.* 12. *moral. cap.* 17. (r) *D. Bern. Ser.* 81. *in Cant.*

mine Immortalitatis, ibidem intelligant *Immutabilitatem*, eò nempè quia, Immutabilitas est ratio, & quasi Caussa incorruptionis, & Immortalitatis, & rursum omnis Immutabilitas, est quaedam immortalitas, sicut omnis Mutabilitas est quaedam mors; Quia quod mutatur, transit ab eo quod erat, ad aliud quod non erat, quod est quaedam mors, & interitus prioris esse, quod per Mutationem perit: In hoc igitur sensu juxtà Sanctos Patres, solus Deus, dicitur Immortalis, quia solus est omnino immutabilis in se ipso; Seu quia, tali à se, & in se gaudet Immortalitate, quae nè dum mortem excludit; Sed omnem mortis possibilitatem, omnemque mortis umbram, quamcumque nimirum Mutationem atque mutabilitatem; Solus est enim, qui verè dicere potest. Ego Dominus, & non mutor: Cum hoc autem stat, etiam Substantias Spirituales Creatas, esse ab intrinseco Immortales, Immortalitate tamen modicâ, si cum divinâ comparetur, & tali, ut neque omnem Mutabilitatem excludat, neque Mutationem: Audire non graveris, quid in hunc locum inquiat D. Bernardus. *Qui solus habet Immortalitatem: Quod ego reor pro eo dictum, quod solus sit naturâ incommutabilis Deus, qui ait: Ego Dominus, & non mutor; vera namque, & integra immortalitas, tàm non recipit mutationem, quàm nec finem, quod omnis mutatio, quaedam mortis imitatio sit. Omne etenim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodam modo necesse est moriatur quod est, ut esse incipiat quod non est; Quod si tot mortes quot mutationes, ubi Immortalitas? Attamen immortalis Anima est; Quoniam*

niam cum sibi ipsa vita sit ; Sicut non est quo cadat à se , sic non est quo cadat à vitâ . Verùm cum constet suis affectibus mutari eam , agnoscat ita se Deo in Immortalitate similem , ut sciat sibi deesse non modicam Immortalitatis partem , soli cedens absolutam perfectamque Immortalitatem , apud quem non est transmutatio , nec vicissitudinis obumbratio &c. Constat igitur laudata Apostoli verba communiter explicari, non de praecisâ & quacumque intrinsecâ Immortalitate quasi nihil extrà Deum sit ab intrinseco Immortale; Sed de Immortalitate absolutâ ac perfectissimâ , omnem vel umbram mutabilitatis , vel mutationis excludente . Quare nihil ex ipsis , ad praesens intentum concludere Philadelphe potes .

Quod si Constantinopolitana Synodus , ipsas etiam hominum Animas , non Naturâ , sed Gratiâ immortales asserit ; Non ideo negat easdem esse Immortales ex naturâ , quia verè censeat naturalem repugnare Immortalitatem Creaturae ; Sed quia , cum hoc ipsum , quod Natura ex se Immortalis , jugiter conservetur à Deo , ut suam in actu secundo exerceat Immortalitatem , sit aliquid gratis tali naturae concessum à Deo , qui potest creaturam quamlibet quam extraxit è nihilo , ad nihilum reducere ; Ipsa gratuita Immortalis Creaturae Conservatio , utpotè non debita creaturae , sed libera Deo , & beneficium Dei est , & Gratia ejus vocatur : Sic Angeli dici possunt ex naturâ suâ Intelligentes , & etiam asseri queunt non Naturâ intelligentes , sed Gratiâ ; Dicitur primum cum veritate , quia Intelligere , connaturale est Angelis ; Unde posito quod sint , non possunt intelligentes

non

non esse; Meritò tamen asseritur & secundum, quia cum Intelligentes esse nequeant nisi sint; Sint autem non à se, sed ex liberâ Dei voluntate quâ & produxit illos, & eosdem conservat; consequitur quod si ex solo beneficio Dei, acceperunt, & retinent naturam Intelligentem, ex solo pariter Dei munere, sint Intelligentes: Hoc in sensu accipienda venit Doctrina Sophronii in hac Synodo recepta & commendata, sicut & alii Patres exponendi, cum ajunt Angelos aut Animas Spirituales esse immortales ex Gratiâ, intelligendo nimirum nomine Gratiae, gratuitam & illorum, & istarum productionem, atque Conservationem; Nulla enim creatura est, quantùmlibet perfecto in gradu constituta, quae vel sibi ipsi dederit esse, vel se ipsam independenter à Deo, conservare valeat in esse semel accepto; Nullaque est, quae mortalis non sit, si nomine Mortalitatis annihilabilitatem accipiamus.

Verùm putas nè meliùs aliquid concludere ex illo Regii Psaltis? Mehercle omittere illud potes, si nihil potius habes. Quid sanè, ad probandum naturalem Animae belluinae interitum conferunt, ea verba *Auferes Spiritum eorum*, *& deficient*? Dixit Propheta *Spiritum* in singulari, apposuit verbum *Deficient* in plurali; Et tu, quae vel apud grammaticos concordare non possunt, conjungere niteris? Non de tô *Spiritum* dictum est ly *Deficient*, neque ut palam est, dici potuit, sed de Animalibus ipsis, quae utique ablato Spiritu (quicumque tandem sit) morientur & deficient, & corpora eorum sicut è terrâ compacta, ita & in pul-

pulverem suum revertentur; Per hoc autem quod Scriptura, dicat Defectura Animalia per ammissionem Animae, quis inferre novit, ipsam ablatam Animam esse interituram, vel interituram doceri? Etiam homines, ablato ab eis Spiritu, deficient, & eorum corpora in pulverem suum revertentur; Nunquid tamen ex hoc, interibit eorum Spiritus?

Phil. Si etiam assererem, nullo naturali argumento satis probari posse Substantiae Spiritualis Immortalitatem, sed solùm ex fide constare, Animam rationalem, non esse interituram cum corpore, sed perpetuò duraturam; Non dicerem inauditum aliquid, aut aliquid falsum; Ita sensit Scotus cum pluribus ex suis; Et Petrus Pomponatius in libro de Immortalitate Animae, ex instituto probat, nullum proferri posse argumentum è naturalibus principiis comparatum, quod satis firmum sit & efficax, ad probandam naturalem Animae humanae Immortalitatem: Quamvis autem multi contrà Petrum Pomponatium insurrexerint, in Catalogo tamen librorum interdictorum, legimus, quidem opus Pomponatii *de Incantationibus*, non illud etiam *de Animae immortalitate*. Quin immò eruditissimus P. Joannes Petrus Niceron Barnabita, Pomponatii integritatem sanamque fidem luculentissimè vindicat. (*s*)

Crit. Quod attinet ad Scotum, aliquosque ex suis, meminisse deberes eorum quae olim tibi eadem respondenti, reponebam (*t*) videlicet Scotum

(s) *Memoires des hom. illus. To.* 25. *pag.* 329. (t) *Dissert. contr. An. Spir. Brut. Dial.* 5.

tum negare non quidem naturalem Immortalitatem Substantiae Spiritualis, sed solùmmodo inannihilabilitatem, quam nemo Catholicorum negat, vel unquam negabit: Pomponatius utique totus in eo fuit, ut rationalis Animae Immortalitatem indemonstrabilem ostenderet, & quamvis non ea circa punctum hoc negaret, quae fidei sunt, unde potuit sicut ab eruditissimo Patre Nicerone, sic etiam ab aliis, ab Haeresis, vel saltem erroris incursu vindicari; Vellem nihilominùs obiter animadverteres quàm malè sentiat, & periculosè scribat, qui naturali docet ratione indemonstrabilem Spiritualis Immortalitatem Substantiae; Quoniam & impugnatur à multis, & à multis indiget patrocinari, & paucos invenit patronos.

Nolo ego Pomponatii mentem, in deteriorem partem interpretari; Tùm quia ad hoc semper ductus fui, ut nullum condemnarem nisi evidenter condemnatione dignus probetur; Tùm etiam quia ejus Catholicam mentem praedicat R. P. Joannes Chrysostomus ex Ordine Praedicatorum Regens in Bononiensi Sancti Dominici Conventu inquiens in quâdam epistolâ (u) *Hortor igitur, & obsecro omnes Christi Fideles, ne temerè de te judicent, qui posthabitis omnium Philosophorum deceptionibus, veram & inviolabilem fidem profiteris*. Tùm insuper quia in Epistolâ ejusdem Petri Pomponatii datâ ad praefatum Patrem Joannem Chrysostomum, haec leguntur. *R. Paternitas tua animadvertens pro suâ prudentiâ, ex his quae scripsimus in libro de Immor-*

 talitate

(u) *In Epist. monit. ad Tract. de solut. ratjon. Pet. Pompon.*

talitate Animae, non solùm multos in posterum in errorem, induci posse, sed etiam nonnullos à veritatis viâ aberrasse, quippe qui me mortalem esse animum, tenere, arbitrati fuerint .... Cùm fidei firmandae gratiâ, tùm ut facilè omnibus liqueret (Deo teste) non eam de animo Sententiam meam esse, admisi (x).

Scio tamen eum intemperanti contrà Animae Immortalitatem naturalem, calamo, inhonoras sibi tragaedias excitasse; Non quod multi faciam Censuram Morerii (z) qui Pomponatio, & Catholici, & Philosophi penè denegat nomen; Immeritò tamen, nam & fidei suae contestatione constat, ex animo fuisse Catholicum; Et ex eruditis operibus suis, liquet fuisse Philosophum; Quin etiam oportet opera Pomponatii, non legerit Morerius, sed ex alio censuram suam transcripserit; Nam scribit in primâ Dictionarii sui Editione Pomponatium extremum clausisse Diem anno 1513. in octavâ autem Editione, scribit eundem obiisse anno 1512. Cum tamen Pomponatius ipse, in fine libri sui de Incantationum occultâ potestate, reliquerit scriptum. *Perfecta est haec nostra lucubratio, quae de incantationibus nominari potest, per me Petrum, filium Joannis Nicolai Pomponatii Mantuani, in felicissimo Gymnasio Bononiensi, in Capellâ Sancti Barbatiani die* 16. *Augusti* 1520. *anno* 8. *Pontificatus Leonis X.* Quomodo igitur obiisse dicitur sive duodecimo, sive decimotertio anno, qui scribebat in vigesimo?

Sed quia praetermissâ Morerii Censurâ, audio

(x) *Apud P. Chrysost. Javelli Ord. Praed. To.* 2. (z) *Morerius in suo Diction. ver. Pompon.*

dio unum ex praecipuis Pomponatii discipulis, non temeritatis ductu, sed ex fidei ac probitatis zelo exclamantem contrà doctrinam Magistri sui in libro de Immortalitate Animae traditam (*a*) *Quâ nihil pestilentius induci poterat ad corrumpendam juventutem, dissolvendamque Christianae vitae disciplinam*. Et quamvis Eminentissimi Herculis Gonzagae in Magistrum suum Pietas, ac nobilissimi magnitudo animi, elatum e Bononiâ Pomponatii cadaver, Mantuam deferri curavit, eidemque nobile parari sepulchrum jusserit; Vitare tamen non potuit (quin deturpatâ apud multos Petri Pomponatii famâ) eò quod visus sit naturalem denegasse Immortalitatem rationali Animae; Janus Vitalis demortui Pomponatii sepulchro, ad aeternam rei memoriam inscriptum relinqueret Epitaphium sequens (*b*)

En Animarum ingens globus, en legio unde vagantum
Quas tu perpetuâ luce carere putas;
Mortuus ut credas, aeternam has vivere vitam,
Ad cineres ululant Pomponiate tuos.

Adeo verum est, eum pias aures offendere, nec notam temeritatis effugere, qui Spirituali Substantiae, Animaeque rationali, denegare ausus fuit, non dico annihilabilitatem, omnis enim Creatura, ex quo Creatura sit, annihilari potest, à Deo; Sed naturalem Immortalitatem in sensu saltem mox explicato.

(a) *Paulus Jovius in Elog. doct. vir. n. 61.* (b) *Paulus Jovius Ibid.*

Temeritatis, inquam, non effugit notam qui talia sentit; Nam Concilium Lateranense quintum, Sessione octavâ, cui quidem Sessioni, occasionem dedit, (ut opinantur, Spondanus, & Coppinus (*c*) nimia Pomponatii de Animae humanae naturâ, dicendi licentia) inquit. *Cum itaque diebus nostris... antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciosissimos errores, à fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare, & augere sit ausus, de naturâ praesertim Animae rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus; Et nonnulli Temerè philosophantes secundùm saltem Philosophiam, verum id esse asseverent; Contrà hujusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes asserentes, Animam intellectivam mortalem esse &c.* Ex quibus duo habemus, & eos nempe Temerè philosophari, qui asserunt evinci naturalis Philosophiae rationibus, Animam intellectivam esse ex naturâ suâ mortalem; & hanc ipsam Thesim de naturali Animae intellectivae mortalitate, tanquam damnatam à Concilio, & reprobatam, ab omnibus Catholicae fidei professoribus esse omninò ablegandam.

Phil. Religiosè credidissem, hanc esse Lateranensium Antistitum mentem, quod scilicet Anima intellectiva pereunte corpore, necessariò non debet interire, quia potest ex divinâ ordinatione, & potentiâ post corporis occasum, superesse & vivere perpetuò; Non autem quod ipsa suaptè naturâ nunquam defectura sit; Si etenim adessent positivae

(c) *Ad an.* 1513. *n.* 20.

sitivae rationes ab ipsâ humanae Animae naturâ derrivatae, quibus probari posset, ipsam nulli obnoxiam esse interitui, non utique eas, Lateranenses Antistites praeterjissent; Unde potiùs ex eorundem, quantùm ad has rationes, silentio, arguere licet, nullam ipsis ad hoc probandum, satis opportunam, & efficacem visam fuisse.

Crit. Nullus est Catholicus qui doceat vel Animam humanam, vel Angelos, vel aliam quamcumque Spiritualem Substantiam, ex naturâ suâ nunquam esse defecturam, quasi sit ipsa sibi sufficiens ad se conservandam in esse, etiam Deo eam ampliùs non conservante: Neque hoc asseritur, neque ex consequentiâ doctrinae asseri ab iis debet, qui naturalem Spiritualis Substantiae Immortalitatem sustinent juxtà Concilii mentem; Jam unius ab alio asserti discrimen, superius attuli; Sed aliud ad rei hujusce ampliorem elucidationem adducere placet, ne ampliùs similiter cavillandi, tibi occasio relinquatur.

Efformemus itaque duas propositiones: Sit prima. *Substantia Spiritualis, ex naturâ suâ est Immortalis*. Sit verò secunda. *Substantia Spiritualis ex naturâ suâ est nunquam defectura*. Tu quidem unam confundis cum aliâ, & quia secunda falsa est, denegas primam; Ut igitur vera secernas à falsis, enucleemus tantisper utramque. Quid sibi volunt haec verba *naturâ suâ est immortalis*? Non aliud porrò, nisi quod subjectum hujus praedicati, etiamsi annihilationis (quae à solo Deo esse potest) sit capax, incapax tamen est in se, vel corruptionis vel mortis, nec corruptionem vel mortem

tem ab ullo agente creato, pati potest; Hoc enim ipso quod aliquod vivens talis naturae est, ut per nullius Creati agentis virtutem, ei mors inferri queat, meritò pronunciatur ex naturâ suâ Immortale; Immortalitate tamen subjectâ Deo, qui sicut entitatem illam suaptè naturâ Immortalem, Eduxit è nihilo, ita eandem in nihilum reducere potest; Posterioris autem propositionis sensus, longè diversus ab isto est; Ea siquidem verba. *Ex naturâ suâ, non est defectura*. Aliud quid important: Enim vero ly *non est defectura* non significat praecisè capacitatem, seu potentiam non deficiendi, sicut ly *Immortalis*, sed cum sit verbum de futuro, cui praeposita est particula negativa, hunc sensum facit. Nunquam futura est desitio Substantiae Spiritualis, quia hanc desitionis futuritionem ipsa Spiritualis Substantia, ex naturâ suâ excludit. Cumque propositio absolutè negativa de futuro, & absoluta à tempore, qualis est ea de quâ agimus, ad sui veritatem requirat quod per nullam potentiam falsificari possit, sequitur ejus sensum esse; Quod neque per divinam potentiam, Substantia Spiritualis, possit unquam deficere, quod quidem dicere, & erroneum est, & insanum; Licet enim, ut ex Fide novimus, nolit Deus vel Angelos, vel rationales Animas annihilare, sed velit potiùs aeternas esse, quis tamen ita, non dicam Fide, sed mente carens inveniatur, qui asserere audeat, vel Creaturam aliquam posse resistere Deo, ipsam annihilare volenti, vel in esse perdurare posse, Deo illam ampliùs non conservante? Vel Deum teneri, ad eas quas nullâ necessitate,

te,

re, sed liberrimè produxit Creaturas, semel productas conservare? Cum itaque remotissimus, secundae propositionis sensus sit, à sensu primae, clarescit, perperam unam confundi cum alterâ, gratis primam negari, vel in dubium revocari, quia secunda est falsa, & Concilium velle quidem Animam intellectivam ex suâ esse naturâ immortalem, non verò ex suâ met naturâ nunquam defecturam.

Lateranensis etenim Synodus praefatâ Sessione octavâ (ut ex Spondano habemus) contrà Pomponatii doctrinam circa naturalem Animae Immortalitatem congregata, id reprobare intendit, quod à Pomponatio dicebatur; Pomponatius autem, nullum quidem asserebat extare momentum à naturali ratione derrivatum, quo Animae rationalis naturalis Immortalitas probaretur; Unde & eandem Animam, naturâ suâ mortalem dictitabat; At nunquam ita desipuit, ut eam fore à Deo annihilandam, & aliquando defecturam praedicaret; Quod si Lateranenses Patres Scripturarum ibi monumenta afferunt, quibus Catholicum Fidei dogma comprobatur, de Animae aeternâ duratione futurâ, non ideo id praestitere, quasi error quem damnant, circa non futuram aeternam rationalis Animae permanentiam in esse, versaretur; Sed quia cum ex uno absurdo, perfacile sit colligere aliud; Nè quis (Scripturas, vel ignorans, vel non intelligens) ex assertâ naturali rationalis Animae mortalitate, colligeret ipsam de facto interituram, subnectit loca Scripturae, quibus certò quisque ex infallibili verbo Dei agnoscat, rationa-

lem Animam, sive ex naturâ suâ, sive ex Gratiâ Dei immortalis sit, semper esse victuram, vel aeternum miseram, vel aeternum omni modo felicem, quia Deus vult illam conservare in aeternum.

Caeterùm ita hanc veritatem firmat, ut sententiam de naturali rationalis Animae mortalitate, proscribat penitùs, damnet, reprobetque; Ait enim eos temerè philosophari qui Animam rationalem ex naturâ suâ (non quidem aliquando morituram hoc enim haereticum foret) sed mortalem docent: Hanc doctrinam, tanquam teterrimam Catholicae fidei luem, à fidelium cordibus omninò explosam cupit, & toto conatu explodere satagit: Sed inquis, si adesset ratio naturalis ostendens rationalem Animam suaptè naturâ immortalem esse, hanc Lateranenses Antistites non praeterjissent silentio. Verùntamen vide Philadelphe, nè injuriam, non quidem ex animo, sed ex subreptitiâ responsione irroges Lateranensis concilii Patribus. Nunquid enim, cum dixerint Philosophorum argumenta, quibus in specie, naturalis Animae intellectivae Mortalitas probata praesumitur, esse omnia solubilia, nesciebant Patres illa solvere? Vel cum solubilia esse dignoscerent, quâ ratione solverentur, ignorabant? Praeterierunt ergo rationes hasce, non quidem quod eis non abundè suppeterent, sed quia, ut moris Conciliorum est, eorumque Patrum auctoritati ac dignitati conveniens erat; Sufficiebat eam assertionem damnare, ut apud Catholicos haberetur pro falsâ; Nec opus erat, ut vel naturalium rationum (quas

in promptu se habere, implicitè affirmant, opposita argumenta solubilia asserendo) eam pondere, confutarent, vel Scholasticè, Argumenta argumentis refellendo retunderent; Manet igitur certum hoc, à Concilio nempe positivè damnatam hanc esse Thesim seu propositionem. *Anima intellectiva ex naturá suá mortalis est.*

Arist. Ne plura addere pergas; Allucinationem suam jam noscit Philadelphus, jamque tibi consentit; Ast quid quaeso ex hoc contrà Spiritualem moliris Brutorum Animam?

Phil. Antequam Critophilus progrediatur, quidquid sibi velit inferendo, Oportet errorem suum, me docente agnoscat, qui vel caeco obvius esse debebat. Quomodo octava Lateranensis Concilii sessio contrà Petri Pomponatii coacta dicitur doctrinam de *Immortalitate Animae*, cum haec habita sit decimo quarto kalendas Januarii anno 1513. opus verò Pomponatii de Immortalitate Animae solùmmodo prodierit 24. Septembris anno 1516. tribus proin annis cum dimidio à Sessione praefatâ Concilii? Nunquid Concilium damnare in Pomponatio potuit, quod nundum Pomponatius dixerat?

Crit. Vera loqueris Philadelphe; Et ex hac opportunâ animadversione tuâ planè convincor, & errasse quoad hoc Spondanum, atque Coppinum; Et concilium, praetactâ sessione, nequaquam egisse contrà Pomponatii Doctrinam; Verùmtamen contrà quemcumque egerit; Id certum est, damnasse nimirum assertionem ponentem, Animam intellectivam, ex naturâ suâ esse mortalem; Quâ stante damnatione jam ad con-

 trover-

troversiam de quâ agimus, incunctanter descendo: Spiritualis Brutorum Anima, intellectiva est & ipsa; Vel ergo ex naturâ suâ mortalis dicitur, vel Immortalis? Primum nullimodè asseri potest, tùm quia Concilium, ut mox dictum est, damnat omnes, asserentes Animam intellectivam Mortalem esse; Et licet pressè loquatur de Animâ Hominis, eadem tamen ratio est, quantùm ad Naturam attinet, de quâcumque Spirituali intellectivâque Substantiâ. Tùm quia, non juvat recurrere ad gradum, seu fundum, ut ità dicam, inferioris Spiritualitatis Animae Brutorum, semel ac talis Anima sit verè & propriè Spiritualis; Nam & materia Coelestis, apud multos, nobilioris prae Sublunari est naturae (quidquid pro modò sit de hac opinione) & tamen non obstante Naturae, & perfectionis inaequalitate, utraque apud omnes Philosophos, est incorruptibilis ex naturâ suâ: Pariformiter itaque, non oberit asserta inferioritas Spiritualitatis Animae Brutorum ad Animam hominis, quominùs sit & illa ex naturâ suâ immortalis, sicut ista.

Verùmtamen intrà Spiritualium Substantiarum confinia, ut nos contineamus. Angelus infimae speciei (si sequamur doctrinam Angelici Doctoris asserentis singulos Angelos diferre ab invicem non quidem solo numero, sed etiam specie) longissimo distat intervallo ab Angélo primae speciei, ac nobilissimae; Innumerabilis siquidem est penè Angelorum numerus, & tamen quamvis singuli à singulis specie diferant, atque à primo descendendo ad ultimum, semper decrescat eorum Spiritualita-

tis & perfectionis gradus, omnes tamen de Primo ad Ultimum, ex eorum naturâ sicut incorruptibiles sunt, ita & Immortales; Animae hominum (sive aequalis naturalis perfectionis sint, sive (ut alii sentiunt) inaequalis; Et longissimè distantes ab Angelorum perfectione sunt, & sicut nullo Catholico negante Philosopho sunt naturaliter incorruptibiles, sic pariter immortales: Quâ igitur cum veritate dici posset Animas Brutorum Spirituales licet, suâpte naturâ esse mortales?

Naturâ itaque suâ immortales debent concedi tales Animae, deducto à cujuslibet alterius Spiritualis Substantiae, naturali immortalitate exemplo; Deducto à Substantiae intellectivae operatione argumento; Cum enim intellectivae Substantiae, objectum intelligibile, sit suprà tempus, utpote abstrahens à motu, & mutatione, est immutabile & necessarium, & saltem negativè perpetuum; Ex objecto autem, species & ratio operationis comprehenditur, & ex Operatione, principii operantis Natura dignoscitur; Si igitur Operatio intellectivae Substantiae circa ea versatur, quae sunt supra tempus, ipsa etiam, per se loquendo, est de ordine sempiternorum, & elevata supra tempus & motum; Dixi per se loquendo; Nam per accidens contingit quod Intellectio quae est per Phantasmata, sit cum continuo & tempore; Quod si Operatio intellectivae Substantiae, est de se supra tempus elevata, & de ordine sempiternorum; Ergo & ipsa Intellectiva Substantia, de ordine sempiternorum est, & incorruptibiliter subsistens, & Immortalis. Denique ad hominem contrà te Phila-

delphe arguo. Anima Spiritualis Brutorum, te concedente (*d*) eſt naturâ ſuâ incorruptibilis non minùs ac Anima rationalis humana; Ergo eſt naturâ ſuâ immortalis non ſecùs ac iſta; Conſequentia probatur. Subſtantia Spiritualis vivens, non vivit per aliquod à ſe diſtinctum, ſed ſe ipsâ, unde ſicut vivere non poteſt, quin ſit; Ita eſſe non poteſt, quin vivat: Sed ex quo naturâ ſuâ ſit incorruptibilis, non poteſt amittere eſſe; Ergo ex quo naturâ ſuâ ſit incorruptibilis, non poteſt amittere vitam; Ergo ſicuti naturaliter incorruptibilis, ita & naturaliter Immortalis; Niſi palmariter fallor, haec ſe invicem complectuntur, haec ſibi invicem ſubſequuntur.

Haec igitur Spiritualis Brutorum Anima, quae ex naturâ ſuâ Immortalis, evincitur quid, peto agit, poſt ſui ſeparationem à corpore Animalis? Nunquid ad alia tranſit informanda vel ejuſdem, vel diverſae ſpeciei Animalium corpora, quae de novo in dies procreantur? Nunquid ſemel ſoluta à corpore, caeca relinquitur nullâ ei ſuperinditâ ſpecie per quam ad modum ſeparatarum Subſtantiarum intelligat, ſed nihil patiens, & nullo gaudens, diſcurrit per auras? Nunquid prout vel benè ſe, vel malè moraliter geſſit unita corpori, vel praemium recipit, vel poenam? Horum ſanè aliquid debet cum veritate poſſe affirmari; Sed tamen quodcumque eligatur abſurdum eſt, & indignum quod eligatur.. Si primum admittas, jam incidis in Bengalorum errorem, aſſerentium Brutorum Animas Immortales eſſe, & de

(d) *An. Brut. vindic. Dial. 7.*

de uno in aliud corpus, transmigrare; Si postremum adstruas; Convinceris subscripsisse stultissimo Cafrorum Orientalis Aetiopiae Populorum commento, somniantium Bestiarum Animas, quae malè se in hac gesserint vità, peculiaribus in infernis, torquendas esse, post earum à Corpore separationem: Secundum verò sponte sua corruit, nam ut summâ cum veritate dicitur, *Deus*, & *natura nihil faciunt frustra*. Anima autem Bruti à Corpore soluta, atque repentinâ in Caecitate relicta, frustra esset in rerum naturâ; Nec enim foret bona sibi, cum nullo gaudeat; Non bona Corpori, cum non informet; Nec bona toti Universo, cum utpotè invisibilis, perspicuae ejus varietati, ac pulchritudini non deserviret, nec ei ullum afferret bonum, utpotè otiosa, & inepta vel sibi.

Arist. Expectabam Critophile, è tanto Apparatu, quod tandem parturirent montes, sed ridiculus natus est Mus: Distingue contrà te ipsum, ut mox contrà Philadelphum distinguebas; Aliud nempe esse quod Spiritualis Substantia sit naturâ suâ immortalis; Aliud verò quod ex naturâ suâ sit numquam defectura; Concedit Philadelphus Animae Brutorum primum, negat verò secundum; Quid querere pergis quid faciet Bruti Anima soluta à Corpore, cum soluta à Corpore, non ampliùs existat in rerum naturâ? Nonnè vides te falso laborare supposito? Ast dices? Nonnè conceditur tali Animae naturalis immortalitas? Quì ergo statim ac solvitur à Corpore, desinit existere? Scis quomodo? Per annihilationem; Quia cum

cum Deus Animas Brutorum ad usus tantùm temporalium, corporaliumque necessitatum destinaverit, non vult eas post Animalis mortem, ampliùs conservare.

Crit. Pacificè, pacificè Aristippe mi, nam fortè videbis suppositum Murem, in fortem statim excrevisse Leonem; Inquis ergo, ut ostendas Spiritualem Brutorum Animam è Corpore solutam, non esse superstitem Corpori, quod Deus eam annihilat; Probas autem, quod eam annihilet Deus, quia scilicet, ad solos ipsam Corporales usus destinavit. Sed quia postremum hoc satis, ut arbitror, confutatum est (*e*) nolo iterum circa illud immorari, sed potiùs neglecto hoc tanquam gratis assumpto, primum refellere pergo. Primitùs itaque scire vellem à te, nùm Deus annihilans talem Animam, agat conformiter ad talis Animae naturam, quasi ea petat ex se destrui, ita ut sit ipsi violentum, aut saltem praeter naturam perseverare in esse, absque Corpore? Ulteriùs ad quem nam finem D. O. M. Brutorum Animas è Corpore solutas, in nihilum redigat? Denique ubi nam, vel cui, revelaverit Deus se de facto Brutorum Animas, licet Spirituales annihilare, statim ac à Corpore separantur? Aliud siquidem est, aliquid gratis respondere ad fugiendam difficultatem; Aliud asserere aliquid cum fundamento, ad comprobandam veritatem. Scio utique ad vitanda quae ex Thesi tuâ, ex hac parte consequuntur absurda, unicum hoc tibi effugium superesse, ut scilicet dicas, tales Animas, Deo ipsas annihilante, esse

(e) *Spirit. An. Brut. proflig. Dial.* 4.

esse desinere; Sed ut liqueat effugii hujusce vanitas, & absurdorum ex tuâ opinione legitimè consequentium veritas.

Ostendo, dici non posse tales Animas à Deo annihilari, annihilationem exigente earundem Animarum naturâ. Tales Animae, cum sint verae Spirituales Substantiae, sunt Substantiae per se subsistentes; Sunt per se potentes subsistere sine corpore, tanquam per se non dependentes ab illo vel in essendo, vel in operando; Ergo ex naturâ suâ, & corruptionem non admittunt, & annihilationem non exigunt. Antecedens cuilibet notum est, cui non incognita sit natura Spiritualis Substantiae; Consequentia probatur. Nulla Creatura naturaliter petit bonum illud amittere, quod naturaliter (idest sine miraculo) potest retinere; Sed quaelibet Substantia Spiritualis, potest sine miraculo, retinere suum esse, separata à corpore; Ergo nulla naturaliter petit deperdere suum esse, post ejus separationem à corpore; Ergo nulla petit ex naturâ suâ annihilari; Ergo quemadmodum nulli creatae Spirituali Substantiae, solutae à corpore violenta est perseverantia in esse, ita nulli creatae Spirituali Substantiae, naturalis est annihilatio, seu naturaliter debita. Hinc egregiè, more semper suo ajebat Divus Thomas (f) *Creaturarum naturae hoc demonstrant, ut nulla earum in nihilum redigatur.*

Quod si nulli Creaturae, annihilatio est naturalis, jam Deus Brutorum Animas è corpore solutas annihilans, si non contrà, saltem praeter earum Naturam facit, auferendo ab ipsis esse, quod pote-

(f) *Pr. par. quaest. 104. art. 4.*

poterant ſine miraculo, & cum ſolâ generali Dei conſervatione retinere, & impediendo ne Perpetuitatem aſſequantur tales Animae, quae utpotè Spirituales Subſtantiae, naturaliter intendunt perſeverare in eſſe quantùm poſſunt; Et quia naturaliter incorruptibiles, perpetuae perſeverantiae in eſſe capaces ſunt, & perpetuò poſſunt perſeverare. Congruum nè verò eſt dicere, Deum qui omnia in numero, pondere fecit, & menſurâ; Deum cui regius Propheta Canit *Omnia in Sapientiâ feciſti*. Ita Brutorum condidiſſe naturam, ut ritè erga illam ſe habere, ritèque eidem Providere non poſſit, niſi agendo praeter eorum naturam, & praeter naturalem talis naturae inclinationem atque capacitatem? Quis ſanè vel de Brutorum naturâ talia fingat? vel de omnipotenti Sapientiâ Dei, talia ſomnietur?

Verùmtamen progrediamur; Ad quem quaeſo finem Deus Optimus Maximus qui ſapientiſſimè omnia gubernat, & providet omnibus, Spirituales Animas Brutorum, in Animalium morte annihilat? Fateor quidem (& millies repetam) fateor poſſe Deum abſolutè loquendo, omnia in nihilum redigere; Attamen quia ſcimus Deum omnia operari ſecundùm Conſilium Voluntatis ſuae; Quia novimus ex Apoſtolo (g) quod *. Unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem*. Quia intelligimus, quod omnia propter ſemetipſum ſive propter Gloriam ſuam operatus eſt Dominus, & operatur; Meritò quaerimus in aſſertâ annihilatione praefatarum Animarum, Finem qui nobis (propter

(g) *Apoſt. 1. ad Cor. 12.*

ter quos tales Animae, & Bruta ipsa existentiam receperant) in utilitatem, cedit, Deo autem in Gloriam. Enim verò, actualis Naturae cujusvis annihilatio, non spectat ad Gratiae manifestationem, quae manifestatio redeat in Gloriam Dei; Nam ut optimè docuit Divus Thomas (*b*) Manifestatio Gratiae, vel fit per divinae ostensionem Potentiae, vel Bonitatis; Magis autem divina ostenditur Bonitas in rerum creatarum Conservatione, quàm in earum Annihilatione, ut de se patet. Divina itidem Potentia, quae in rerum creatione elucescit, non magis patescit per rerum semel creatarum annihilationem; Virtus enim annihilativa, majorem non praesefert, prae Virtute creativâ activitatem vel excellentiam activitatis; Nullus ergo cum sit assignabilis finis, ob quem Deus hasce Animas in nihilum redigat, dicendum est eas Animas verè à Deo non annihilari; Illud enim meritò negatur, quod gratis & absque ullo fundamento asseritur.

Cum insuper agatur de Annihilatione rei invisibilis, ac penitùs insensilis, non potest fundatè asseri hujusce Animae desitio per Annihilationem, nisi revelaverit hoc ipsum Deus, vel saltem nisi communis Sanctorum Patrum consensus, id nobis probabile reddat; Quis verò in totâ Sacrâ Scripturâ reperitur locus, in quo talis annihilatio revelata inveniatur? Nullus planè. Immò è contrâ legitur (*i*) *Didici quod omnia opera quae fecit Deus, perseverant in perpetuum*. Ex quo textu colligit Angelicus Doctor, nullam Creaturam verè in nihi-

D d lum

(h) *D. Th.* 1. *par. Quaest.* 104. *art.* 4. (i) *Eccles.* 3.

lum redigi. Legitur etiam (*k*) *Nihil odisti eorum quae fecisti*. Ex quo meritò concluditur, nihil eorum quae fecit Deus, ab ipso Deo annihilari: Quomodo vero annihilatio ista Spiritualis Animae Brutorum, ex Patrum consensu probabilitatem accipiat, cum nullum sit invenire qui talis Animae annihilationem vere asseruerit?

Phil. Non id tàm facilè pronunciares si Sanctum Bernardum attentè legisses, vel sincerè intelligere valuisses; Sermone siquidem quinto in Cantica (in quo Brutorum Animam verum esse Spiritum docet) expressissimè affirmat Brutorum Spiritum, & vivificare, & vivere desinere moriente pecude, siquidem contrarium non est naturali Substantiae immaterialis conditioni, per Annihilationem deficere. Appositè hac de causâ (*l*) clarissimus Doctor usus est verbo *Deficere*, nec dixit, ideoque ille Spiritus, & cum tempore transit, & cum Corpore moritur, aut corrumpitur, aut *Dissolvitur*, sed dixit. Cum Corpore *Deficit*, ut nimirum clarioribus vocabulis, Brutalis Spiritus annihilationem nobis indicaret.

Crit. Num Brutalis Animae Spiritualitatem citato loco adstruat Divus Bernardus, an secus, queremus aliàs; Interim in propositâ difficultate sistamus. Quia itaque Sanctus Doctor ait pecudis Animam cum è Corpore solvitur, *Deficere* non autem dixit, eam *Corrumpi*, aut *Dissolvi*. Concludis per tò Deficere, assertam à D. Bernardo Animae pecudis desitionem mediâ annihilatione; Video equidem te optimi Advocati agere partes, qui

(k) *Sap. 11. v. 25.* (l) *An. Brut. vindic. Dial. 8.*

qui nec favorabile verbulum praetermittis quin opportunam in illo vim facias, & si meliorem suscepisses defendere Caussam, me victum darem; Attamen dicas mihi, si D Bernardus dixisset Spiritum, sive Animam pecudis dissolvi, quando à Corpore solvitur, sentiret nè talem Animam desinere per annihilationem? Haud sanè, repones, quod enim dissolvitur, solvitur in partes; Quod in partes solvitur, corrumpitur; Quod corrumpitur non amittit esse per annihilationem: Optimè quidem; Sed monere jam displicet, quod si tu debitâ cum animadversione, aut sine animi praeoccupatione Divi Bernardi legisses Opera, utique invenisses, quo in sensu accipienda sint ejus verba Sermone quinto in cantica circa Spiritum pecoris exscripta; Quae etenim non satis expressa sunt, per expressiora, si apud eundem reperiantur, verba, sunt explicanda: Lege ergo Epistolam Divi Bernardi (m) ad Magistrum Gualterum scriptam, & intelliges, quo in sensu inquiat Sanctus Doctor Spiritum belluinum à Corpore separatum *Deficere*; Scribit enim. *Et tu cum homo esses, honorem tuum non intelligens, comparatus jumentis insipientibus, & similis factus es illis? Dum nil Spirituale videlicet, aut aeternum elaboraveris; Sed instar belluini Spiritus, qui ut à Corpore ita cum Corpore* Dissolvitur, *solis fueris contentus Corporalibus, ac temporalibus bonis &c.* Sed miror quod haec eadem modò prae oculis, Divi Bernardi verba non habeas, cum illa tu mihi nudiùs tertiùs opposueris

(m) *D. Bern. Epist. 104. ad Magist. Gualt. de Calvom.*

& recitaveris integrè (*n*); Sed juvat esse immemorem, & eorum recordari tantùmmodo, quae in rem tuam quadrent; Quamvis ut video, tanta est vis Veritatis, ut erumpat vel ab invito.

Memini utique, quod cum ista proferres, veritus fortè nè te ex ore tuo convincerem Brutorum Animam minimè esse Spiritualem teste eodem Divo Bernardo (quod enim dissolvitur in partes, tanquam in id ex quo componebatur, abs dubio Spirituale non est) exponebas citatum textum hoc modo. *Hoc est à Corporis consortio pendens, ut existat, ob liberam divini conditoris voluntatem*. Perperam tamen exponebas; nam si Spiritus belluinus, ut à Corpore, ita cum Corpore Dissolvitur; sicut solvitur à Corpore quia per priùs distinguebatur ab illo; Ita dissolvitur in partes, quia per priùs componebatur ex partibus; Quod si ut mox dicebam, componitur ex partibus, non est vera entitas & Substantia Spiritualis; Et si in partes dissolvitur, non desinit per annihilationem ergo &c. Ex his autem omnibus, abundè patet, quod cum nulla vera ratio, nulla Scripturarum assertio, nulla Sanctorum Patrum auctoritas ostendat Brutorum Animas è Corpore solutas, à Deo annihilari, talium Animarum annihilatio commentitia est, & ullo absque fundamento, praecisè ad vitandas indeclinabiles difficultates excogitata; Quae tamen omnes (cum per vanum effugium minimè solvantur) in suo robore manent, ac belluinae Spiritualitatem Animae, eliminant prorsùs, atque profligant.

Phil.

(n) *An. Brut. vindic. Dial. 6.*

Phil. Etsi Scriptura Sacra, expressam de belluini Spiritus Annihilatione, mentionem non faciat, apertè tamen Brutorum Animam Spiritualem docet, hoc satis est mihi; Ex hoc enim statim constat aerea prorsùs ea esse absurda, quae ex belluinae Animae Spiritualitate deducere conaris; & si Aristippo lubet, quod Scripturae monumenta afferam....

Arist. Satis hoc manè concertatum sit; Benè ambo valete, & si post prandium utrique ad me redire placet, ex novâ Concertatione vestrâ novam, atque utilissimam voluptatem recipiam.

Crit. Multos hodie expecto Domi meae Convivas; Utinam mererer & ab Aristippo, tantum recipere honoris; Sed quoniam scio te apud alios numquam convivari solitum, sat mihi sit desiderium tibi meum per quàm sincerè exposuisse; Eamus Philadelphe, eamus, te enim manent Convivae mei.

SA-

SACRAE SCRIPTURAE AUCTORITATE

Spiritualis Anima Brutorum Profligatur.

DIALOGUS SEPTIMUS.

Philadelphus, Critophilus, Aristippus.

Phil. Cce adsumus Aristippe humanissime & nutibus tuis, & Concertationibus nostris parati ambo; Bene nè quievisti à prandio?

Crit. Ipsa frontis hilaritas, ipsa vultus in colore viriditas, tranquillo te somno indulsisse testantur, nisi fortè, quod nollem, nec puto, evenerit in te quod olim ajebat Cicero. *Frons oculi vultus, persaepe mentiuntur*.

Arist. Optimè quievi utique; Somnum tamen, ad quem me solito tardiùs componere distuli, ad mediam vix vix horam protraxi, ne à vobis huc accedentibus, adhuc quiescens invenirer; Quidquid itaque temporis quieti subtractum est, vestrarum disceptationum superaddatur labori; Vester enim eruditus labor, in utiliorem mihi quietem redundat.

Crit. Quoniam ex Sacrarum Litterarum fonte, se argumenta educturum jactabat hoc manè Philadelphus, quibus certam faceret, atque ab omni

omni eximeret notâ belluinae animae Spiritualitatem, sollicitè & ego cupio promissa è Scripturis audire momenta.

Phil. Tu ea audire sollicitus, & ego afferre paratus; unum tamen est quod ob oculos tuos ponam, ex Sancti Augustini opportunâ animadversione, nè scripturas quas afferam, ad tua praesumas sensa detorquere, quod videlicet (*o*) Scriptura Sacra, *Sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat*. Hoc enim si retineas, certissimum mihi parant Scripturae Triumphum. Audi itaque quàm irrefragabili testimonio Spiritualitas belluinae Animae comprobetur. Legimus (*p*) *Cognovit bos Possessorem suum*. Potest ne luculentius aliquid expeti ad caussae victoriam meae? Si Brutis cognitio, inest, Bruta non ex solâ constant materiâ, quae apud omnes Philosophos cognoscitiva nec est, nec esse potest; Ergo aliâ comparte constant quae Spiritus sit sive Spiritualis Anima, nam quod materia non est, Spiritus est, cum nullum detur medium, Materiam inter, & Spiritum. Dicitur in libro Genesis (*q*) *Interficiam omnem carnem, in quâ est Spiritus vitae*. Est igitur & in Bestiis Spiritus vitae, ut est in hominibus. Et sequenti capite *Universae aves, omnesque volucres ingressae sunt ad Noe in arcam bina & bina ex omni carne, in quâ erat Spiritus vitae*. Quemadmodum itaque vox illa *Spiritus* cum de homine dicitur, verum significat Spiritum, ita & cum de Brutis asseritur,

(o) *S. Augus. lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 3.* (p) *Isaiae. 1.* (q) *Genes. cap. 6. v. 17.*

tur, immaterialem in ipsis affirmat Substantiam: Luculentissimum habemus in Ecclesiaste testimonium (r) videlicet. *Quis novit si Spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & Spiritus jumentorum descendat deorsum?* Quod quidem aliàs etiam afferebam, & tu te satis ab illo expedjisse opinatus es per mysticam D. Hieronymi expositionem, Incassùm tamen, nam mystica SS. Patrum interpretatio, viam occludere non debet genuino, ac proprio divinarum Litterarum sensui; Praemiserat autem citato loco Ecclesiastes. *Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius* quae verba in Hebraicâ, Syriacâ, & Arabicâ versione sic leguntur. *Omnibus unus Spiritus*. Neque verò est, quod adhuc reponas, sicut olim inefficaciter arguebas (ſ) quod Tò unus Spiritus, aut de unitate numericâ intelligi debet, aut de unitate specificâ, aut de unitate similitudinis; Nullo ex his modis; Superest ergo ut intelligatur juxtà Symmachi aut Vatabli expositionem nimirùm, omnibus esse unum Halitum, unam Respirationem, aut unum Flatum; Omisisti enim, & fortè ex industriâ, Unitatem genericam, quâ fit ut in communi Substantiae immaterialis notione, Bruta Animalia cum Hominibus conveniant, absque ullo tamen confusionis periculo. Denique ajebat psalmographus (t) de Brutis loquens & Providentiâ Dei erga ipsa. *Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate; Avertente autem te faciem, turbabuntur, auferes Spiritum eorum; & deficient, & in*

(r) *Eccles. cap.* 3. (ſ) *Disser. cont. An. Spirit. Brut. dial.* 4. (t) *Psal.* 103.

in pulverem suum revertentur. Super quae verba scribit S. Joannes Chrysostomus. *Te enim volente, Animae quoque, & corporis separatio fit: Quod quum contingit, corpus corruptioni adjicitur, atque in pristinum pulverem relabitur. Per Spiritum autem hoc loco, Animam intelligit* (*u*) Anima igitur Brutorum, Spiritus est. Quia tamen conaberis illa forsan Scripturae loca, de non vero Spiritu interpretari, grave tibi non sit alia audire, quae cum Gaudium, Cognitionem ac Memoriam, Sapientiam, atque Prudentiam Brutis attribuant, Spiritualem certissimè ac ineluctabiliter Animam, supponunt ac evincunt in illis. *Tunc praecucurrit canis* sic legitur in libro Tobiae (*x*) *qui simul fuerat in viâ, & quasi nuncius adveniens, Blandimento suae caudae gaudebat*. Scriptum reperimus apud Jeremiam (*z*) *Milvus in coelo cognovit tempus suum. Turtur, & hirundo, & Cyconia custodierunt tempus adventus sui*. Proponitur homini in exemplum Sapientia formicae in Proverbiis (*a*). *Vade ad formicam ò piger, & considera vias ejus, & disce Sapientiam, quae cum non habeat ducem, nec praeceptorem, nec principem, parat in aestate cibum, & congregat in messe quod comedat*. Consulit nos Christus Dominus (*b*) ut discamus à Serpentibus prudentiam, dicens. *Estote ergo prudentes, sicut Serpentes*. Haec igitur cum adeo clara sint, quis porrò rudis adeo erit Minervae, aut pervicacis adeo Ingenii, ut affirmare non vereatur, Gaudii, & Doloris sensum, Cognitionem, Memoriam, Sapientiam, pruden-

E e tiam

(u) *S. Joa. Chrys. in psal.* 103. (x) *Job. cap.* 11. (z) *Jerem. cap.* 8. (a) *Prov.* 6. (b) *Matt.* 10.

tiam & hujusmodi, corporalibus etiam Substantiis convenire posse, aut solius Spiritualis Substantiae (saltem ut novimus) non esse proprias?

Arist. (*c*) *Arresta alquanto alle vittorie il corso:*

Et locum da Critophilo, ut si quid respondere valeat, abs morâ depromat.

Crit. Meliùs Aristippe dixisses:

Arresta alquanto a tuoi Sofismi il corso

Si enim ex quo in Scripturis, Brutorum Anima, nomine Spiritus exprimatur, inferre licet eam verum esse Spiritum, aequo jure poterit deduci Animam hominis esse corpoream, cum illam nonnunquam afferant Scripturae, interfici, marcescere, & mori. Quid ni & Deum ipsum corporeum esse ex Scripturis constet, cum in illis saepè mentionem fieri audiamus de Vultu Dei, de Oculis, de Corde, de Manu de Digitis, de Brachio &c. tanquam Deus verè habeat in se corporea membra? Sed praestat antequam ad objecta ex Scripturis Sacris respondeam loca, de duobus in quibus accusor, me vindicare.

Ajebas nimirum, me illud Ecclesiastis unicè exposuisse per Mysticam interpretationem Divi Hieronymi; Hoc autem facilè refello, te confidenter admonens, ut iterùm animo revolvas attentiori, quae olim respondi (*d*) sic enim fiet ut inve-

(c) *Rol. lib. 6. canz. 15.* (d) *Differt. cont. An. Spir. Brut. Dial. 4.*

venias, & aliam D. Hieronymi expositionem à me allatam, & aliam ex Angelico Doctore in eundem Ecclesiastis locum recitatam, & his inventis animadvertas, te falsò mihi ista impingere. Ajebas ulteriùs ad eum locum *Similiter spirant omnia* & ad alias hujus loci versiones *Omnibus unus Spiritus*, me ex industriâ omisisse unitatem genericam cum alios afferrem sensus, in quibus tò *Unus* accipi posset: Sed quamvis omisissem talem Unitatem, puto adhuc me ex Scopo Ecclesiastis, clarè admodum ostendisse; Ea verba *Omnibus unus Spiritus*, non de vero intelligenda esse Spiritu, sed in hoc tantùmmodo sensu, quod omnibus Animalibus, idem est halitus, eadem respiratio, idemque omnibus flatus; Quo semel ostenso, non debui loqui de unitate genericâ belluini Spiritus cum Humano, cum ibi Scriptura de respiratione quidem omnibus Animalibus communi loqueretur, non autem de Spirituali Substantiâ quae omnibus promiscuè Animalibus insit: Verùmtamen genericam ipsam Unitatem, implicitè saltem expressi, cum de unitate similitudinis univocae mentionem feci, nam & quae habent unitatem Univocae Similitudinis in aliquâ non ultimâ differentiâ, vel in aliquâ ratione genericâ, habent pariter, genericam Unitatem; & quae genericam Unitatem habent, habent itidem univocae Similitudinis unitatem. Sic Cedrus, sic Populus, sic Quercus habent unitatem univocae Similitudinis in ratione Viventium, & habent unitatem genericam in ratione eâdem; Non ergo ex industriâ eam omisi genericam Unitatem, cujus equivalenter & implicitè, quantùm satis erat, mentionem feci.

Levioris tamen ista momenti sunt, nec digna ut prolixiori discursu refellantur; Fas modo est primitùs ostendere, nullum tibi ex Scripturis verum comparari praesidium, Et postea Scripturas ipsas tibi clarè adversantes, Placitumque tuum prorsùs convellentes demonstrare. Primò itaque opus est advertas, ex illo Isaiae *Cognovit bos possessorem suum*, in quo plurimum confidis, nihil te in rem tuam concludere posse, si ea recolas quae jam discussa sunt (e) ubi fusè ostendi discrimen Cognitionis Intellectivae, à Cognitione merè Sensitivâ, & discrimen Substantiae verè propriéque Spiritualis, à Substantiâ merè, & materialiter tantùm, nec nisi dependenter ab organo corporeo, Cognoscitivâ; Sed quia de hac cognitione quam Brutis Scriptura attribuit, erit nobis inferiùs sermo, festinemus ad alia. Rem magnam praestitisse putas multa congerendo loca, in quibus Brutis inesse dicitur *Spiritus*; Sed si ex quo Scriptura designet sub nomine Spiritus Brutorum Animam, meritò ex hoc praecisè inferre licet, talem Animam veram esse Spiritualem Substantiam, planè non video, cur venti ac procellae, sive aeris aquarumve commotiones, Substantiae Spirituales non sint dicendae, cum quantùm in praesentiarum recordor, novies saltem in Scripturâ Sacrâ, nomine *Spiritus* expressae inveniantur; Aliunde itaque quàm ex merâ *Spiritus* voce, Brutorum Animae à Scripturis attributâ, argumentum desumendum est, quo probetur nomen illud *Spiritus* belluinae Animae à Scripturis appositum, de ipsarum Scripturarum mente, non

aliter

(e) *An. Spir. Brut. profilg. Dial. 2.*

aliter posse & debere intelligi quàm de verâ Spirituali Substantiâ.

Quia verò cum multiplicem Scripturae patiantur sensum, te sub istarum umbrâ securum video, etsi non vincere certum, vinci tamen impavidum; Ad alia Scripturae loca confugiamus oportet, per quae nobis certò innotescat, nùm veram Spiritualem Substantiam inesse Brutis, doceant Scripturae, an non, cum Brutis inesse *Spiritum* dicunt. *Recordare praeterita*, dicebas olim mihi, nunc egò tibi ex Origene (f) *audi praesentia, quae sequuntur adverte. Confer priora posterioribus, & divinarum virtutum magnificentiam contemplare*. Si enim textus cum textibus conferamus, & aliquos reperiamus, quorum Rita intellectiò non compatiatur cum litterali acceptione vocabuli *Spiritus* cum praedicatur de brutis, sive Animâ eorum; Constabit planè nomen illud *Spiritus* cum de Brutis dicitur, nòn pro verâ Spirituali Substantiâ significandâ, à Scripturis ipsis usurpari, proindeque ex Scripturarum auctoritate Substantiam Spiritualem in Brutis, nè dum non evinci, sed imò potiùs profligari. *Asserendo enim temerè quod ille non sensit, quem legit* (Sic monet nos, & opportunè Sanctus Augustinus (g)) *plerumque incurrit in alia quae illi Sententiae contexere nequeant, quae si vera & certa esse consentit, illud non possit esse verum, quod senserat*. Ut itaque quantùm fieri potest, clarâ methodo procedamus, inquiro abs te nùm Spiritualis Substantia possit aliter fieri, quàm

per

(f) *Orig. hom. 25. in cap. 13. Num.* (g) *S. Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 37.*

per creationem? Peto insuper nùm Substantia Spiritualis sit verè, ac propriè intellectiva?

Phil. Paucis respondeo, Animam Spiritualem, sicuti per solam annihilationem desinere, ita per solam Creationem fieri posse; Concedo etiam omnem & quamcumque Spiritualem Substantiam verè esse intellectivam, diverso quamvis Intellectivitatis gradu, ex diverso gradu Spiritualitatis proveniente; Unde nihil vetat Spiritualem aliquam Substantiam, cum sit in infimo Spiritualitatis gradu constituta, restrictam & limitatam habere ad sola corporalia objecta Intellectivitatem, imò hujusmodi esse Animam Brutorum, constanter affirmo.

Crit. Hanc intellectivitatis ad sola materialia Limitationem, nè repetas quaeso, quia & in aliâ Concertatione insubsistens, & fictitia ostensa est, & ad praesens institutum, impertinens est; Quaero enim in praesentiarum, nùm Substantiae omnes Spirituales intellectivae sint, non verò in quo Gradu, vel quorum objectorum, sint Intellectivae: Sentis ergo, & concedis Animam Spiritualem nonnisi per Creationem posse produci; Itidemque Animam quamcumque verè Spiritualem, esse Intellectivam; Quare si ex Scripturis ostendero, Animam Brutorum non fieri per Creationem; Si probavero ex earundem monumentis, Animam Brutorum non esse intellectivam, meritò fateri cogéris Brutorum Animam, ex mente Scripturarum, non esse Spiritualem.

Quid autem de primo dubites? Lege librum Gene-

Geneseos (*h*) & invenies quod . *Dixit etiam Deus , producant aquae reptile viventis , & volatile super terram* , & postea pro ejus loci interpretatione , adi , non quidem Benedictum Pererium tantùmmodo , sed D. Hieronymum , Augustinum , Cyrillum , aliosque Sanctos Patres (praeter Rupertum) ab ipso citatos Pererio , & nosces eorum in hunc locum Sententiam esse (*i*) tàm aves , quàm pisces , ex aquâ quasi materiâ esse productos , hoc enim clarè docet tàm nostra Versio, quàm Septuaginta , & Chaldaeus , qui omnes in Hebraeo intelligunt relativum *Ascer* idest *quod* (hoc enim hebraeis est familiare) quasi dicatur . *Producant aquae reptile , & volatile , quod volet super terram* ; Non ergo pro Reptili , & Volatili , solum reptilis , & volatilis Corpus , debet hoc loco intelligi de mente Sanctorum Patrum , sed integrum & adaequatum Reptile , integrumque & adaequatum Volatile venit intelligendum , juxtà genuinam textus expositionem ; Cumque reptile & volatile vivens adaequatè acceptum , Corpus simul Animamque constitutivè importet ; Si ex aquis productum est Reptile , si ex eisdem productum est Volatile ; Reptilium , Volatiliumque & Corpora , & Animae, genesim verè suam ab aquis , seu aquarum materiâ sortita sunt . Hinc est , quod egregius Scripturarum Interpres Cornelius à lapide , locum illum : *Reptile Animae viventis* , juxtà Sanctorum Patrum mentem sic exponere non dubitaverit . (*k*) *Idest reptile habens Animam viventis , sive Animalis sentientis* ;

(h) *Lib. Gen. Cap. 1. v. 20.* (i) *Apud Cornel. à Lap. in Genes. Caput. 1.* (k) *Cornel. à lapide ibid.*

tientis; Reptilia vocat pisces, quia pisces non habent pedes, sed ventre incubant aquis, quasi repentes, & remigantes. Reptile porrò habens Animam viventem, non est nudum Corpus, sed Corpus animatum; Sicut ergo ex quo dicant Scripturae. *Producant aquae reptile* meritò intelligitur reptilium Corpus formatum ex aquâ, & Piscium quidem ex aquâ densiori, Avium verò ex aquâ subtiliori quaeve ad aerem accedit, ut docent S. Augustinus (*l*) & Divus Thomas; (*m*) Ita ex quo dicant eaedem Scripturae. *Reptile Animae viventis*, ipsas reptilium Animas, jure intelligimus eandem cum Corpore nativitatem habuisse (quovis tandem modo) ex materiâ. Sed quid opus est, unum ex alio inferre, cum explicitè, utrumque à Scripturis doceatur? Nonnè eodem citato Geneseos Capite, postquam dictum est. *Producant aquae reptile*, legimus pariter dictum. *Producat terra Animam viventem*? Quis ergo dubitandi relinquitur locus, Animalium & Corpora & Animas (quantùm saltem ex Scripturis novimus) ex aquis terràque in primâ rerum productione exjisse?

Nè tamen aliquando incusare me possis, quod Sacrarum Litterarum sensum, ad mea sensa pro libi o detorqueam; Non te pigeat audire quae sit Sancti Thomae genuina mens, in rem illam; Puto siquidem, quod non audebis tantum Ecclesiae Sanctae Doctorem de falsâ, vel arbitrariâ Scripturarum interpretatione, insimulare. Inquit ergo Sanctus Doctor, cujus Doctrina ab Ecclesiâ Dei non

(l) *S. Aug. lib. 3. de Gen. ad litt.* (m) *D. Th. 1. p. q. 71. art. 1.*

non quidem ut multorum est , tantum permissa , sed positivè approbata & acceptata , ac Fidelibus proposita,ut illam sine ullo erroris periculo sequantur ; Inquit , ajebam , (n) *Anima Brutorum producitur ex virtute aliquá corporeá , Anima verò humana , à Deo* . Tum loca Sacrae Scripturae subdit, quibus utrumque probat assertum , inquiens . *Anima Brutorum producitur ex virtute aliquá corporeá ; Anima verò humana , producitur à Deo , & ad hoc significandum dicitur Gen.* 1. *Quantùm ad alia Animalia . Producat terra Animam viventem . Quantùm verò ad hominem dicitur , quod . Inspiravit in faciem ejus Spiraculum vitae.* Et immediatè postquàm, hujus expositionis,sivè explicationis concordantiam,mutuamque cum aliis Scripturae locis relationem , ostendit , rationem praemissae interpretationis subnectit dicens . *Et ideò concluditur Eccl. ultimo . Revertatur pulvis in terram suam , unde erat , & Spiritus redeat ad Deum , qui dedit illum .* Patere autem Philadelphe quod ex his , quae tantus Doctor immediatè subjungit , ejus etiam textus expositionem afferam , quem praecedenter ex Ecclesiaste recitabas ; Ait enim . *Similiter processus vitae est similis quantùm ad Corpus , ad quòd pertinet quod dicitur in Ecclesiaste . Similiter spirant omnia , & Sap. 2. Fumus , & Flatus est in naribus nostris &c. sed non est similis processus quantùm ad Animam , quia homo intelligit , non autem Animalia Bruta , unde falsum est quod dicitur . Nihil habet homo jumento ampliùs , & ideò similis est interitus quantùm ad Corpus , sed non quantùm ad Animam ,*

Ff Vi-

(n) *D. Th. 1. p. Quaest. 75. art. 6. ad 1.*

Vides porrò Aristippe, quàm immeritò sibi de victoriâ blandiatur Philadelphus, ex iis quae adduxerat Divini Verbi monumentis; Cum potiùs ea ad Angelici Doctoris mentem intellecta, nè dum belluinae Creationem Animae non evincant, sed radicitùs evellant potiùs, ac falsam ostendant. Neque verò est quod objiciat Philadelphus ex Benedicto Pererio (o) *Nonnulli hebraicè scientes, existimant illud producat; Positum esse parasi hebraicâ, pro eo quod producantur ex terrâ, vel producantur in terrâ*; Retentâ siquidem magnâ Pererii aestimatione, respondere non vereor, quod si scire cum Divo Thomâ, hebraicè scire est, malo hebraicè scire cum Angelico, quàm aliter cum Pererio: Nec etiam aliquid melius molietur repetendo ex Scripturis. *Creavitque Deus Cete grandia, & omnem Animam viventem, atque motabilem* (p) Nunquid enim non ea legerat D. Thomas? Si itaque non obstante verbo illo *Creavit*, productionem tamen Brutorum, etiam quantùm ad Animam, expressit D. Thomas, ex aliquâ virtute corporeâ factam fuisse; Satis constare debet ly *Creavit* non debere eò loci rigidiori in sensu accipi, nec quidquam officere belluinae Animae eductioni ex materiâ; Et sanè si Brutorum Animae à solo Deo creatae sunt, nullo concurrente subjecto *ex quo*, sive absque materialis saltem caussae concursu; Ut quid dicit nobis Scriptura, Deum imperasse terrae, ut produceret illas. *Producat terra Animam viventem?* Porrò, nonnisi otiosè id dictum esset, si terra, ad hujus Animae viventis productionem ne-

(o) *Bened.Perer.Com. in Gen lib.*1. (p) *Gen. cap.* 1. v. 21

neque in ratione Caussae materialis *ex quâ*, concurrere debebat. Hinc supra laudatus Cornelius à lapide in hunc locum *Producat terra* &c. sic ait. *Non quasi Caussa efficiens, haec enim fuit solus Deus, sed tanquam Caussa materialis, quasi dicat. Exoriantur, emanent, exurgant, prodeant Animalia ex terrâ.*

Phil. Memini tamen me ex Benedicto Pererio quondam (q) attulisse, quod illud *producat* &c. *non denotat vim activam & effectricem animalium* ... *Denotat igitur tantùm materiam è quâ postêà per omnipotentem Dei vim facta sunt Animalia*. Non dixit Animalium Animae; Propterea illae dicendae non sunt ex Terrâ productae.; Audirem itaque libenter quid hisce respondere noveris; Immò, si conjicere licet; Ex ipsismet divinarum Litterarum vocibus, suffragium postulari posset; Neque enim dixit Deus. *Producant aquae Animam viventem reptilium*, *sed reptile Animae viventis*, hoc est Corpus, quod Animae viventi conjunctum repat; Secundùm quem Sensum, ea pariter accipienda sunt quae versu 24. leguntur. *Producat terra Animam viventem*.

Crit. Verè miram in te dexteritatem agnosco; Subtili enim artificio Curas, ut omnia eo colore imbuta appareant aliis, quo praeoccupato Ingenii tui oculo, illita vides: Si Scriptura ait. *Producant aquae reptile Animae viventis*, vis quod tò *reptile* de solo & inanimi Corpore intelligatur: Si paulò post eadem Scriptura eodem libro, eodemque contextu dicit. *Producat terra Animam viventem*: tò *Animam* contendis non debere accipi pro

 Ani-

(q) *An. Brut. vindic. Dial. 6.*

Anima, sed pro Corpore solo: Denique si Pererius scribit in illa Scripturae verba *Producat* &c. *Denotat tantùm materiam, è quâ ... facta sunt Animalia* Sustines tò *Animalia* non significare Corpora animata, sed sola Corpora Animalium, quia non dixit. *Animalium Animae*; Quasi verò, Animal sit sine Animâ, vel dici possit verum Animal sine illâ; Porrò quid hoc est aliud, quàm Scripturas Sacrosque Interpretes, non interpretari, & exponere, sed arbitrariâ explicatione ad inauditos, incongruosque Sensus distrahere? Sed, inquis, non dixit Scriptura v. 20. producant aquae Animam viventem reptilium, sed potiùs *reptile Animae viventis*; Ergo quando postea dixit ver. 24. *Producat terra Animam viventem*, oportet illam interpretari, non de productione Animae, sed de solius Corporis formatione: Verùmtamen in te redit retorta Sagitta; Si ergo diceret Scriptura. Producant aquae Animam viventem, non posset te concedente, intelligi de solo Corpore, sed etiam de productione Animae, foret exponenda; Ast quod expressè non dixit ver. 20. nonnè clarissimè expliciteque affirmat ver. 24. inquiens: *Producat terra*, non quidem *Reptile*, quod intelligas pro solo Corpore; Non quidem *Animalia*, quem terminum exponas, ut mox exponens Pererium, de Corpore sine Animâ. *Sed Animam viventem*? Cur ergo mavis explicita implicare per implicita, quàm implicita ritè intelligere, per ea quae explicita sunt? *Confer priora posterioribus* repetam cum Origene, *& divinarum virtutum magnificentiam contemplare*. Legis productum ex aquis, reptile Animae viventis;

tis ; Legis paulò infrà dum de primâ rerum agitur Genesi, productam ex terrâ Animam viventem ; Et non tibi satis est, interpretari de solo dictum Corpore ly *Reptile*, sed ipsam expressissimam *Animae* vocem, intelligere vis pro solo Corpore ? Animadverte quaeso quod sive ver. 20. sive 24. per Synecdochen Scriptura loquitur, totum intelligi volens unâ licet tantùm designatâ parte : Cum ait Scriptura. *Producat terra Animam viventem*, non significat solius Animae productionem, Corpore adhuc improducto, sed Animalium Viventium productionem ; Ita ut idem sit dicere, producat terra Animam viventem ; Ac producantur ex terrâ Animalia viventia ; Similiter cum dictum est. *Producant aquae reptile &c.* Non est sermo de solius formatione Corporis, quasi Corpus reptilium, ante eorundem Animarum productionem, extiterit (hoc enim nonnisi somniando dici potest) cum nec umbratile in Scripturis fundamentum habeat ; Sed de integri reptilis Animalis formatione ; Hinc est quod consultò tanquam in Scripturis Sacris apprimè versatus, Benedictus Pererius, ad illa verba. *Producant aquae &c. Producat terra &c.* noluit dicere. *E' quâ facta sunt Animalium Corpora*) sic enim nullimodè Animalium expressisset Animam, sed verissimè dixit. *E' quâ facta sunt Animalia*, optimè nimirùm sciens, quod ad ritè explicandos praelaudatos Sacrae Scripturae textus, non satis erat dicere, vel ex aquis, vel ex terrâ producta fuisse Animalium Corpora divisivè ab Animis, vel Animas eorundem divisivè à Corpore, sed dici debere producta *Animalia* ; Quae cum constitutivè & Ani-

& Animam importent, & Corpus, significaretur, Animalium Brutorum Corpus, Animamque, à Deo è materiâ fuisse producta, ut pariter docent. SS. Ambr. Aug. Th. aliique primae notae Patres.

Phil. Nè Sanctos Patres in rem hanc afferas Critophile: nam quemadmodum sensu non rigidiore Philosophorum, sed ad indoctae plebis captum accommodato, Sacri Eloquii sententias accipiendas esse judico; Eodem SS. etiam Patrum Auctoritates reor esse intelligendas, quos sanè animo divinis Libris non contrario, locutos fuisse credere debemus; Potissimùm quum nos admoneat Religiosus vir genere quolibet eruditionis ornatissimus Melchior Canus (r) *Sancti Auctores non erant adeo solliciti in Philosophiae dogmatis perscrutandis, quin Philosophorum libros, ut totos sese Divinae Sapientiae dederent, aut valere sinebant, aut etiam interdum à limine salutabant.*

Crit. Egregiè sanè. Debemus itaque credere, Sanctos Patres locutos animo, divinis Libris non contrario; Sed quis porrò est genuinus Sacrorum Librorum sensus? Nùm quem tu fingis? An potiùs quem illi docent? Si Sancti Patres divinae potiùs quàm humanae, se dedidere sapientiae; Cum hìc non de Opinione Philosophicâ, sed ejus occasione, de Scripturarum sensu agamus, standum potiùs Sanctis Patribus Divinae Sapientiae deditis, quàm Philosophis, de suâ nimium ratione praelumentibus; Nam ipso Sancto testante Spiritu (s) *Anima viri Sancti enunciat aliquando vera, quàm septem circum-*

(r) *Melchior Canus loc. Theol. lib. 7. cap. 3.* (s) *Eccli 37. v. 18.*

circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Verùmtamen res mira est, nimiamque opinandi ac dicendi Licentiam de facili arguens! Si enim quempiam reperias Sanctum Patrem, sacrumque Interpretem, qui in tua videatur posse distrahi sensa, ejus cumulare verba non dubitas, eumque in Philosophiae dogmatis, pro eruditissimo habes; Si verò à me citentur Sancti Ecclesiae Doctores, omni abs dubio, exceptione majores, qui placito adversentur tuo, eos pro Philosophis non habes; Sed pro talibus habeas eos, vel non, ut placuerit; Sat mihi, eos sicut in divini Verbi lectione versatissimos, ita in ejusdem Intellectione peritissimos negari non posse; Quorumve auctoritati, potiùs quàm noviorum Philosophorum sensui, Catholicus quisque, quisque Sanioris Sectator Doctrinae, & se credat in Theologicis, & tutò fidat in Philosophicis.

Et nè uni Sanctorum Patrum auctoritati litem committere videar, vellem equidem detegere Aristippo, tuam in citandis ex Scripturâ textibus non integram fidelitatem; Siquidem ut ostendas (t) quod Animalia sive aquatilia, sive aeria producta non fuerint ex Materiâ praesuppositâ, quantùm etiam ad Animam, citas ex Scripturâ: *Creavitque Deus Cete grandia, & omnem Animam viventem, atque motabilem*, mutilum tamen citas textum, contextu dextetrimè relicto, quia nullimodè eum poteras, in tuas partes interpretari, inquit enim Scriptura loco à te laudato: *Creavitque Deus Cete grandia, & omnem Animam viventem, atque*

(t) *An. Brut. vindic. Dial. 6.*

que mutabilem. Audi Philadelphe, quae nullo interposito sequuntur, & datâ operâ, apertis licet oculis, transilire voluisti. *Quam produxerant aquae in species suas, & omne volatile secundùm genus suum*; Si itaque teste Scripturâ creavit Deus omnem Animam viventem, quam produxerant aquae, Aliquo saltem modo concurrerunt aquae, ad productionem Animae viventis, Reptilium atque Volatilium; Sed si ad talis Animae productionem materia concurrere potuit, jam talis Anima facta est ex aliquo subjecti, nec proin verè strictèque creata (cum Creatio importet productionem rei ex nihilo nedùm sui, verùm & subjecti) ergo &c. Immò quod ly *Creavit* eo loci non significet creationem propriè talem, non obscurè innuit eadem Scriptura sequenti Capite (u) inquiens, non quidem *Creatis*, sed. *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae, & universis volatilibus Coeli, adduxit ea ad Adam &c.*

Enimverò cum inquiat Scriptura. *Formatis* &c. de humo, non animantium solis Corporibus; sed *Animantibus*, quis porrò ambigat Animantia Bruta & quòad Corpus, & quòad Animam, suam ab humo, sive materiâ genesim esse sortita? Neque verò reponas quod per tò *Animantibus* non significatur, nisi unicè Animalium Corpus; quemadmodum eodem citato Capite, esto legamus. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae*, nemo tamen nisi falsò atque stultissimè dicet, ipsam etiam hominis Animam (quae importari videtur in illo termino *hominem*) homo enim adaequatè

(u) *Genes. lib. 2. v. 19.*

quatè acceptus ex Animâ constat & Corpore simul unitis) formatam fuisse de limo terrae. Pari itaque jure, non animantium Anima in posteriori loco, intelligi potest de limo terrae formata, sed Animantium tantùmmodo Corpus. Nè inquam id respondeas, siquidem dùm dicitur, Deum formasse *Hominem* de limo terrae, per tò *Hominem* solum significari hominis Corpus, patet manifestè in immediatè subsequentibus, prosequitur enim Scriptura dicens. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, & factus est Homo in Animam viventem*. Homo proinde de limo formatus nundum vivebat, nundum Animam, de quâ statim mentio fit, fuisse ei à Deo inspiratam, receperat; Erat ergo non integer homo, sed homo tantùm inadaequatè acceptus, & secundùm ignobiliorem partem ejus, videlicet praecisè secundùm Corpus. At verò cum de Animalium formatione sermo est; Ubi nam Scriptura, postquam ait Deum formasse de humo Animantia, distinctè loquitur de eorum Animâ, quasi de entitate, nobiliorem habente originem, & quasi Animantium inibi de humo formatorum nomine, solum eorundem Corpus denotetur?

Quia verò Sacrarum Scripturarum sensus tutior veriorque, potiùs apud Sanctos Patres divino illustratos lumine, quàm apud Philosophos perspicaci quantumvis ingenio praeditos, querendus est, audiat Aristippus, quae sit quòad hoc momentum SS. Patrum Doctrina: Sanctus Ambrosius, discrimen assignans inter Animalium productionem, &

productionem hominis, inquit (x). *Bestias non fecerunt manus tuae, sed dixisti. Producant aquae reptilia Animarum viventium, & produxit terra secundùm genus quadrupedia & reptilia, & Bestias terrae, me autem, inquit, fecisti, hoc est, non figurasti Bestias manibus tuis, non reptilia, non volatilia, me autem fecerunt manus tuae.* Respondebas Philadelphe (z), memini equidem, Divum Ambrosium ibidem tantùm loqui de Bestiarum Corporibus, idque satis indicari verbis illis ex eo relatis. *Producant aquae reptilia Animarum viventium*, sed oportet indubiè, aut responsionem revoces, aut deleas immediatè sequentia, quae à D. Ambrosio ex cripta sunt, nimirùm. *Et produxit terra secundùm genus quadrupedia, & reptilia, & bestias terrae*, nam nomine quadrupedum, reptilium, bestiarumve, non sola illorum Corpora veniunt, sed integra Animalia; Quare si terra produxit integra Deo mandante Animalia, non excessit Dei mandatum, plùs nimirùm producendo, quàm jussum fuerat à Deo, imò nec excedere poterat; Tota enim virtus sua, à Verbo Dei processit in ipsam; Imperium igitur Dei *Producant* &c., ex mente Divi Ambrosii, non circà sola Animalium Corpora versabatur, sed potiùs circa eorundem, & Corpus & Animam, cum, sublato alterutro, Animal non ampliùs Animal sit.

Maximum Ecclesiae Lumen Divus Augustinus, praecellentem Animalium genesi, Hominis nativitatem ita exprimit. (a) *Intelligimus spiritum vitae*,

(x) *S. Ambr. exposit. in Psal.* 118. (z) *An. Brut. vindic. dial. 6.* (a) *D. Aug. l.* 13. *de Civit. Dei cap.* 24.

vitae, *&* *Animam viventem*, *Scripturam suo more dixisse*, *cum Animalia*, *idest Corpora animata vellet intelligi*, *quibus inesset per Animam perspicuus iste etiam Corporis Sensus*; *In hominis autem conditione*, *obliviscimur quemadmodum loqui Scriptura consueverit*, *cum suo prorsus more locuta sit*, *quo insinuaret hominem*, *etiam rationali Animâ acceptâ*, *quam non sicut aliarum carnium*, Animam intellige Animalium *aquis*, *&* *terrâ producentibus*, audis Philadelphe? Non hìc Augustinus de solis Bestiarum Corporibus sermonem instituit, ut respondere non dubitabas (*b*), sed expresse de Animalium Animâ tractat, hancque docet existentiam primâ in Mundi Creatione recepisse. *aquis*, *&* *terrâ producentibus* ipsam. Audis Philadelphe D. Augustinum? Non habet ipse Corporales Caussas pro puris occasionalibus Causis, ut olim sentiebas, sed aliquam & illis efficientiam concedit. Ait enim: *Aquis*, *&* *terrâ producentibus*; Audis Philadelphe? Non sentit S. Augustinus Brutorum Animam esse Substantiam Spiritualem, sed potiùs talis naturae, ut potuerit jubente Deo, ab aquis terrâque produci. *Aquis*, *&* *terrâ producentibus*. Tùm opponens aliarum Animarum productioni ex aquis factae, & terrâ, Animae productionem, humanae, statim sequitur. *Sed Deo flante creatam voluit intelligi*. Mirum sanè quod tantus Ecclesiae Doctor, opponat in hoc Animam hominis Animae Brutorum, quòd illa fuerit à Deo creata, non autem ista, si & illa, & ista ab ipso doceretur fuisse creata.

Quod spectat ad Sanctum Thomam id ipsum

(b) *An. Brut. vindic. Dial. 6.*

ſum docentem, quod contendo; Jam audiſti Ariſtippe paulò ante cum haec ex ipſo recitarem. *Anima Brutorum producitur ex virtute aliquâ Corporeâ*, ſubnectit poſtmodum ullo abſque intervallo, tanquam omninò diverſam à productione Animae belluinae, humanae productionem Animae, dicens, *Anima verò humana producitur à Deo*. Et haec quidem jam aliàs ex D. Thomâ retuleram. Sed quoniam veritus non es reſpondere Philadelphe (*c*) nolle te interpretari verba D. Thomae, utpotè qui Ariſtotelicis placitis addictiſſimus eſt; Iterum afferre non piguit, ut occaſione hac animadvertendum proponerem tibi, quod S. Thomas non Scripturas Sacras, ad Philoſophorum placita traxit, ſed potiùs abſona Philoſophorum placita, ad verum divini Verbi ſenſum correxit; Quarè oppoſitum de tanto Doctore vel ſuſpicari, & ipſi, injurioſum videtur, nec ſatis obſequii deferens Eccleſiae Sanctae Dei, quae D. Thomae doctrinam preſſis ulnis complexa ſemper eſt, complectitur, & complectetur.

Sed ſinite ut unum adhuc recenſitis Sanctis Patribus, addam videlicet Divum Hieronymum, qui ad Pammachium ſcribens, inquit (*d*) *Omne deinceps humanum genus, quibus Animarum cenſetur exordiis? Utrum ex traduce juxta Bruta Animalia, ut quomodo Corpus ex corpore, ſic Anima generetur ex Animâ?* Ex traduce itaque eſt de mente Sancti Doctoris Anima Brutorum; Non ergo ipſa per Creationem incipit, vel per annihilationem deſinit eſſe. Quin etiam eorum confutans errorem qui

(c) *Ibid.* (d) *D. Hieron. epiſt. 61. ad Pammach.*

qui docere audebant, Animam humanam esse ex traduce, sic scribit (*e*) *Si coepit ex traduce? Humanarum igitur Animarum, quas aeternas* aeternitate nimirùm à parte post, *fatemur, & Brutorum Animantium, quae cum Corpore dissolvuntur, una conditio est*; Arguens nempè Animam Brutorum, quae cum Corpore dissolvitur, esse ex traduce; Et ideò cum Corpore dissolvi, quia ex traduce est; Animam verò humanam, quam scimus, & fatemur non dissolui cum Corpore, non esse, vel dici posse ex traduce esse, sed à solo Deo, & per actionem Creativam: Constat igitur & Scripturum Auctoritate, & ex Sanctorum Patrum Doctrinâ, Animam quidem humanam à Deo fuisse Creatam, & in singulis Hominibus Creari, Brutorum verò Animam ex virtute Corporeâ productam fuisse à Deo, ac modò ex materiâ prodire; Constat ex Divo Hieronymo, ipsam ut à Corpore solvitur, in partes pariter suas dissolvi, adeòque corrumpi: Quae est autem Substantia Spiritualis, quae vel ex aliquâ Corporeâ virtute produci possit, vel in partes dissilire, & corrumpi? Sola certè Divina virtus Spiritualem potest Substantiam ponere in esse. Sola certè materialis Substantia partibus constat, in quas dividi queat; Omnis etenim Substantia Spiritualis utpotè omnem materialium rerum ordinem superexcedens, sicut à Materiâ non dependet in esse, ita nec ab ejus caussalitate dependet, vel dependere potest in fieri; Et sicut est entitas simplex, & realiter indivisibilis, ita est in partes omninò indissolubilis. Ex quibus omni-

(e) *Apolog. ad ver. Ruffin.*

omnibus ritè consequitur, Brutorum Animam, nec esse, nec dici posse Substantiam, verè propriè que Spiritualem.

Ex alio jam Scripturarum momento, Thesim hanc de Brutalis Animae Spiritualitate, refellere pergamus: Concedere non ambigis Philadelphe, sicut & concedere teneris, semel asserta praedictae Animae Spiritualitate, Brutorum Animam, limitatâ quidem, sed verâ propriâque tamen Intellectivitate pollere; Neque aliquid Verbo Dei contrarium id affirmando, te putas comminisci, quia legimus in Scripturis: *Cognovit bos possessorem suum*; Et saepè novimus attribui bestiis Sensum, Cognitionem, Memoriam, Sapientiam, atque Prudentiam. Verùm enimverò congere quanta vis Scripturae loca, ad id credulis suadendum; Ego omnibus unum oppono, quod ex Regio Psalte deprompsi (*f*) videlicet. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*, nam si teste Scripturâ....

Phil. Oh arbitrariam Divini Verbi expositionem, quam vel Caecus agnoscat! Si Scriptura dicat in Brutis inesse *Spiritum*; contendis vocem illam *Spiritus*, non esse accipiendam in sensu proprio & litterali; Si posteà deneget Brutis Intellectum, Vocabulum illud *Intellectus* vis non aliter debere intelligi, quàm in stricto ac litterali sensu, & prout significat quamcumque Intelligendi potentiam; Attamen id gratis intendi, vocemque *Intellectus* eò loci non stare pro ipsâ potentiâ Intelligendi, sed pro uberiori illo lumine (*g*) quo humanae

(f) *Psal.* 31. *v.* 9. (g) *An Brut. Vindic. Dial.* 6.

manae mentes ita illustrantur, ut ea, quae divina sunt, intelligant, ex aliis Scripturae locis non leviter ostenditur. Regium Prophetam ita alloquitur Deus (*b*) *Intellectum tibi dabo, & instruam te in viâ hac, quâ gradieris*: Et Regius ipse Psaltes sic Deum precatur (*i*) *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam*; in quorum Primo textu, certè non ipsam Intelligendi facultatem promittit Deus, vel in secundo postulat David; Sed in priori, uberiorem Intellectui lucem Deus spondet se daturum; In posteriori David precatur, sperans se illam impetraturum: Quin etiam Petro dicenti *Edissere nobis parabolam istam*, Christus Dominus respondit. *Adhùc & vos sine intellectu estis* (*k*) Hoc itaque in sensu, in oppositâ Auctoritate vocem *Intellectus* accipiendam esse, rationes admodùm verisimiles persuadent; verbis enim ex versu 9. recitatis *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*, haec alia versu 8. praemittuntur: *Intellectum tibi dabo, & instruam te in viâ hac, quâ gradieris*. Quamobrem ratio multùm probabilis nos movet, ut credamus, eodem sensu Vocem *Intellectus* positam esse versu 9., quem obtinebat versu 8.; Si igitur versu 8. verbum *Intellectus*, pro majori cognitionis Lumine accipiendum est; sensu non absimili excipiendum est versu 9., ut videlicet non excludatur ab Equo & Mulo facultas verè Intellectiva, sed tantùmmodò Intellectio, seù Lumen intellectivum mandatorum Dei.

Arist. Audis Critophile quàm clarâ methodo procedat Philadelphus, è Scripturis ipsis, tutissimum

(h) *Psal.* 31. (i) *Psal.* 118. (k) *Matt.* 15. v. 16.

mum sibi nactus Patrocinium? Audis quo in sensu dictum sit. *Nolite fieri* &c.? Si non alia è Scripturis habes, quae proferas, nullum tibi suppeditant Scripturae praesidium.

Crit. Nùm mihi Sacrae Paginae patrocinentur, an non, incunctanter patebit; Fas est nunc, obiter Philadelpho respondeam, Quod si arbitrariè Scripturas expono, quia vocem *Spiritus* nego intelligendam in rigóre litterali, litteraliter autem explicandum sustineo vocabulum *Intellectus*: Cum ipse vice versâ nomen quidem *Spiritus*, non item *Intellectus*, in sensu rigidiori intelligi velit, in arbitrariâ Scripturarum expositione, jam sumus ergo pares: Caeterùm Vocem ego *Spiritus* quum Brutis attribuitur, non esse in proprio, quem litteraliter praefefert sensu, accipiendam, ex aliis Scripturae locis evinco: Sanctorumve Patrum auctoritate ostendo; Nec proin arbitrariè sustineo, sed fundatè; Videamus nunc nùm ex mero placito, an potiùs invictis ductus momentis afferam, Vocem *Intellectus*, in Psalmo à me praelaudato, de verâ intellectivâ facultate intelligi debere; Sic enim duplex contrà me erecta apparenter Moles evertetur, quia nempè, neque verus esse *Spiritus* potest, cui vis deest Intellectiva; Neque Intellectivus inesse potest jis Spiritus, quibus à Scripturâ, intelligendi Potentia denegatur.

Nimis itaque in Sacrarum Scripturarum lectione ignarus esset, qui nesciret sicut alias Voces, sic & Vocabulum *Spiritus*, sicut & nomen *Intellectus* diversimodè accipi posse, & à Scripturis ipsis usurpari; Hinc verum est in locis à Phila-

ladelpho adductis, in quibus nomen *Intellectus* invenitur, tò *Intellectus* nec posse, nec debere sumi pro intellectivâ ipsâ Facultate; Non quidem in primo; Deus enim Davidi *Intellectum* promittens, Intellectum promittebat Homini, subjecto proindè jam ex ipsâ hominis naturâ Intellectum habenti, accepto Intellectu pro potentiâ ipsâ intellectivâ; Cumque promissio sit de aliquo dando in futurum, ei, qui hìc & nunc rem promissam non habet; Si quando fiebat Davidi sponsio de dando ei *Intellectum*, jam David Intellectum habebat, non potest, promissi Intellectus nomine, intellectiva venire Facultas, sed vel nova aliqua Intellectio, ad ea scrutanda, quae nondùm intelligere valuerat, vel ipsi Intellectui novum Lumen, quo mediante res jam aliàs cognitas, clariùs, & nitidiùs valeret percipere.

Non pariter in reliquis; David enim cum peteret à Domino *Intellectum* dicens *da mihi Intellectum, & scrutabor legem tuam*, non olfactu, non visu, non gustu, non auditu, non tactu noverat sibi bonum esse, & expedire, quod petebat; Noverat ergo non sensu, sed Intellectu, sibi bonum esse eum, quem postulabat, Intellectum; Habebat ergo Intellectum, qui petebat Intellectum, nec obtinere petebat, quod se jam habere sentiebat; Si ergo sciebat intimo experimento se Intellectivâ facultate pollere, cum petebat Intellectum, Intellectivam non petebat facultatem; Nemo enim de eo consequendo precatur, in cujus possessione jam laetatur; Non aliud ergo petebat nomine *Intellectus*, nisi uberius Lumen ad scrutanda mandata

Dei, & cuilibet cordaio viro evidenter exindè patet, non alium hoc loco genuinum esse sensum, praefatorum verborum.

Quid verò quod Christus Dominus dixerit Petro, & suo, & aliorum Apostolorum nomine, poscenti Parabolae explicationem. *Adhuc & vos sine intellectu estis*? Nunquid Apostoli carebant Intelligendi facultate? Nunquid Christus Dominus nesciebat Apostolos ab ipso electos, sivè etiam Homines quoscumque, nativâ Intelligendi vi praeditos esse? Quis ergo erit talis increpationis Sensus, nisi ille? Adhuc & vos non Intelligitis? quod, Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem? Non Intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quae autem procedunt de Ore, de Corde exeunt, & ea coinquinant hominem? De corde enim, exeunt cogitationes malae &c. Quae quidem cum ipsissima sint Christi Domini verba, liquidò constat, quid sibi velint ea, quae fuerant praemissa, videlicet. *Adhuc & vos sine intellectu estis*? Nec enim Carentia potentiae Intellectivae innuitur, sed Intellectionis defectus redarguitur; Hinc versu 10. legitur. *Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite &c.* Praesuppositâ nimirùm in ipsis, audiendi ac intelligendi Potentiâ, auditionem exigebat, & Intellectionem: Denique cum nullus Hominum ignoret, Hominem esse Intellectivum, seu praeditum Intellectu, evidenter constat, quotiescumque in Scripturis dictum reperitur, vel quod Deus promittit homini Intellectum, vel

quod

quod Homo petit à Deo Intellectum, vel quod Homo est sine Intellectu, non posse nomen *Intellectus* accipi pro ipsâ Intelligendi facultate, sed unicè pro bono ejusdem facultatis exercitio, sive pro ipsâmet Intellectione.

Ast ubi nam vel in Scripturis legimus, vel apud Sanctos Patres invenimus Bruta esse verè & propriè Intellectiva, ut Scripturam dicentem *nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus* interpretari adigamur, non de negatione potentiae Intellectivae, sed de exclusione alicujus tantùmmodo Intellectionis? Excurrite quantùmlibet Verbum Dei scriptum, & nullibi reperietis vel Bruta appellari *Intellectiva*, vel moneri ut Intelligant, vel reprehendi quia non Intellexerint; quin potiùs invenietis ea, nunc *muta Animalia* vocari, (l) nunc indiscriminatim nuncupari *irrationabilia Pecora* (m) Animalia nempè ratione carentia, proprioque discursu; Nunc Insipientia nominari, & Hominem, comparatione cum ipsis factâ, redargui, eò quia voluntariè desipiendo, moribus suis imitatus fuerit Bruta, ex naturâ suâ, insipientia. *Homo cum in honore esset, non intellexit; Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis* (n).

Conferamus jam Textus cum textibus, ut genuinus eorum Sensus innotescat. *Cognovit bos possessorem suum* inquit Isaias. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*, hortatur regius Propheta: In primo, attribuitur Brutis *Cognitio*; In

Hh 2 secun-

(l) *Epis. Judae v.* 10. (m) *Epis. D. Petri* 2. *cap.* 2.
(n) *Psal.* 48. *v.* 13. *&* 21.

secundo negatur Brutis *Intellectus*; In priori supponitur in Brutis principium *Cognoscitivum*; In posteriori excluditur à Brutis principium *Intellectivum*; Prima propositio, cum sit affirmativa, requirit ad sui veritatem, quod Bruta quovis tandem modo, aliquo saltem, cognoscant; Secunda, cum deneget Brutis *Intellectum*, exigit, ut sit vera, quod Bruta nullo modo *intelligant*; Sivè enim nomine *Intellectus* veniat ipsa intelligendi potentia; Sivè innuatur *Intellectio*, cum ei *Intellectus* vocabulo praemittatur Particula negans totum id, quod reperit post se, vel erit Sensus. *Quibus non inest facultas Intelligendi*; Vel significabit. *Quibus nulla inest Intellectio*, quo posteriori Sensu admisso, verificabitur ex consequenti, Bruta carere potentiâ intellectivâ, quia ibi non potest omnis abesse Intellectio, ubi principium Intellectivum verè invenitur. Pugnant ergo secum ipsis Scripturae; Quomodo poterunt invicem conciliari? Nisi palmariter fallor, unicum eas conciliandi ac uniendi medium, Distinctio est.

Distinguamus necesse est Cognitionem Sensitivam, à Cognitione Intellectivâ, dicamusque quod omnis quidem Intellectio, cognitio quaedam est, sed non viceversâ omnis & quaecumque Cognitio, Intellectio est: Hoc si demus, verum erit, quod Bruta cognoscant; Falsum erit quod Intelligant, & sic apparens Scripturarum dissonantia, ablata remanebit; Quod si ita distinguere renuamus, velimusve quod omnis qualiscumque Cognitio, vera sit Intellectio, quomodo Bruta negantur intelligere, cum affirmentur cognosce-
re?

re ? Quomodo asseritur Bruta cognoscere, cum dicantur non intelligere ?

Fateor equidem, quod distinctionem promovens Cognitionis purè Sensitivae, à Cognitione verè proprièque Intellectivâ, si de eâ agerem coram grossioris ingenii Hominibus, qui Intellectum subdentes Sensibus, id omne tantùm in re philosophicâ pro vero habent, quod Sensibus subest, & omnia (ut dicitur) volunt Palmo ulnâque metiri, irrideri timerem, atque exsibilari; Verùm, quoniam res mihi est cum Philadelpho, & coram ac Judice Aristippo, Viris, & ingenii acie, & Doctrinae excellentiâ apprimè conspicuis, nil quorumvis dicteria facesso; Quin potiùs assertae Distinctionis fundamenta jacere pergo, quae neque à pervicaci queant evelli.

Nemo certè ibit inficias, Hominem quemcumque, sivè rectâ sit fide imbutus, sivè non, sivè Deum agnoscat, sivè ignoret, Dummodò sit Homo, nativâ Intelligendi vi, super cuncta excellere Bruta; Ille enim multùm distat in naturâ suâ à Brutorum naturâ, qui, ut ait regius Propheta, Paulò minùs ab Angelis minutus est: Atqui si Cognitio Sensitiva Brutorum, foret itidem Intellectiva, jam Bruta praeexcellerent Homini in Intelligendo; Jam Bruta plùsquam Homines ad naturam accederent Angelorum; Ergo Cognitio Sensitiva Brutorum, purè Sensitiva est, non autem Intellectiva. prob. minor. Si omnis Sensatio, Intellectio est, ubi invenitur perfectior Sensus, inveniri pariter debet perfectior Intellectus (à posteriori enim ex perfectione actuum, Principii eo-

rundem

rundem elicitivi perfectionem, jure metimur); Sed in Brutis perfectior saepè Sensus est, quàm in Hominibus; ergo in Brutis perfectior Intellectus est, quàm in Hominibus; proinde Bruta magis quàm Homines appropinquant Angelorum naturae; Probatur minor tùm vulgato proloquio

Nos Aper auditu, Lynx visu, Simia gustu,
Vultus odoratu praecedit, Aranea tactu.

Tùm auctoritate Divi Augustini qui Experientiâ ipsâ edoctus, scriptum reliquit (o) *Sensu enim nos Bestiae multae superant*. Nè autem opinaretur quis, utcumque sentire, idem esse ac Intelligere, seù Cognitionem quamcumque Sensitivam, simul esse debere Intellectivam, praemisit eam, de quâ disputamus distinctionem, ibidem dicens. *Quid autem hoc putas esse, nisi vim quamdam sentiendi, non sciendi? Sensu enim &c.* Vis ergo, quae Brutis inest, est quidem sentiens, non tamen sciens; Foret autem sciens, si foret Intellectiva; Ergo est sentiens, sed non Intelligens; Ergo Cognitio Brutorum propria, Sensitiva dumtaxat est, non verò Intellectiva; Ergo licet Bruta cognoscant, in illis tamen non est Intellectus.

Immoremur tantisper, si placet, in hac distinctione confirmandâ, hùc enim vertitur praecipuus cardo praesentis Controversiae. Certum igitur est, praeter Viventia Sensitiva simul, & Intellectiva, dari in rerum naturâ, Viventia aliqua quae purè viventia sunt, nec ullimodè Sensitiva,

Plan-

(o) *D. Aug. lib. de quantit. An. cap.* 28.

Plantae enim ex unâ parte non ſentiunt, ut contrà Manichaeos optimè diſputat Auguſtinus; Ex aliâ, verè vivunt vitâ vegetativâ, ut docet idem Auguſtinus (*p*) ſcribens de plantis. *Hoc genus rerum, quamvis Sensum non habeat, poteſt mori, & occidi*, aſſertumque ſuum probat ex illo Pſalmographi (*q*) *occidit in grandine vineas eorum*: patetque ex iis, quae leguntur tùm in Evangelio (*r*) *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*; Tum ex Apoſtolo ſcribente (*s*) *Quod ſeminas non vivificatur, niſi priùs moriatur*. Et ſi quis fallibilibus neque certò probatis vel rationibus, vel experimentis, veritatem hanc negare audeat, merebitur utique de eo dici, quod olim Lactantius contrà perditae Cauſſae advocatos (*t*) *Quid ego de iis dicam neſcio, qui cum aberraverint, conſtanter in erroribus durant, vaniſque vana defendunt; Niſi quod eos interdum credo joci cauſsâ philoſophari, aut prudentes & ſcios mendacia ſumere defendenda, quaſi ingenia ſua in malis rebus exerceant, & oſtentent &c.*

Quemadmodum verò dantur Viventia ſine Senſu, quae Plantas nominamus, ita admittenda ſunt Viventia Senſitiva ſine Intellectu, quae Bruta, & irrationalia Animalia vocamus; Si enim ſtare poteſt Vita ſine Senſu; Cur non ſtet pariter Senſus ſine Intellectu, cum Intellectus ſit magis ſeparabilis à Senſu, quàm Senſus à Vita? Sanè ſine Vitâ nullus Senſus; ſed etiam ſine Senſu, Intellectus

(p) *D. Aug. lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 2. (q) *Pſal.* 71. (r) *Iſa.* 12. (s) 1. *ad Cor.* 15. (t) *Lactan. in* 3. *cap.* 24.

tellectus reperitur, ut in Angelis, & in Deo. Vivunt ergo Plantae, sed non sentiunt; Sentiunt Bruta, sed non Intelligunt; Vivit, sentit, & Intelligit solus Homo, in se uno continens tria genera vitae juxtà notissimum D. Gregorii effatum; (u) *Homo habet commune esse cum lapidibus. Vivere cum arboribus, sentire cum Brutis, & Intelligere cum Angelis*. Communicat ergo Homo cum Arboribus ut Vivens, sed super illas elevatur, ut Sentiens. Communicat cum Brutis ut sentiens, sed super ea extollitur, ut Intelligens, & sub ratione istâ tantùm à Brutis elongatur, ut ad naturam accedat Angelorum; Quare meritò dictum est. (x) *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*.

Verùmtamen poterit nè cum veritate praedicari de Brutis quod Intelligant, si Homo à Brutis secernitur, quia Intelligit? Quod unum distinguit ab altero, potest nè & uni, & alteri esse commune? Quis nisi stultus affirmet? Est itaque in Homine Intellectus, per quem à Brutis distinguitur, & super ipsa excellit; Non est Intellectus in Brutis, & maximè distant ab Hominis naturâ: Dices fortassè Philadelphe: Est etiam in Brutis Intellectus, sed imperfectus tamen, & Intellectu humano longè minor: Sed in primis, si, ut praecedenter ajebam, Principium Sentiendi in Brutis, est Principium Intelligendi, sicut Bruta multa, Homini praeexcellunt in Sentiendo, sic & praeferenda forent in Intelligendo; Deindè si infimus Intellectus est in Vulpe, in Simiâ, in Elephanto, e. g. & in Ape, qualis erit in culicibus, muscis, ac vermibus? Qualis

(u) *D. Greg. Homil. 29. in Evang.* (x) *Psal. 8.*

lis erit in Ostreis & Conchyliis? Certè nullus; Et tamen Animalia haec etiam, & vivunt, & sentiunt; Stant exindè & vita, & Sensus absque Intellectu, nec ex quo praecisè natura aliqua sit sensitiva, est itidem Intellectiva: Denique ponamus quod cognitio e. g. Vulpis, sit non sensitiva tantùm & materialis, sed Spiritualis, ac Intellectiva, Comparemus jam intellectionem, & Intellectum Vulpis, cum Intellectione & Intellectu Hominis fatui: Intellectus Vulpis, Intellectu talis Hominis; Intellectio Vulpis, intellectione ejusdem erit perfectior, cum major sit Dexteritas in operationibus Vulpis, quàm in actionibus fatui Hominis. Non erunt proin Bruta comparatè ad Hominem simpliciter & absolutè inferiora Homine in Intelligendo; quo sanè quid dici potest absurdius?

Phil. **Falsò dicis Intellectum Vulpis**, Intellectu fatui Hominis fore perfectiorem; Tùm quia fatuitas non contingit in Homine ex defectu Animae, sed ex defectu Corporis; Tùm maximè quia, Homini cuicumque inditum est à Deo Lumen ad cognoscendum Deum, & ad percipienda Spiritualia, & coelestia, quale nullum est in Animâ Brutorum.

Crit. Esto verum sit, fatuitatem contingere ex aliquo Corporis defectu; Attamen si vera sit sententia, quam sustinent Toletus, Conimbricenses, Soto, aliique, non omnes videlicet Rationales Animas esse aequalis entitativae Perfectionis, sed alias aliis Substantialiter perfectiores & imperfectiores, jam in Homine fatuo, poterit fatuitas

ex ipsâ Animae imperfectione derivari; Quo in casu, Anima Spiritualis hominis fatui, comparatè ad Animam Spiritualem Vulpis, erit imperfectior, adeoque &c. Quid autem medio lumine, quo Deum, & Spiritualia percipit Homo, tenebras offundere pergis? Lumen illud, ut satis à me ostensum puto (z), indistinctum est à Substantiâ ipsâ Spirituali, & Intellectivâ; Illucet consequenter etiam Brutis, si Bruta informantur Animâ Spirituali, atque Intellectivâ, nullumque ex hoc Capite, verum discrimen Bruta inter & Homines erit invenire: Demus nihilominùs hoc lumen, ab ipsâ Animâ esse distinctum, eique à Deo liberali munificentiâ donatum; Nihil adhuc conficis, & objectum absurdum non declinas. Quotquot usquam verè Sapientes floruere Homines, unanimiter sensere, Animam rationalem humanam, ex ipsâ ejus Naturâ, ab Animâ Brutorum quàm longo distare intervallo: Sed si distantia haec in praefato lumine ab Animâ distincto reponitur, jam Anima humana, non ex Naturâ ipsâ suâ, praeponitur Animae Brutorum; Ergo &c. prob. minor. Cum hoc lumen sit liberaliter superinditum Animae humanae, potest absolutè saltem loquendo, Anima esse sine ipso, cum possit absolutè loquendo, ipsi non infundi à Deo: Atqui Anima humana, in factâ hypothesi, haberet quidem Naturam suam, sed non haberet in quo excelleret super Spiritualem Brutorum Animam; Ergo ex naturâ suâ non foret praeponenda Animae Brutorum. Major est manifesta, minor verò suadetur, quia juxta

(z) *An. Brut. proflig. Dial.* 5.

juxtà tuam Philadelphe responsionem, id quo Homo secernitur à Brutis, est Lumen divinum Animae humanae, jam in suo Esse naturali constitutae, superadditum, proindeque ad ipsam Naturam Animae integrandam minimè spectans; Ergo Anima rationalis humana, praedicto lumine non illustrata, cum Animâ Brutorum, quantùm ad naturam suam confunditur, nec in veritate habet, per quid prae illâ nobilior constituatur. Immò etiamsi non consideremus Animam rationalem humanam, ut praedicto lumine destitutam, sed potiùs admittamus eam cum illo semper esse conjunctam; Cum lumen hoc ipsum indi queat ipsi etiam Brutorum Animae, quatenùs Spirituali ac Intelligenti, jam saltem possibilis est aequalitas perfectionis, & excellentiae Animae belluinae cum rationali Hominis Animâ, quo sanè quid indigniùs asseri potest? Sed si tàm palmaria legitimè sequuntur absurda, semel posito quod Bruta, Animâ gaudeant Intellectivâ, quis negare praesumet Scripturam Sacram litteraliter intelligi debere, quoties vel Brutis negat inesse Intellectum, vel Bruta Irrationalia, atque Insipientia vocat? Cognoscunt ergo Bruta (ut ad id, unde discessi, redeam) Cognoscunt, sed non Intelligunt; Et verum est quod *Cognovit bos possessorem suum*; Sed veritati ineluctabiliter consonum est. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est Intellectus*, intelligerent autem Bruta, si Animâ Spirituali instructa forent, nam ubicumque Spiritualis Substantia est, ibi pariter necesse est inveniri Intellectum, cum Spiritualis Substantia, utpotè nonnisi

Spirituali modo percipiens, sit essentialiter Intellectiva; Ergo Bruta Spirituali Animâ non informantur. Ergo Spiritualis Brutorum Anima, ex Scripturis ritè intellectis confixa manet, atque perempta.

Arist. In optatum tandem veritatis lumen, te mihi facem praeferente Critophile, assurgo, tibique coactus quidem, sed gaudens consentio; Optarem nihilominùs, ut assertam Cognitionis purè Sensitivae, à Cognitione verè Intellectivâ, Distinctionem tantisper adhuc evinceres, vel explicares.

Crit. Obtempero statim, & quamvis aliàs plura dixerim (*a*) quae in rem praesentem optimè quadrant, paucula repetam. Cum itaque *Intelligere* ex ipsâ nominis Ethymologiâ idem sonet, ac *intùs legere*, à Sensibilibus nimirùm, In Insensibilium Cognitionem devenire, ab effectibus arguere Caussas, à Caussis effectus, ex proprietatibus essentias rerum colligere; Ibi solùm Cognitionem Intellectivam admittendam pronuncio, ubi adest, (vel si per accidens non adest, ut in Infantibus, Dormientibus, aut amentibus, adesse tamen potest impedimento remoto) interna lectio ista, seu vera & formalis illatio praedictorum; Quare cum ex ipsis Brutorum operationibus, liquidò constet ea interiùs non loqui, neque à Cognitis incognita inferre, cum Sancto nos docente Spiritu, Bruta sint Irrationalia, Insipientia, Muta, atque Intellectu destituta, hinc ipsis cognitionem intellectivam prorsùs denego; Ex aliâ verò parte, quia expe-

(a) *An. Brut. proflig. Dial. 2. & Dial. 3. & Dial. 4.*

experientiâ teste Bruta sentiunt; In objectum praesens feruntur, si eorum naturae sit congruum; Ab illo fugiunt, si fuerit noxium, Naturâ quidem duce, non Ratione, quod ex eo patet, quod Animalia recens nata, non secùs ac vetustiora suae speciei Animalia, eadem vel appetunt, vel aversantur objecta, etsi Intellectionem eis denegem, non tamen omnem adimo Cognitionem; Sed cum in omni perceptione suâ pendeant à sensibus, omnem illorum Cognitionem, merè sensitivam esse affirmo.

Gratuitam porrò non esse affirmationem hanc patebit, si vel ex modo agendi, vel ex Objecto, Distinctionem *Sensus* ab *Intellectu* deducere valeamus. Attamen in re difficili quis erit ductor, quis arbiter, quis judex? Nullus nostrum, sed Divus Thomas: Distinguit S. Doctor triplicem in Creaturis cognoscitivae virtutis gradum (*b*) sumpto distinctionis fundamento, & à diversitate modi cognoscendi, & à cogniti discrimine Objecti. Quaedam enim cognoscitiva virtus, est actus organi Corporalis, per se videlicet pendens in cognoscendo ab organi Corporalis immutatione, ita quod independenter à Corpore, nihil valeat percipere, vel operari; Quaedam verò est alia virtus cognoscitiva, quae cum nulli sit conjuncta materiae, ab organo Corporali nullatenùs pendet in Cognitionibus suis; Quaedam denique invenitur alia cognoscitiva virtus, quae quamvis non sit actus alicujus organi Corporalis, in organo tamen Corporali subjectatur. Prima virtus Cognoscitiva, voca-

(b) *D. Th. in Sum. 1. par. Quaest. 85. art. 1.*

vocatur Sensus; Secunda est intellectus Angelicus; Tertia est Intellectus humanus; Objectum prioris Cognoscitivae virtutis, est forma prout existens in materiâ Corporali; Objectum intellectus Angelici, est forma subsistens sine materiâ, eò quia, licet cognoscat entia materialia, ea tamen non cognoscit nisi in immaterialibus, scilicet, vel in se ipso, vel in Deo; Intellectus autem humanus, medio inter has Cognoscitivas virtutes modo procedens, cognoscit quidem formam in materiâ individualiter existentem, sed non prout est in tali materiâ. Illae igitur cognoscitivae virtutes, quae vel nullimodè, vel solùm ratione phantasmatis, pendent à Materiâ in cognoscendo, Spirituales sunt, atque propriè Intellectivae; Ea autem virtus, quae per se & essentialiter pendet à Corpore in cognoscendo, & materialia objecta percipere tantùm novit, prout sunt in hac individuâ materiâ, quâ sane ratione vel Spiritualis, vel Intellectiva poterit nuncupari? *Operari*, verissimum effatum est, *sequitur ad esse*; Illud ergo esse erit pendens à materiâ, cujus operari, dependentiam & quidem essentialem, importat ab illâ; Quod si Spiritualis entitas essentialem sui à materiâ dependentiam admittere nequit, Substantia quae in suo esse à materiâ dependet, esto materia non sit, intrà materialium rerum ordinem detinetur, nec ad Spiritualitatem assurgit, & Operatio quae per se & essentialiter, & non tantù n per accidens, ab organo Corporeo pendet, neque Spiritualis est, neque proin intellectiva, sed ad summum erit Sensitiva Cognitio.

Phil.

Phil. Dicas quidquid velis, numquam dabo Intellectiva non esse Animalia Bruta, quae tàm miras & ordinatas Operationes exercent, & ab ipsis sacris paginis, nunc prudentia vocantur, nunc sagacia; Nec enim vel Prudentia vel Sagacitas esse potest, ubi non est Intellectus.

Crit. Quod mihi concedere detrectas, Angelico Doctori annuere non ambiges. Novit D. Thomas à quibusdam praesertim Animalibus opera quaedam praestari, quae Sagacitatem in ipsis, Prudentiamque inferre videntur; Attamen observans in Animalibus, quæ ejusdem speciei sunt, eadem constanter & uniformiter Opera, meritò concludit ea in ipsis, non ex Ratione, non ex Electione proficisci, sed ex directione Dei, & Instinctu naturae; Jam aliàs attuli (*c*) Divi Thomae verba, nolo hic ea repetere. Quod si tanti Doctoris te satis ratio & auctoritas non convincit, acquiesce saltem eruditissimi viri Domini Boullerii doctrinae tibi summoperè acceptae: Scribit itaque Boullerius (*d*) *On verra que la plûpart de ces actions pretendues raisonnables, & raisonnees, sont quelque branche particuliere de l'instinct, ou de l'habitude, que elles se rapportent par consèquent à la raison universelle qui guide les Brutes dans leurs movuemens, non à une raison particuliere que les Brutes possedent en propre. On verra que ces diverses apparences qui dans la méme action sembloient nâitre d'une suite de pensees reflechies, ne naissent en effet que de la combinaison du sentiment, & du mechanisme.* En florentissimum

(c) *Differt. cont. An. Spir. Brut. Dial.* 8. (d) *Bouller. Essai Phil. s. sur l'ame des Bet. part.* 2. *c.* 11.

tissi num Authorem non infimae inter Modernos notae, qui licet mira Brutorum viderit opera, negat tamen ea à rationali principio esse derivanda, immò unicè sensitivae vi, organo corporali conjunctae, attribuenda, vi inquam sensitivae particulari instinctu directae, nullatenùs verò discursivo Principio conjunctae. Vides porrò Philadelphe mi, & prolixiori fortè quàm par esset, discursu, ex Scripturis rationabiliter intellectis, Animae Brutorum Spiritualitatem, de medio tolli, ac penitus profligari. Quod si haec minimè sufficiunt ....

Arist. Satis hodiernâ luce concertatum sit: Inclinata enim jam dies, & ostensa quantùm satis veritas est; Si quid adhuc vel opponendum, vel promovendum habetis, crastino manè, enixè enim cupio, audiam vos.

Phil. Mirum sanè quod Scripturae eam improbent Brutorum Animae Spiritualitatem, quam nusquam reprobavere concilia!

Crit. Nùm eam concilia reprobaverint, an non, crastinâ luce discutiemus, si tamen arridet tibi, & placet Aristippo. Benè sit nobis hac nocte, & cras ad vos redibo.

CON-

CONCILIORUM AUCTORITATE

Spiritualis Anima Brutorum Profligatur

DIALOGUS OCTAVUS.

Critophilus, *Ariſtippus*, *Philadelphus*.

Crit. Alve Ariſtippe ; quàm vividus tibi color ! Salve Philadelphe ; quàm hilarem te intueor !

Ariſt. Tua mihi optimam, auguria obtinuere, elapsâ nocte quietem.

Phil. Solemnem promittit mihi de te, dies iſta triumphum.

Ariſt. Concertationibus, precor, veſtris initium date; Summoperè etenim noſſe expeto, quae fuerit quoad hoc controverſiae punctum, Conciliorum mens & doctrina. Vellem tamen nè nimiùm hoc manè prolixi eſſetis, quoniam duabus ab hinc hòris, mihi eſt domo exeundum.

Crit. Quantùm ex me eſt, me paucis expediam, ſed tamen ita efficaciter, ut omnis victoriae ſpes, Philadelpho praecidatur. Attende Ariſtippe, & quis noſtrum allucinetur, judicabis. Patres itaque in Lateranenſi IV. Concilio adunati ſub

hac formulâ Catholicam Fidem contrà tunc temporis grassantes haereses, profitentur. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, & unum universorum principium, Creator omnium invisibilium, & visibilium Spiritualium, & corporalium, qui suâ omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, Spiritualem & Corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde Humanam quasi communem ex Spiritu, & corpore constitutam*. His sanè quid aliud confitetur, & confitendo docet Sancta Synodus, quàm Deum unicum esse, eumque omnium Creaturarum unicum esse Creatorem; Cum itaque Creaturarum Universitatem partiatur, in Spirituales creaturas, & in Corporales, solumque innuat hominem, qui simul ex Spirituali & Corporali componatur, docet saltem indirectè, & indirectè supponit, Bruta naturam ex Spirituali & corporeo mixtam, minimè habere.

Arist. Legitima utique videtur mihi illatio ista, neque veram patiens solutionem; Ut vera dicam, fucum fecisti mihi Philadelphe, sed lucem mihi Critophilus affert.

Phil. Non tamen veram, sed apparentem, & quae resolvatur in tenebras. Nunquid omnia Conciliorum verba, Fidei sunt sanctiones? Nunquid omne, quod in Conciliis obiter est dictum, erit eò ipso deffinitum? Quis nisi summè imperitus affirmet? Advertendum est igitur (numquam repetere pigebit) advertendum est cum eruditissimo viro Melchiore Cano (e) quod *non omnia, quae aut*

(e) *Melchior Canus de Loc. Theol. lib.* 4.

aut juris , aut conciliorum volumina continent , doctrinae christianae sunt judicia . Oportet immò Conciliorum praecipuum attendamus scopum , ut inde dictorum Sensum colligamus ; Unde in rem nostram Sixtus Senensis sic scribit (*f*) *Oportet nos praedictam Synodicae sanctionis sententiam, magis juxta concilii intentionem , quàm juxtà sensum verborum interpretari* . Mens autem Synodi praefatae , non alia fuit ex Estio , Tornellio , Silvio , Natali ab Alexandro , aliisque , quàm ab Ecclesiâ Catholicâ expellere Manicheorum , atque Albigensium impium Dogma , quo videlicet duo creatarum rerum Principia admittebant , docebantque res Corporales , à Principio malo esse productas , Spirituales verò,à bono esse creatas ; Cum igitur ad hunc convellendum errorem , non sit opus rerum creatarum deffinire essentiam , vel quidditatem statuere , sed unicè confiteri Creaturam quamcumque ab unico vero Deo esse productam , perperam , & violenter verba Concilii traducuntur ad designandam, aut definiendam rei alicujus Naturam , vel ad excludendam ab aliquâ creaturâ talem vel talem specificam Naturam .

Crit. Fateor (vel in hoste enim virtus laudanda est) fateor egregiè disseruisti , teque semper eruditionem comprobas ; Verùmtamen dicere displicet quidem , debeo tamen ; Non expediisti pedes tuos à laqueo, quem tetenderam, sed incidisti potiùs in foveam quam fecisti . Praefati ergo mens Concilii fuit , errorem evertere Manichaeorum , atque Albigensium : Quid asserebant , in

(f) *Sixt. Senen. lib. 5. Bibliot. Sanct.*

quo errabant haeretici isti? In eo utique quod docerent Corporeas visibilesque Creaturas non à bono Deo creatas, sed à malo fuisse productas; Potissimùm verò cum malos in se ipsis experirentur motus, praeter Animam bonam à bono Deo productam in Homine, aliam sed malam, à malo Deo caussatam, in eodem homine admittebant; Cumque etiam Animalia plura vel molesta sentirent, vel noxia & venenosa, ista à bono Deo originem habere non potuisse, sed à malo creata Deo praedicabant; & sic quia alias corporeas Creaturas, sibi noxias interdùm experiebantur, earundem Creatorem, malum esse Deum affirmabant; Enim verò ad refellendum teterrimum errorem hunc, sufficit-nè dicere, & de Fide credendum sancire, quod Creaturarum sive Spiritualium, sive Corporalium, sive totius generis humani, unicus verus Deus sit author, atque Creator? Nisi bestiae numero corporalium Creaturarum accenseantur, planè non sufficit, si etenim nomine Corporalis creaturae, Bruta non intelliguntur expressa; Cum nequeant intelligi inclusa, in ordine creaturarum Spiritualium, vel in ipsâ humanâ specie, Bruta non essent in numero creaturarum, quarum verus Deus est author, Computata; Diminuta proinde foret praemissa Fidei professio, neque errori convellendo, satis consultum.

Phil. Congere quanta placet, nihil ad intentum concludes; Scopus siquidem praedictae Lateranensis Synodi, non est deffinire & statuere aliquid circa rerum creatarum Naturas ac quidditates, sed unicè deffinire, unicum esse Deum creaturarum

qua-

quarumcumque Omnipotentissimum conditorem ; nec enim grassans tunc temporis error , circa rerum Naturas , sed circa creaturarum Principium versabatur . Huic itaque refellendo , intenta Sancta Synodus (*g*) , ut seriem universarum rerum ab uno omnium Principio creatarum , brevibus comprehenderet , tres classes deffiniit Naturae , scilicet Corporalis , Spiritalis , & communis ex Spiritu & corpore , solam verò humanam Naturam quasi communem ex Spiritu & corpore , expresè proposuit , aut quia satis ei fuit , speciem creaturae ex Spiritu & corpore communem,praestantioris & nobilioris conditionis indicare ; Aut quia eam solam Creaturam , ex Spiritu & corpore communem expresè designare eidem placuit , de qua praecipua erat in scholis controversia ; Ex quo tamen , apertè non consequitur, eos ab hac tertiâ specie , bestiarum Naturam excipere voluisse ; siquidem ut in jure habemus . *Exceptio debet contrariari directè intentioni agentis* . Immo juris legibus edocemur (*h*) *Extensionem bonam esse , & licitam , ubi est eadem ratio*. Quum itaque quantùm naturali lumine obtinere possumus , eadem sit ratio pro naturâ Brutorum Animalium , speciem idcirco Creaturae ex Spiritu , & corpore communis , donec quidpiam in oppositum , ab Ecclesiâ expresè non proponatur , ad naturam etiam Irrationalium animalium , absque notâ temeritatis , possumus extendere .

Crit. Quae vera sunt , secernamus à falsis , & cui ratio militet , apparebit . Directum utique Con-

(g) *An. Brut. vindic. Dial.* 7. (h) *Rip. ex Bart. comment. in jus canon. pag.* 79.

Concilii praelaudati inten um est profligare Manicheorum atque Albigensium errorem, convenio; Non fuit directus ejusdem scopus, agere de Naturâ, & essentiâ rerum, concedo. Att nihilominùs Synodicis Patribus deffinire incumbebat, totam, quanta est Creatarum rerum Universitatem, ab unico vero, optimoque Deo, fuisse productam; Vel igitur tota rerum creatarum Universitas dividitur in hasce tantùmmodo, nimirum in creaturas Spirituales, in creaturas Corporales, & in creaturam humanam sive Hominem ex Spiritu constantem & corpore, vel in alias etiam creaturas, quae neque simpliciter Spiritales sint, neque tantùm corporales, sed & Spiritu, & corpore constitutae? Unum è duobus reponas, & concedas oportet.

Attamen si primum dicas, sequitur Bruta de mente Concilii, non esse ex Spiritu & Corpore composita; Cum enim Concilium, Creaturas omnes in tres recensitas Creaturarum species partiatur, & sub nomine *Hominis* non possint ullimodè intelligi *Bruta* (quis enim id nisi planè desipiendo affirmet?) Palam est Concilium, sub nomine Creaturae Corporalis, amplecti intellexisse Bruta, & expressa intelligi voluisse: Si verò secundum respondeas, redit adhuc quod primiùs evincebam, diminutam videlicet esse Concilii Definitionem, quod tamen quis unquam de tanto Concilio asserere ausit? Sic autem assumptum probo. Temerè effutiebant Manichei atque Albigenses, non omnes Creaturas esse à Deo bono, sed aliquas, & signanter Animantia Bruta, esse à malo Deo; Deffiniunt Patres contrà haereticos illos unicum esse

Deum

Deum qui Creaturas Spirituales, & Creaturas Corporales, & Creaturam humanam, ideſt Hominem creavit. Enim verò non erant hic ommittenda animantia Bruta, cum & circa ea potiſſimùm, ſive circa eorum Principium haeretici ii errarent. Aſt ſub quâ nam claſſe, deſignata inveniuntur? Planè ſub nullâ, ſi Bruta, ut ais, Spirituali Animâ informentur: Non quidem ſub claſſe Creaturarum Spiritualium, ut evidens eſt, nec enim Bruta ſunt puri Spiritus; Neque ſub claſſe Corporalium, quia ſub illâ non comprehendunt Patres, Creaturam conſtantem ex Corpore & vero Spiritu, aliàs non poſuiſſent Hominem ſub tertiâ claſſe, ſeu non inſtituiſſent tertiam claſſem ſub quâ Hominem, ex Spiritu compactum & Corpore, collocarent; Nec denique, ut praemiſſum eſt, dici queunt deſignata Bruta, ſub nomine Creaturae humanae; ſub iſto enim non venit niſi Homo, ut cuilibet homini notum eſt; Unde Hominum ſpeciem, vocamus ſpeciem humanam, Genuſque humanum nominamus; Cum itaque ex unâ parte deberet Concilium Creaturas, per tales claſſes partiri, ut ſub iis Creatura quaelibet contineretur, nullaque ab iis aufugeret, vel ſubduceretur; Ex aliâ verò (poſito quod Bruta, Animâ gaudeant Spirituali) Bruta ſub nullâ ex recenſitis claſſibus contineantur, vel contenta intelligi queant ſub ullâ, reliquum eſt fateri (quod tamen nullus, nec ſomniando dixerit) praelaudatam Concilii Lateranenſis Fidei contrà eos errores profeſſionem, atque Sanctionem, diminutam eſſe & imperfectam, quia Manicheorum, & Albigenſium errorem magnâ

gnâ ex parte relinquit intactum.

Arist. Me blandè deceperat Philadelphus; Me suaviter, & efficaciter ad meliora reducis Critophile; Perge addere si quae habes, nam summâ cum voluptate te differentem audio.

Crit. Subsumo itaque; atqui diminuta non est vel imperfecta, sed errorem Manicheorum ac Albigensium ex toto confodiens, & evertens praedicti Concilii Sanctio, Catholicaeque Fidei professio, ut quisque Orthodoxus, quisque saniori addictus doctrinae, affirmare tenetur; Ergo de mente Concilii, animantia Bruta non sunt ex Corpore, veroque Spiritu composita; Prob. cons. Si praefati Concilio Sanctio, diminuta non est, intellexere Patres, sub triplici illâ Creaturarum partitione factâ, etiam Bruta complecti; Sed non intellexerunt Bruta complecti, sub primo, vel sub tertio partitionis membro (nam Bruta non sunt entia purè Spiritualia, & aliunde Bruta non sunt Homines neque comprehenduntur intrà genus humanum); Ergo intellexerunt ea complecti, sub secundo partitionis membro, nempe sub classe Corporalium Creaturarum; Atqui sub classe Corporalium Creaturarum non intellexere Patres, comprehendere Creaturam ex Corpore constantem & Spiritu, nam pro illâ tertiam datâ operâ classem instituunt, sub quâ solum *Hominem* ponunt; Ergo dum Bruta, sub classe Corporalium rerum collocata relinquunt, ea ex Corpore veroque Spiritu, instructa non esse supponunt. Est ergo contraria, rationabili & clarè cognitae menti praememorati Lateranensis Concilii, opinio quae Spiritua-

lem

lem Animam admittit in Brutis, quin ex praefati mente Concilii, ostensum manet verum Brutis Spiritum nullatenùs inesse... Revoca in memoriam Philadelphe mi, quae olim à me dicta sunt (*i*), cum tecum super hac controversiâ disputarem, & modò dictis novum senties accedere pondus.

Phil. Promoves, quae arrident tibi, sed interim utili dissimulatione, responsa mea tanquam nullius roboris forent, insoluta relinquis.

Crit. Ne credas me multùm ea vereri, statim ipsa dissolvo. Reponebas igitur primò, satis fuisse Synodicis Patribus mentionem facere de Creaturâ humanâ, utpotè prae aliis naturis ex Corpore & Spiritu compositus, nobiliori. Respondebas secundò Concilium, de solo homine fuisse locutum, quia de hoc erat praecipua controversia in Scholis. Ajebas tertiò constare ex lumine naturae, quod eadem est ratio de naturâ Brutorum, ac de naturâ Hominis. Exordiamur à primo. Non poterat sufficere Patrum intento, mentio facta de solo Homine, in praetactâ Creaturarum partitione, si talis mentio ita restricta, non erat sufficiens convellendo Manichaeorum errori; ita est; Ergo mentio de solo Homine facta non poterat Patrum sufficere intento; prob. min. Manichaeorum haeresis, & circà naturam, & circà principium productivum animantium Brutorum versabatur; Docebant enim Manichaei, teste D. Aug (*k*) Bruta esse ratione praedita, nobiscum juris societate conjuncta, atque inde, esse homicidium necare Animalia;

 Et

(i) *Dissert. cont. An. Spir. Brut. Dial.* 8. (k) *S. Aug. lib. 2. contra Manich.*

Et insuper ipsa non à bono, sed à malo Deo esse producta: Sed dicere quod Homo ex Spiritu compactus & Corpore, sit Creatus à vero optimoque Deo, non opponitur per se errori asserentium Bruta Creata esse à malo Deo, nam terminus Homo, nullimodè includit Bruta, sed omninò praescindit ab ipsis; Ergo mentio facta de solo homine, refellendo Manicheorum errori, non erat sufficiens; Ergo non ideò Patres sub tertiâ illâ classe solum hominem collocarunt, quia praestantioris naturae sit comparatè ad Bruta, nec enim directè de rerum naturâ agebant; Sed rerum potiùs universitatem designabant; Sed quia Bruta pertinere ad secundam, rerum classem, solumque hominem sub tertiâ claudi, unanimiter persuasum habebant.

Progredi jam opus est ad secundum, ut constet, quo motivo ducti Patres sub classe naturae ex Spiritu & Corpore constitutae, solam naturam posuerint humanam. Tu quidem id factum asseveras. Quia de naturâ humanâ erat praecipua controversia in Scholis; Ast in quibus nam Scholis erat praecipua de homine controversia? Quid circa hominem controvertebatur in Scholis? Fortè num Homo haberet Animam? Fortè num Animam haberet Spiritualem, annon? Fortè nè an Homo esset Creatus à bono Deo, an verò à malo? De quo quaeso erat praecipua controversia, pro qua diluendâ, Synodicis Patribus solum hominem, sub illâ tertiâ classe recensere placuerit? Si de Scholis Catholicorum loquamur, numquam controversia fuit, an Homo Animâ informetur vel non; Numquam

quam an Homo habeat vel non Spiritualem Animam : Nunquam demùm an Homo, ab alio principio sit quàm à Deo . Constantissimè siquidem ac verissimè professi sunt Catholici omnes , & Hominem Animâ , eâque Spirituali Animatum , & nullum esse praeter unicum verum Deum , primum Creaturae cujuscumque principium ; Erat igitur controversia illa in Scholis Manicheorum & Albigensium ; Verùmtamen Controversia , seu potiùs illorum haeresis , circa Hominem , non in eo sita erat, quod Homo carere diceretur Spirituali ac rationali Animâ; Nam aliquod Spirituale principium à bono Deo Creatum , homini inesse concedebant . Sed in hoc potiùs quod duas Animas in unoquoque homine admitterent Manichei , & duo earundem principia , unam quidem rationalem & bonam quae foret à bono Deo , producta ; Aliam verò concupiscibilem & malam , quae à malo Deo materiae , omnisque carnis , ut ajebant , Creatore , caussata foret , & insita homini ; Albigenses autem , & improbae Manichaeorum doctrinae , & impiis turpissimisque Gnosticorum moribus addicti , in eo ulteriùs stultissimè errabant , quod humanas Animas esse dictitarent , & crederent eos rebelles Spiritus , qui fuerant expulsi è Coelo , ut Petrus Vallisernensis testatum facit (*l*) .

Cum itaque quarti Lateranensis Concilii Patres , Humanam tantùmmodo naturam sub classe naturae ex Spiritu & Corpore compositae collocantes, Animae duplicitatem in uno eodemve Homine, expresè non damnent , quam quidem hae-

(l) *Petrus Valliser. in Histor. Albig. cap. 2.*

resim jam pridem anathemate confixerat quarta Constantinopolitana Synodus sub Adriano secundo; Neque qualis sit Spiritus, qui simul cum Corpore componit hominem, ullatenùs innuant, evidenter planè constat, non ob id, solum Hominem sub ultimâ Classe eos posuisse, quia speciales circà hominis naturam errores, confutare, & damnare assumpserint; nec enim ullimodè credibile est, eos Patres nè verbum quidem prolaturos contrà errores illos, quorum praecipuè configendorum Caussâ, de Homine specialem instituerant mentionem; Meritò itaque iterum concludendum venit; Ideò à Concilio Hominem solum, sub eo tertio memoratae partitionis membro, collocatum fuisse, quia solus Homo, ex mente Concilii, Naturâ constat Spirituali ac Corporali communi, seu Spiritu simul & Corpore completâ.

Quod si (ut ad tertium descendam) Bona est & licita extensio unius ad aliud, ubi est eadem ratio; Quis porrò, ex quo dicatur Homo ex Spiritu & Corpore constitutus, inferre valeat, etiam Bruta similiter esse compacta? Id nè erit ad mentem Concilii? Haud sanè; Concilium etenim cum dicit. *Ac deinde humanam quasi communem ex Spiritu & Corpore constitutam*, supponit manifestè, se Creaturam aliquam ex Spiritu & Corpore constantem, sub primo vel secundo partitionis membro non designasse; Supponit nullam hujusmodi Creaturam, sub uno vel sub alio contineri; Aliàs non dixisset *Deinde*. Quasi novam Creaturae nusquam designatae speciem innuens; Quin potiùs, cum unicè humanam ibi Creaturam reponat, sentit

tit implicitè saltem, nullam aliam esse Creaturam, quae Spiritum simul, ac Corpus in sui constitutionem importet; *Implicitè*, dixi, neque enim Animae belluinae Spiritualitatem, expressè à Concilio reprobatam assero, sed Concilio non consonam ejusque menti non conformem, sed contrariam, potiùs evinco, adeòque à sanioris Doctrinae professoribus, abigendam.

Non est igitur eadem ratio de Homine, ac de Brutis, si juxtà Concilii mentem loquamur; Sed est nè saltem eadem ratio, si presci ndamus à mente Concilii, & naturale rationis lum en consulamus, ut propterea compositionem ex Spiritu & Corpore,à Concilio soli attributam Homi ni, etiam ad bestias extendere liceat? Tu quidem facilè affirmas, ast cui nam affirmatio tam nova, innititur fundamento? Eam-nè Brutalis Animae Spiritualitatem, docere nos potest naturale lumen, quam tot rationes evertunt; quam Scripturae pro fligant; quam nullus Sanctorum Doctorum asseruit; quam indirectè, ad minùs, reprobant Concilia? Patres quartae Lateranensis Synodi, non inferiori pollebant naturali lumine, eo quo polleant recen tiores Philosophi, & tamen, Spiritualem in Brutis Animam nusquam sensere, alioquin Bruta, sub Corporalis Creaturae categoriâ non reliquissent; Quid enim eis facilius erat, quàm dicere. *Ac deinde humanam Creaturam, & Creaturam belluinam ex Spiritu & Corpore constitutam*? Veriti ne fortè sunt asserere id, quod naturali lumine, verum esse intelligebant? Non agnovit hanc Spiritualem Brutorum Animam S. Augustinus; Illam non vidit, sed

immò

immo rejecit D. Thomas (*m*) & tamen vel ipso lumine naturali admittenda in enitescere praedicatur! Agnosce, agnosce tandem Philadelphe, quod non naturale lumen, sed anticipatae praejudicium opinionis, te ad hanc adstruendam seu defendendam impellit. Cumque nativo potiùs lumine, constet naturam humanam cum Brutali non convenire, adeòque super hanc excellere, ut quod homini crimen est, pecori sit natura, ut ajebat S. Aug., consequitur, id quod à Concilio dictum de homine invenitur, nullâ prorsus ratione ad naturam Brutorum extendi, vel debere, vel posse.

Arist. De tali, ac apud cum Sanctitate tum Doctrinâ conspicuos homines, tam approbatâ veritate, quis ampliùs ambigere ausit? Video utique Critophile, à praelaudato Oecumenico Concilio tacitè reprobatam de Animâ in Brutis Spirituali sententiam; Video non solubiles undecumqne adductas gravissimas momentorum rationes; Verùm, quoniam Brutorum Animam, Spiritualem dicere, & ratio recta, & auctoritas summa, nos prohibent; Afferrem ego si placet, novam circa Brutorum Animam, opinionem, quae ab hinc non tempore multo, menti insedit meae; Videlicet (*n*) Brutorum Animam, esse quemdam Spiritum materialem, incrementi, decrementique capacem, qui naturalibus excretionibus, ac incessanti transpiratione, consumitur seu minuitur; Per cibum verò, ac respirationem attrahitur, atque reficitur;

(m) *Dissert. cont. An. Spir. Brut. Dial. 6. per totum.*
(n) *Comes August. S. Pap. in Epist. Crit. Tomo 1. Pag. 203. & seqq.*

citur ; Unde sicut restituitur per respirationem aeris ; Ita cum minuitur , vel totaliter deficit , in aerem redit , & inde Animalis sequitur mors ; Si ita dicamus , eos omnes vitamus scopulos , in quos Anima Brutorum , ut Spiritualis , impingebat .

Neque in Brutis tantùm , verum etiam in Homine , hanc eandem materialem Animam , ultrà Animam Spiritualem, ac rationalem quâ informatur , non immeritò censuerim admittendam ; Quomodo enim potest Spiritualis Anima , nihil materialitatis admiscens , habere vim motricem Corporis , quod est merè materiale ? Possumus nè vel levissimam paleam loco dimovere , solo voluntatis imperio ? Non certè ; Nisi enim , vis aliqua Corporea ei imprimatur , immota perstabit ; Videmus in hominibus Apoplexiâ correptis , adhuc extare Animam , neque tamen offensis partibus movendis sufficere ; Quid sanè caussae est ? ni quod à partibus illis offensis, recessit Anima illa materialis , quae Corporalium motuum, unica vel saltem proxima caussa erat ?

Crit. Tuum remedium , morbum graviorem facit . Diceret opportunè Plutarcus (*o*) Legeram & ego praeteritis hisce diebus,sententiam hanc,quam promoves , in Epistolis Criticis Comitis Augustini Sancti Pupieni,viri certè & ingenii pernicitate , & ubertate Doctrinae , & eloquii nitore apprimè conspicui ; Attamen , etsi ingeniosam noverim , pro verâ tamen , nec admisi , nec tecum nunc admittere queo . Quae etenim in Brutis est Anima

(o) *Plutar. de cupid. Divit.*

ma,quae vel transpiratione minui possit, vel respiratione augeri? Quod transpiratione deperditur, quod respiratione acquiritur, aliud non est, nisi materia; Materia per se solam, nec Sensitiva est, nec esse potest; Inepta proindè est Sensitiva constituere Bruta; Quin etiam, cum materia per se ipsam non sit vivens, neque motum poterit, nec qualemcumque Brutis tribuere vitam. Hinc nisi aliud principium sentiendi admittatur in Brutis, coincidit Opinio illa cum Opinione Renati des chartes adimente bestiis Vitam omnem, & sensum, easque mera authomata esse, venditante: Neque respondere juvabit, (p) sententiam hanc ab illâ Cartesii secerni,eò quia Cartesius ex materiâ crassiori, & ex subtiliori, quae crassiorem, ad motum determinet, Bruta confingens, negabat ea vel vivere, vel sentire; Illa verò è contrà Brutis ipsis & vitam concedit, & sensum. Non inquam juvabit; nam discrimen illud, tantùm penès verba se tenet; Dicitur enim quod Bruta vivant, & sentiant, sed tamen in re, cum pro Animâ illorum, non aliud assignetur, quàm materia, & illa, ut dictum est, ex se ipsâ & vitâ careat, & sensu, quodcumque Brutis vivendi & sentiendi principium denegatur; Unde in rei veritate, Bruta juxtà opinionem hanc, non minùs ac juxtà illam Cartesii mera authomata sunt.

Dato tamen, & non concesso, quod materia habeat in Brutis veram rationem Animae; Nunquid haec Anima, praeter Animam rationalem admitti in Homine poterit, ut materiales in ipso actio-

(p) *Comes Aug. S. Pup. loco cit. pag.* 234.

actiones peragat, & mentalibus deserviat ? Absit omninò, talis siquidem positio (non quidem ex mente Authoris) sed ex se ipsâ, cum Haeresi videtur coincidere Manichaeorum, duas in homine Animas asserentium, unam videlicet rationalem & bonam; Aliam autem Concupiscibilem, & malam, seu ad malum inclinatam: Enim verò Anima illa, quae per transpirationem eggeritur, & per respirationem attrahitur, soli nata est deservire Corpori, illudque ad corporeas, ac contrà legem Dei voluptates extimulare, mala proinde est in Homine, & moralitatis, & Evangelii legibus, illis quidem naturaliter, Illis verò misericorditer, subjecto; Utique verum est, quod aliter etiam, & turpiùs errabant Manichaei circa hanc Animarum pluralitatem in Homine, asserendo nimirùm conformiter ad eorum principia, duos esse Deos, unum bonum, qui rationalem in Homine creaverit Animam; Aliumve malum, qui eidem Homini, Animam infuderit malam; Sed tamen verum pariter est, nè dum insanum atque haereticum esse, duos asserere Creatores Deos; Sed etiam duas,in uno eodemque Homine Animas admittere; Quapropter assertionem hanc, de dualitate Animarum in Homine, tanquam falsam, futilem, haereticamque, damnavit, proscripsit, anathematezavit quarta Constantinopolitana Synodus sub his verbis. *Cum vetus, novaque lex Testamenti doceat unicam Hominis, eamque ratione & intelligentiá pollentem esse Animam; Eandemque sententiam, Deiloquorum omnium Patrum, & Doctorum Ecclesiae Doctrina confirmet; Sunt tamen qui*

duas Homini esse Animas, asserant, & quibusdam vitiosis ratiocinatiunculis suam haeresim stabiliant. Itaque Sancta haec & Oecumenica Synodus, bujus impietatis conditores cum tota secta sua, magna voce anathematizat. Qui verò post haec contraria dicere ausus fuerit, anathema esto: Quantùm distet à damnatâ opinione, Sententia quae tibi arridere videbatur Aristippe, planè non video; Nec exinde agnoscere valeo, qua ratione possit sub praemisso anathemate non comprehendi: Viderint itaque alii, qua censurâ notanda sit, nam ego in iis diutiùs immorari nolo, quae me non molestant: Caeterùm indubiè mihi credere fas est illam ab Authore suo, non asserendi Animo, sed exercendi tantùm ingenii causâ fuisse exscriptam, quodve si jam pridem damnatam novisset, noviter excitare, ausus non foret.

Praesertim cum non ejus ponderis sit, cujus esse putatur, attacta ratio, in eo sita, quod Spiritualis entitas per se ipsam non possit materialia ad motum impellere; Sive namque Assumptum hoc sit verum, sive sit falsum, numquam poterit ritè concludi admittendam in Homine ultrà rationalem Animam, Animam hanc ex materiâ compactam, quam jampridem ab ipso, Catholica rejecit doctrina. Ponamus quod verum sit, non posse Corpora recipere à Substantiâ Spirituali, motum; Jam Anima haec noviter asserta, vel de Homine Brutum faciet, vel prorsus inutilis erit: Utrumque paucis ostendo; Haec Anima compacta ex materiâ, & Homini inexistens, & peragens omnes Corporales motus in ipso, vel subjacet Ani-
mae

mae rationalis imperio ; Vel non ? Si non subjacet ; ex Homine Brutum facit ; Si subjacet est inutilis;Ergo &c. prob. Haec Anima secundum entitatem , eadem est cum Animâ Bruti, unicè diversa quòad modum in Homine , à se ipsâ , prout Bruta informante , in quantùm in Homine, est subjecta rationi , (*q*) secùs autem in belluis ; Ergo si in Homine, rationis imperio non subdita foret, ex Homine faceret Brutum ; Esto enim esset adhuc in Homine rationalis Anima , quae Brutis non inest ; Homo tamen, Brutorum adinstar, sui Corporis motibus sibi numquam liberis raperetur , & effraeniter curreret post concupiscentias non minùs ac Bruta , & rationalis Anima quantùm ad eos Corporeos motus , se haberet perinde non esset , cum nec eos caussaret, nec eos impedire valeret .

Erit ergo , vel dicetur esse subjecta rationali Animae , praefata Anima coalescens ex materiâ ; Erit in potestate rationalis Animae; si non omnes omninò, plures saltem Corporeos compescere motus , vel imperare ; Sed si ita est , quis non agnoscat , inutilem prorsùs eam esse Animam in Homine , quae solis Corporalibus exercendis motibus, aptata fingitur & necessaria? Porro haec Anima , subjacens Animae rationalis imperio & directioni , materia est ; Materia autem non potest cognoscere actum Spiritualem imperii , & volitionis , sed unicè apta est ad quietem sisti , vel ad motum determinari ; Dum igitur talis Anima, dicitur subjecta imperio rationalis Animae , non dicitur determinari objectivè, quasi cognoscat quid ratio-

(q) *Idem ibid. pag.* 214.

rationalis Anima velit, sed tantùm effectivè, quatenùs rationalis Anima, ei motum imprimit, ut motu in se ipsâ recepto, secundùm recepti motus directionem, humanum moveat Corpus. Atqui si rationalis seu Spiritualis Anima, Animae ex materiâ compositae, potest motum imprimere, jam haec alia Anima, omninò in Homine inutilis est; Ergo &c. prob. min. Si Anima rationalis ut ut Spiritualis, potest indere motum materiae ex quâ illa nova Anima coalescit, jam Anima quamvis Spiritualis, poterit & indere motum materiae ex quâ humanum Corpus consurgit; Sed si ipsa immediatè, talem huic materiae motum imprimere potest, jam inutilis evidenter est alia Anima quae materia sit, quaeve priùs mota ab Animâ Spirituali, moveat posteà aliam materiam; Ergo &c. min. patet, vel enim verum est, quod nequeat Spiritualis Substantia, motum imprimere Corpori, & sic nullam movere materiam valebit; Vel id est falsum; Et si potest aliquam movere, cur non & aliam, praesertim quae ab ipsâ tanquam à formâ, fuerit informata?

Quod si in Homine aliquo, Apoplexiâ correpto, aliqua Corporis pars, vivat licet, immota tamen manet, non ideò est, quasi Anima motrix, ab eâ parte recesserit, sed quia cum rationalis Anima eam partem informans, indigeat rectâ organi dispositione, ac Spirituum vitalium affluxu, ad naturales in eâ parte peragendos motus; Ea pars, vel attractione nervorum, vel musculorum ac arteriarum laesione, occlusoque Spiritibus aditu, resistit motui. Hinc eversa manent noviter asser-

assertae, & jam pridem damnatae fundamenta doctrinae; Doctrinae inquam, quam & Angeli falsam ostendunt, dum indubiâ virtute gaudent movendi Corpora, licet ipsi Spirituales Substantiae sint: Enim verò, ommissis caeteris, quae in rem hanc dici possent. Nonnè Angeli Dei, òrto in Bethleem Redemptore humani generis totius Homine Deo, canere auditi sunt? Quis iste fuit eorum cantus? Nunquid à se in se, ipsis efformatus? Quis nisi summâ saltem cum temeritate dicat? Formabatur itaque ab illis in aere, & ex aere melos; Movebant igitur aerem (qui sanè materia est) Angeli ii, qui aerem tàm inusitatis concentibus modulabantur; Potest itaque Spiritualis Substantia movere materiam; Cum igitur canerent tunc Angeli illi Pacem, Hominibus bonae voluntatis; Hujus falsae & mox discussae opinionis instaurator (quem ego bonae voluntatis judico) errorem corrigat intellectus, ut inde bonam patefaciat omnibus voluntatem; Neque de me conqueratur, quasi qui velim eum instruere, cum potiùs gratias agere debeat, quod eum ad scholam duxerim Angelorum Dei.

Phil. Quid quaeso opus erat Aristippe ad hanc Animam ex materiâ compactam confugere, cum opinio de Animâ in Brutis Spirituali inconcussa persistat? Putas ne contrariam vel ex indirecto esse Doctrinae Concilii, opinionem istam, quae ita D. Bernardo arrisit, ut eam expressè tradere, & luculenter promovere non dubitaverit?

Crit. Placet ne Philadelphe quod nunc, & statim, Divi Bernardi mentem discutiamus? Si

placet

placet & Ariſtippo, incunctanter ſuper hac re aggredior loqui.

Ariſt. Jam monueram vos, me non poſſe diutiùs veſtris hoc manè concertationibus intereſſe; Opinionem ego quidem, quam promoveri poſſe innueram, pro Animâ Brutorum explicandâ, ex nunc tanquam erroneam revoco; Sed & tuam, in quam me trahi ſinueram Philadelphe, à veritate alienam judico, & niſi verè illam D. Bernardus edoceat, pro tali eam habebo ſemper. Valete interim ambo, & momentum hoc, placito vobis tempore expenſuri, ad me redire ne detrectetis.



DIVUS

DIVUS BERNARDUS SERMONE V. IN CANTICA,

Spiritualem in Brutis Animam non admisit; Immò ex D. Bernardi Doctrinâ, Spiritualis Anima Brutorum profligatur.

DIALOGUS NONUS

Aristippus, *Philadelphus*, *Critophilus*.

Arist. Uantùm gaudeo vos unà simul adventantes excipere? Video vos, sicut semper optavi, opinione licet divisos, sincero tamen conjunctos affectu. Utinam quos corde junxit Charitas, etiam intellectu societ, Melliflui doctrina!

Phil. Ne dubites Aristippe; Quod cupis obtinebis indubiè; (*a*) Mentem enim Sancti Bernardi in laudato super Cantica sermone, hanc esse, ut Brutorum Anima, vera sit immaterialis Substantia, ii solum vocare in dubium poterunt, qui vel nunquam sermonem illum viderint, aut si viderint, caecutire nihilominùs malunt contrà lucem, Sole meridiano clariorem.

Arist. Dictis tuis Philadelphe, fidem denegare non possum, sed tamen, tantisper suspendo; Nam & multa alia, pro certis mihi suaseras, quae tamen, audito Critophilo, non aliam quàm in praeoc-

(a) *An. Brut. vindic. Dial. 8.*

praeoccupatâ mente certitudinem habere cognovi.

Crit. Prudenter agis Aristippe, utraque enim pars audienda est, antequam Sententia pronuncietur. Sed nè tempus, inutili verbositate teramus, quoniam praestò nobis sunt Sancti Bernardi Opera, permittas, oro, ut totum quantus est, Sermonem quintum in Cantica clarâ voce legam, ut indè debitis animadversionibus factis, genuina Divi Bernardi mens, quò ad praesentem controversiam, nobis illucescat. Quoniam verò te audire paratum cupidumque intueor, incipio statim. Sic exorditur Sermonem V. in Cantica D. Bernardus; Praemisso Sermoni, titulo hoc.

De quatuor generibus Spirituum, videlicet Dei, Angeli, Hominis, & pecoris.

1. QUatuor Spirituum genera nota sunt Vobis, pecoris, noster, Angelicus, & qui condidit istos. Non est ex omnibus, cui sive propter se, sive propter alium, sive propter utrumque, necessarium Corpus non sit, Corporisve similitudo, excepto dumtaxat illo, cui omnis tam Corporalis, quam Spiritualis Creatura meritò confitetur, & dicit. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Et primum quidem ita Corpore egere constat; Ut nec subsistere absque illo utcumque possit; Simul quippe & vivificare desinit, & vivere ille Spiritus, quando moritur pecus. Verùm nos vivimus quidem post corpus; Sed ad ea quibus beatè vivitur, nullus nobis accessus patet, nisi per corpus. Senserat hoc

hoc qui dicebat. *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur*. Ipsa siquidem quae facta sunt, ideft corporalia & visibilia illa, nonnisi per corporis instrumentum sensa, in nostram notitiam veniunt. Habet ergo necessarium corpus Spiritualis creatura quae nos sumus, sine quo nimirum nequaquam illam scientiam assequitur, quam solam accepit gradum ad ea, de quorum fit cognitione beata. Hic si mihi objicitur de parvulis regeneratis, quod absque scientiâ rerum Corporalium exeuntes de Corpore, ad beatam vitam nihilominùs transire credantur; Breviter respondeo hoc illis conferre gratiam, non naturam. Et quid ad me de miraculo Dei, qui de naturalibus dissero?

2. Jam quod & supercoelestes Spiritus opus Corporibus habeant, illa maximè certos nos faciat vera, & verè divina sententia: *Nonnè omnes*, ait, *administratorii Spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui haereditatem capiunt salutis?* Quonam ergo modo implent ministerium suum absque Corpore, praesertim apud viventes in Corpore? Denique non est discurrere, nec de loco ad locum transire nisi, Corporum: Quod frequenter Angelos facere tàm indubitata, quàm nota probat auctoritas. Hinc est quod & visi sunt Patribus, & ad eos intraverunt, & manducaverunt, & pedes laverunt. Ita inferior, superiorque Spiritus propriis Corporibus egent, sed tamen quibus juvent, non etiam juventur.

3. At pecus quidem ex debito servitutis, & ad usus tantùm temporalium Corporaliumque ne-

cessitatum juvando servit: Ideoque ille Spiritus & cum tempore transit, & cum Corpore deficit; Servus quippe non manet in domo in aeternum. Licet qui bene eo utuntur, omnem usum hujus temporalis servitutis ad quaestum referant aeternorum. Angelus verò curat, satagitque in libertate Spiritus administrare officium pietatis, futurorum bonorum promptum mortalibus alacremque ministrum se se exhibens, utpote suis in aeternum futuris concivibus, & choeredibus supernae jucunditatis. Ille ergo ut jure serviat, iste ut piè subveniat, ambo procul dubio suis Corporibus egent, ut juvent. Nam in quo ipsi eis juventur, non video, ad profectum dumtaxat aeternitatis. Irrationalis nempe Spiritus, etsi Corporalia per Corpus & ipse hauriat; Nunquid tamen eòusque juvatur Corpore suo, ut per Corporalia & sensibilia quae per illud sentit, etiam ad Spiritualia & intelligibilia proficiendo pertingat? Ad quae tamen capessenda pro suo Corporali temporalique obsequio, noscitur juvare illos, qui omnem usum rerum temporalium, ad fructum transferunt aeternarum, utentes hoc mundo, tamquam non utentes.

4. Porrò autem supercoelestis Spiritus, absque adjutorio Corporis, & absque intuitu horum quae per Corpus sentiuntur, sola profecto suae vicinitate ac vivacitate naturae, sufficit apprehendere summa, & intima penetrare. An non hoc Apostolus intellexit, qui cum diceret, *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*; Adjecit protinùs, *à Creatura mundi*. Nimirùm quo-

quoniam à Creaturâ Coeli non ita. Quo enim is involutus carne, & terrae incola Spiritus, ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim quodam modo paulatimque nititur pervenire: eo ille Coelestium habitator ingenitâ subtilitate ac sublimitate suâ in omni velocitate facilitateque pertingit, nullo utique sensus Corporei adminiculo fultus, nullo Corporei membri adjutus officio, nullo Corporeae cujuscumque rei informatus intuitu. Cur enim inter Corpora Spirituales scrutetur Sensus, quos in libro vitae & absque contradictione legit, & absque difficultate intelligit? Cur in sudore vultus sui laboret excutere grana de paleis, de uvis vina, & de amurcâ oleum, qui ex omnibus satis abundèque ad manum habet? Quis mendicet victum suum per domos alienas, in suâ abundans panibus? Quis puteum fodere curet, & in terrae visceribus venas aquarum cum labore rimari, cui ultrò affatim aquas limpidas fons vivus emanat? Nec Brutus ergo, nec angelicus Spiritus ad ea capessenda, quae beatam Spiritualem faciunt Creaturam, suis ullo modo Corporibus adjuvantur; Ille quidem pro innatâ stoliditate non capiens, iste verò pro excellentioris gloriae praerogativâ non indigens.

5. Porrò Hominis Spiritum, qui medium quemdam inter supremum & infimum tenet locum, usque adeò ad utrumque necessarium habere Corpus manifestum est, ut absque eo nec ipse proficere, nec alteri prodesse possit. Nam, ut taceam membra caetera Corporis, officiave membrorum; Quonam modo, quaeso, aut sine lin-

guâ instruis audientem, aut sine auribus percipis instruentem?

6. Itaque cum absque Corporis adminiculo nec Bestialis Spiritus servilis conditionis solvere debitum, nec Spiritualis coelestisque Creatura implere ministerium pietatis, nec rationalis Anima tàm proximo, quàm etiam sibi sufficiat consulere ad salutem, liquet omnem Creatum Spiritum, sive ut juvet, sive ut juvetur simul & juvet, Corporeo prorsus indigere solatio. Quid enim si qua Animantia, quantùm ad usum sui, reperiantur incommoda, nullisque apta usibus humanarum necessitatum? Prosunt profectò visu, etsi non usu; Utiliora cordibus intuentium, quàm utentium esse Corporibus possent. Etsi nociva, etsi etiam perniciosa temporali Hominum constet esse saluti: Non tamen deest eorum Corporibus unde cooperentur in bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti; Et si non cedendo in cibum, aut exhibendo ministerium, certè ingenium exercendo, juxtà eum, qui utique omni utenti ratione praesto est, communis disciplinae profectum, quo *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Nam & diabolus ejusque satellites, cum sit semper eorum maligna intentio, nocere quidem semper cupiunt, sed bonis aemulatoribus, quibus dicitur, *Quis vobis nocere poterit, si boni aemulatores fueritis*? Absit ut possint: magis autem prosunt etiam nolentes, cooperanturque in bonum bonis.

7. Caeterùm angelica Corpora, utiùmnam ipsis Spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua;

Et

Et ſint Animalia ſicut homines , Immortalia tamen , quod nondum ſunt homines ; Porro ipſa Corpora mutent & verſent in formâ & ſpecie qua volunt , quando apparere volunt , denſantes & ſolidantes & quantùm volunt , cum tamen in ſui veritate prae ſubtilitate naturae atque Subſtantiae ſuae impalpabilia ſint , & noſtris omnino inattingibilia viſibus ; An verò ſimplici Spirituali Subſtantiâ ſubſiſtentes , Corpora cum opus eſt ſumant , rurſumque expleto opere ponant , in eamdem , de qua ſumpta ſunt , materiam diſſolvenda ; Nolo ut à me requiratis . Videntur Patres de hujuſmodi diverſa ſenſiſſe ; Nec mihi perſpicuum eſt , unde alterutrum doceam ; Et neſcire me fateor . Sed & veſtris profectibus non multùm conferre arbitror harum rerum notitiam .

8. Illud autem ſcitote , nullum Creatorum Spirituum, per ſe noſtris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante noſtri ſuive Corporis inſtrumento , ita nobis immiſceatur vel infundatur , quo ejus participatione docti ſive doctiores , vel boni ſive meliores efficiamur . Nullus Angelorum , nulla Animarum hoc modo mihi capabilis eſt , nullius ergo capax . Nec ipſi Angeli ita ſe alterutrum capiunt . Sequeſtretur proinde praerogativa haec ſummo ac incircumſcripto Spiritui , qui ſolus , cum docet Angelum ſive Hominem ſcientiam , inſtrumentum non quaerit noſtrae Corporeae auris , ſicut nec ſibi oris . Per ſe infunditur per ſe innoteſcit , purus capitur à puris ; Solus nullius indiget ; Solus & ſibi , & omnibus de ſolâ omnipotenti voluntate ſufficiens .

9. Ope-

9. Operatur tamen immensa & innumera per subjectam Creaturam Corporalem, sive Spiritualem: Sed quasi imperans, non quasi mendicans. En, verbi gratia, quod linguam meam Corporalem assumpsit nunc in opus suum, docere videlicet vos, cum per se absque dubio faciliùs, suaviùsque id posset; Profectò indulgentia est, non indigentia. In profectu siquidem vestro meritum quaerit mihi, non sibi solatium. Id ipsum sapere opus est omni Homini operanti bonum, ne fortè in se de bonis Domini, & non in Domino glorietur. Est tamen qui bonum operatur non volens, sive Homo malus, sive Angelus malus: Et constat non fieri propter eum, quod fit per eum, cum prodesse nullum bonum possit invito. Igitur ei quidem dispensatio tantùm credita est: Sed nescio quomodo, gratius jucundiusque sentimus bonum, quod per malum dispensatorem ministratur. Ipsa est ergo causa, cur & per malos Deus faciat bona bonis; Non autem quod opera eorum indigeat in benefaciendo.

10. Porrò his quae ratione vel sensu carentia sunt, multò minus Deum egere quis dubitet? Sed quando in opus bonum & ipsa concurrunt, apparet quoniam omnia serviunt ei, cui merito est dicere: *Meus est orbis terrae*. Aut certè quia novit quae per quae convenientiùs fiant; De servitute Corporeae Creaturae non efficaciam quaerit, sed congruentiam. Esto deinde quod Corporum ministeria opportunè plerumque divinis operibus applicentur, ut verbi gratiâ pluviae vivificandis seminibus, vel multiplicandis segetibus, vel fructibus

bus maturandis; Quid proprio quaeso, de Corpore facere habet, cui ad nutum indifferenter universa Corpora Coelestia, atque terrestria obsequi constat? Plane superfluò haberet suum, qui nullum sibi reperit alienum. Verùm si cuncta quae hoc loco dicenda occurrunt, praesenti volumus sermone concludere, sermo modum excedet, & vires forsitan aliquorum: Propterea quae restant, sub alio servemus absolvenda principio.

Hìc explicit D. Bernardi Sermo quintus in cantica, quem fidissimè de verbo ad verbum nullo prorsùs ommisso vel immutato recitavi, reliquum modo est, ut mox audita perpendamus.

Arist. Summâ cum voluptate, dulcissima mellifluí Doctoris excepi verba, sed ex ipsis, ut vera loquar, mirificè Brutorum Animae Spiritualitas mihi comprobari videtur à D. Bernardo asserta; Unde enim Scriptoris Animus innotescere clariùs nobis potest, quàm ex operis titulo? At quis est titulus Sermonis auditi, nisi hic? *De quatuor generibus Spirituum, videlicet Dei, Angeli, hominis, & pecoris.* Quodnam est sermonis exordium? *Quatuor Spirituum genera nota sunt vobis, pecoris, noster. Angelicus, & qui condidit istos.*

Phil. Quin etiam, ut audisti, in Sermonis progressu, centies Brutorum Animam, Spiritum appellat Sanctus Bernardus; Atque ad alios Creatos Spiritus comparat, Angelos nimirùm & humanas mentes; Immò docet hominis Spiritum, medium, supremum inter, & infimum Spiritum Creatum, occupare locum, Angelicum scilicet qui supremus est Creatus Spiritus, & Brutum,

qui

qui est infimus. Ineptè equidem loqueretur Sanctus Doctor, si Spiritus infimus, verus non esset Spiritus, ut est supremus, & medius. Varia rursùs studet indicare discrimina inter Spiritum Angeli, & Spiritum hominis; Inter istos, & Spiritum pecoris. Plura nè igitur optari poterunt, ut certiores efficiamur, reverà Sanctum Bernardum autumasse Brutorum Animam veram esse Substantiam immaterialem? (*b*)

Crit. Quoniam legentem patienter audistis, nè pigeat audita discutientem sustinere, & quantùm valebo, brevitati simul consulam, & claritati: In decem itaque partitur numeros recitatus Divi Bernardi Sermo; Et à numero septimo usque ad decimum inclusivè, nihil continet quod praesentem quaestionem concernat; Quarè totus controversiae cardo, ad ea tantùm reducitur, quae sub prioribus sex numeris, à Divo Bernardo dicta sunt, à me vobis lecta, & à vobis audita. Sanè verò quae nam ista sunt? Colligamus ea. Sub numero 1. Collocat Animam pecoris cum Spiritu humano, Angelico, atque Divino, eamque Animam vocat Spiritum, tum dicit omnes Spiritus excepto dumtaxat Divino, vel propter alium, vel propter se, vel propter & se, & alium indigere Corpore; De solo tamen Spiritu pecoris ait. *Ita Corpore egere, ut nec subsistere absque illo, utcumque possit, simul quippe & vivificare desinit, & vivere ille Spiritus quando moritur pecus*. Et objectioni sibi met factae de parvulis regeneratis qui nullam medio Corpore seu per Corpus, rerum cognitionem adepti,

(b) *An. Brut. Vindic. Dial.* 8.

adepti, ad beatam nihilominùs transeunt vitam; Respondet hoc fieri per miraculum Dei, non autem secundùm naturalem rerum ordinem, se verò hìc loqui tantùm de rebus secundùm earum naturam inspectis, non verò de iisdem prout subsunt liberae ac omnipotenti Voluntati divinae. *Quid ad me de miraculo Dei, qui de naturalibus dissero?*

Sub numero. 2. Ait quod inferior, Superiorque Spiritus, belluinus nimirùm & Angelicus, propriis Corporibus egent, sed tantùm quibus juvent, non etiam juventur. Subdit posteà numero. 3. quod Spiritus pecoris. *Et cum tempore transit, & cum Corpore deficit*. Propè finem vero sic interrogat. *Irrationalis nempe Spiritus, etsi Corporalia per Corpus, & ipse hauriat; Nunquid tamen eòusque juvatur Corpore suo, ut per Corporalia & sensibilia, quae per illud sentit, etiam ad Spiritualia & intelligibilia proficiendo pertingat?* Numero deinde. 4. concludit. *Nec Brutus, ergo nec Angelicus Spitus ad ea capessenda quae beatam Spiritualem faciunt Creaturam, suis ullo modo Corporibus adjuvantur. Ille quidem pro innatâ stoliditate non capiens, iste verò pro excellentioris gloriae praerogativâ non indigens.*

Denique numero 5. sic scribit. *Hominis Spiritum, qui medium quemdam inter supremum & infimum tenet locum, usque adeo ad utrumque necessarium habere Corpus, manifestum est, ut absque eo, nec ipse proficere, nec alteri prodesse possit.* Numero verò. 6. necessitatem Corporis infert in unoquoque Creato Spiritu dicens. *Itaque cum absque Corporis adminiculo, nec bestialis Spiritus, servilis*

conditionis solvere debitum, nec Spiritualis coelestisque Creatura implere ministerium pietatis, nec rationalis Anima, tàm proximo, quàm etiam sibi sufficiat consulere ad salutem, liquet omnem Creatum Spiritum, sive ut juvet, sive ut juvetur, sive ut juvetur simul & juvet, Corporeo prorsus indigere solatio. En vobis fideliter excerpta ex praefato sermone ea omnia, quae praesentem disquisitionem quomodòvis respicere queunt.

Phil. Et paucula nè haec esse putas? An non haec evidenter ostendunt, ex mente Divi Bernardi veram inexistere Brutis Spiritualem Substantiam?

Crit. Nondùm inito certamine, de victoriâ gloriari nolite; Ex titulo igitur, atque ex ipso sermonis initio, ajebas Aristippe; Ex toto sermonis decursu, jactabas Philadelphe, clarissimè erui Spiritualem in Brutis Animam, à D. Bernardo agnitam, assertamque fuisse; Ait falleris Aristippe, nam ex Titulo quatenùs tali, & nisi sit vel affirmans positivè aliquid, vel negans, non potest mens colligi Auctoris; Si igitur praemissi Sermonis titulus, alius non est nisi. *De quatuor generibus Spirituum* &c. Quo etiam posito, potuisset D.Bernardus, in sermone quem texebat, vel affirmare pro placito suo, quatuor verè dari Spirituum propriè dictorum genera, vel asserere tria tantùm esse; Clarè liquet ex Titulo praecisè qua titulus est, Authoris mentem haud posse deduci: Ex doctrinâ igitur in sermonis decursu expositâ clarescit sensus Authoris, bene ais Philadelphe. Verùmtamen quis nam erit Sermonis scopus? Quae nam, quantùm attinet ad Spiritum pecoris, in hoc sermone doctrina? Non

Non alius, ut legenti patet, longae quam instituit antithesis, Spiritum Angelicum inter, & humanum, & bestialem, Divi Bernardi scopus est, nisi ostendere omnes Creatos Spiritus aliqualiter saltem Corpore indigere, unde numero. *6.* concludit: *Liquet omnem Creatum Spiritum, sive ut juvet, sive ut juvetur simul & juvet, Corporeo prorsus indigere solatio*. At verò quam nam doctrinam inibi promovet? Hanc sanè, quod scilicet Spiritus, qui est Deus, nullius est indigus Corporis; Spiritus Angelicus Corpore opus habet, ad nobis piè subveniendum; Spiritus belluinus eget Corpore ad nobis serviendum; Spiritus autem humanus Corpore indiget, ut sibi ac proximo, consulere sufficiat ad salutem: Sed tamen (dicitis) Sanctus Bernardus & in Titulo, & initio Sermonis Animam pecoris *Spiritum* vocat, & in progressu Sermonis, eandem semper eodem nomine appellat; Sentit ergo D. Bernardus eam à vero Spiritu nequaquam differre.

Possem ego argumenti hujusce vim eludere, vel enervare, ea iterum tibi Philadelphe suggerendo, quae nos minimè audiente Aristippo, super hac ipsâ controversiâ tecum agens, adduxeram (*c*) ex Divi Bernardi sermone in Coenâ Domini, sed piget jam dicta repetere; Ut autem ea noscere valeas Aristippe, en dono do tibi disceptationis primitùs cum Philadelpho habitae Exemplar; Cum commodè poteris Dialogum. 5. lege, & ex eo intelliges quàm parùm roboris habeat deducta ex praemisso antecedente consequentia. Ad-

(c) *Dissert. Cont. An. Spirit. Brut. Dial. 5.*

dere jam dictis nihilominùs placet, quod ficut fermone. 5. in Cantica praemittitur titulus. *De quatuor generibus Spirituum* &c. Sic in Sermone de Coenâ Domini hic alius praefigitur. *De Baptifmo, Sacramento Altaris, & Ablutione pedum*; Sicut in illo fub numero. 1. dicit. *Quatuor Spirituum genera nota funt vobis* loquens ibi de Spiritu pecoris, noftro, Angelico, atque Divino: Sic etiam in illo, numero pariter. 1. fub finem, ait. *De tribus itaque Sacramentis, quae fatis congrua funt huic tempori, dicendum erit quod Dominus ipfe donaverit*. Amplectens nimirùm fub trium Sacramentorum nomine, ea quae in titulum pofuerat, fcilicet Baptifmum Sacramentum Altaris, ac pedum ablutionem; In profequtione verò hujufce fermonis, Ablutionem pedum faepè Sacramenti nomine vocat, faepè cum veris comparat Sacramentis ut ibi legere eft; Sicut ergo....

Phil. Quid futilem fatagis promovere inftantiam? Quis vel fomniando dicat à S. Bernardo pedum lotionem veris fuiffe Sacramentis annumeratam? Quis non videt Sacramenti nomen folùm in latiori fenfu, pedum lotioni fuiffe attributum? Quis non videt non eumdem remittendi venialia peccata modum, ibi concedi ablutioni pedum, qui Baptifmo conceditur & Euchariftiae? Deinde dogma Catholicae Fidei eft, Sacramenta verè talia feptem tantùmmodo effe; Non ita ad fidem pertinet dicere, quod Brutorum Anima verè ac propriè non fit Spiritualis.

Crit. Juvat utique, futilem eam vocare inftantiam, cui folvendae vera ratio non fuppetit. Quis dixe-

dixerit Brutorum Spiritum cum veris Spiritibus nominari sermone. 5. in cantica quasi à S. Bernardo esse supponatur Spiritus verè talis? Quis non videt nomen Spiritus de Animâ Brutorum usurpatum, nonnisi in latiori sensu intelligendum, ac à Mellifluo Doctore intellectum? Quis non videt aliqua attributa vel affirmari vel negari Brutorum Spiritui, quae neque affirmat, neque negat S. Bernardus de veris Spiritibus? Quod si ad fidem spectat septenus Sacramentorum numerus; Ad genuinam S. Doctoris Bernardi mentem spectat etiam, nomen Spiritus de Brutis dictum, pro vero non accipi Spiritu: Ut dicta demonstrem.

Breviter praemitto quod ad assequendam Scriptoris alicujus mentem, debemus quae praecedunt scrutari; Considerare quae mediant; Perpendere quae subsequuntur, ut ex ab eodem assertae constantiâ doctrinae, ejusdem vera mens cognoscatur; Quid enim? Num D. Bernardum sibimet inchoaerentem & adversantem dicetis, ut eum vobis favere commonstretis? Quod sanè patrocinium, ejus vobis praestare posset auctoritas, cujus nota esset Doctrinae instabilitas: Duo consideremus parùmper, quae nempè sit Melliflui Doctoris mens, circa Animam Spiritualem; Et quae sit constans ejusdem Sententia circa Brutorum Animam; Et si quidem reperiamus eadem ab ipso praedicata concedi Animae Brutorum, quae Substantiae Spirituali attribuit, constabit (& quidem ex ejus mente) nomen *Spiritus* quo Brutorum nuncupat Animam, genuinum significare Spiritum; Constabit autem oppositum, si oppositum inveniamus.

Sancti

Sancti Doctoris mens nobis trutinanda se se exhibet in alio ejusdem sermone in Cantica (*d*) in quo doctè non minus quàm pulchrè, de convenientiâ & similitudine Animae nostrae cum Verbo Divino pertractat, & Spiritualem quâ informamur Animam convenire docet, & similem esse Verbo sub triplici ratione naturali; Nimirùm secundùm identitatem essentiae; Penes vitae immortalitatem; Et per arbitrii libertatem: Docet itaque Animam Spiritualem humanam, & esse naturâ suâ simplicem, & esse naturâ suâ immortalem, & etiam antèquam loqui incipiat de aliâ humanae Animae praerogativâ, nativâ scilicet arbitrii libertate, detegit Animae quà Spiritualis dignitatem, ejusque cum Verbo Divino propinquitatem ex duplici priùs enunciatâ Animae dote; Audiamus eum. *Advertat igitur* (Animam alloquitur) *inesse sibi illam suae Substantiae naturalem simplicitatem, qua hoc est illi esse, quod vivere*. Atque rursus, aliis, nè longior evadam, omissis, ait. Postquam ab hac simplicitate essentiae excluserat Brutorum, arborumve Animas, ut infrà videbimus; *Sola ... Anima hominis in eo dignitatis creata est, vita à vitâ, simplex à simplici, immortalis ab immortali*. Pressiùs autem loquens de Animae Spiritualis humanae immortalitate sic scribit. *Aliàs autem immortalis est Anima*. Et assignato discrimine inter Animae immortalitatem, & omnimodam immortalitatem Dei, sic iterum fatur. *Attamen immortalis Anima est; Quoniam cum ipsa sibi vita sit, sicut non est quo cadat à se, sic non est quo cadat à vitâ*, Deni-

(d) *D. Bern. Ser. 81. in Cant.*

Denique numero V. praedicti Sermonis concludit: *Non mediocris tamen Animae dignitas praesenti disputatione comperta est, quae geminâ quadam vicinitate naturae, Verbo appropiare videtur, simplicitate essentiae, & perpetuitate vitae*: Mirandum sanè quod ille D. Bernardus, qui, ut asseritis, Spiritualem recognoscit in Brutis Animam, etiam brutalis Animae propinquitatem cum Verbo, sub hac duplici ratione non asseruerit! Certè omnis Substantia Spiritualis, est quid simplex, non per aliud aliquid vivens, quàm se ipsâ; Est proinde etiam immortalis, nam sicut non habet quo cadat à se, ita non habet quo cadat à vitâ; appropinquat itaque Verbo etiam brutalis Anima utpotè Spiritualis, & naturali simplicitate essentiae, & perpetuitate vitae.

Haec autem ex Sancto Bernardo libasse sufficiat, quòad ejus sinceram de Substantiâ Spirituali doctrinam: inspiciamus modò quid constanter sentiat idem Sanctus Ecclesiae Doctor de Animâ Brutorum: Sermone igitur. 5. in Cantica apertè docet Spiritum pecoris *ita Corpore egere ut nec subsistere absque illo, utcumque possit*. Nè verò quispiam putaret, eum loqui de necessitate Corporis ad subsistendum, tantùmmodo extrinsecâ, pendente nimirùm à liberâ Voluntate Dei, quâ decreverit talem Spiritum non conservare saeparatum à Corpore quod vivificabat; Subdit in responsione ad relatam superiùs Objectionem, se ibi loqui de rebus secundùm earum naturam inspectis, non verò prout subsunt miraculo Dei, & ejus liberae voluntati. *Quid ad me*, inquit, *de miraculo Dei, qui*

de

de naturalibus differo? Quin etiam ibidem num. 3. scribit de eâdem loquens Animâ pecoris. *Ideòque ille Spiritus & cum tempore transit, & cum Corpore deficit*. Unde cum de iis se tantùm loqui profiteatur, quae rerum naturis conveniant, non quae per accidens, & ex omnimodâ Dei libertate provenire possint, fit manifestum assertam à S. Bernardo hujus belluini Spiritus, & transitionem cum tempore, & desitionem cum Corpore, ad ejusdem met Spiritus naturam consequi, non à Deo praeternaturaliter agente derrivari, ex ipsâ ritè intellectâ Melliflui Doctoris mente.

Phil. Nequidquam laudatos ex D. Bernardo textus interpretaris; Patet enim Sancti Doctoris constantia, in Opinione de Animâ in Brutis Spirituali, si ad ea animum convertamus, quae ex datâ etiam ad Magistrum Gvalterum de Calvomonte epistolâ, nobis haud obscurè innuit. *Si tamen inveniaris* (e) *nihil egisse ampliùs de immortali, & rationali Spiritu tuo, quàm quodvis pecus de suo: Quum Brutus utique Spiritus non vivat, nisi quamdiu vivificat, & uno eodemque momento, & vivificare pariter desinat, & vivere*. Cum igitur etiam praecedenter ad Sermones in cantica, Sanctus Doctor Animam pecoris seu Bruti, decoret nomine *Spiritus*, quis inficiari audeat, eandem ab ipso, pro verâ Spirituali Substantiâ habitam fuisse Sermone. 5. in cantica?

Crit. Gratias ago tibi, quod opportuniùs ea D. Bernardi verba attuleris, quae jam à me fuerant perpensa (*f*); Novum enim ex iis accipit robur

(e) *Epist.* 104. *ad Magis. Gvalt.* (f) *An. Brut, proflig. Dial.* 6.

bur praesens argumentatio mea. Enim vero S. Doctor opponit ibi, ut vel caeco patet, Animam hominis quà immortalem, Spiritui pecoris; Quomodò autem Spiritum hominis, Spiritui pecoris in hoc opponeret, nisi Spiritum pecoris mortalem esse naturâ suâ, supponeret? Mortalem itaque sentit naturaliter esse Spiritum pecoris, ille S. Doctor, qui verum Spiritum docet esse naturâ suâ immortalem, quia videlicet omnis verus Spiritus, cum se ipso vivat, sicut non est quo cadat à se, sic non est quo cadat à vitâ; Animam ergo pecoris, quam nomine Spiritus appellat, verum esse Spiritum non affirmat; Sed quid opus est arguendo deducere, quod idem S.Doctor, eodem laudato loco voluit sua sponte patescere? Scribit ipse ibidem paucis, post mox praemissa, interjectis: *Dum nil Spirituale videlicet aut aeternum elaboraveris, sed instar bellui Spiritus, qui ut à Corpore, ita cum Corpore dissolvitur, solis fueris contentus Corporalibus, ac temporalibus bonis* &c. Cum Corpore itaque juxtà D. Bernardum *dissolvitur* Spiritus pecoris; Atqui nullus verus Spiritus dissolvi potest, immò omnis verus Spiritus, etiam ex ejusdem Melliflui doctrinâ est indissolubilis, utpotè qui simplex entitas est; Ergo Spiritus pecoris juxtà S. Doctoris mentem, verus Spiritus non est: prob. minor. Quod dissolvitur, in partes dissilit; Quod dissilit in partes, partibus constat; Quod partibus constat, non est unumquid simplex; Quod non est unum aliquid simplex, non est verè Spiritus; Ergo quod *Dissolvitur* non est Spiritus, Spiritus nomine in proprio sensu accepto: Inter-

pretationem quam aliàs afferebas seu explicationem hujus verbi *Dissolvitur*, jam alibi (g) refutavi, proindèque ad alia transeo.

Arist. O' praecipitem nimis, ad ea quae placent sequenda humanam mentem? O' caecam, neque sano fretam consilio, nova dicendi, vel noviter dicta, sequendi libidinem! Deceptus hucusque fui, tu enim me sensim sine sensu Philadelphe dexterrimè fueras irretitus; Sed jam deceptionum vincula disrumpo, & ad veritatem Divo Bernardo docente, Critophilo ducente liber accedo.

Phil. Me quoque docilis ingenii esse, agnosce tandem Critophile; Verè relata verba. *Dum nil Spirituale* &c. me modo arbitrariè explicasse, (*h*) modo ex industriâ omisisse (*i*) confitear opus est; Videbam siquidem ea nèdum mihi nil proficere, sed potiùs expresè nimis officere: Verùmtamen, si ex quo afferat S. Doctor, Spiritum pecoris saeparatum à Corpore *dissolvi*, ritè consequitur, eum verum non esse Spiritum; Quomodò potuit D. Bernardus, Spiritum hominis affirmare, medium tenere locum, supremum inter, & infimum Spiritum, angelicum nempè & belluinum? Quod mediat inter duo Extrema, participat de utroque; Spiritus hominis, cum docente eodem S. Doctore, sit in se ipso quid simplex, nihil non Spirituale, in se ipso importat, nihil proindè participat, quod Spirituale non sit; Si itaque Spiritus hominis juxtà Melliflui Doctoris sententiam, ex unâ parte non participat in se, de aliquo quod non sit Spiri-

(g) *An. Brut. proflig. Dial.* 6. (h) *An. Brut. Vindic. Dial.* 6. (i) *Ibid. Dial.* 8.

Spirituale; Ex aliâ verò participat aliquid de Spiritu pecoris, utpotè medio constitutus loco, inter supremum Spiritum Angeli, & infimum Spiritum pecoris; & ex ipsâ rei veritate, & ex doctrinâ D. Bernardi, omninò evincitur Spiritum pecoris, veras inter Spirituales Substantias, jure annumerari.

Crit. Majorem semper Intellectus tui aciem ostendis utique; Sed tamen sub fucatae falsitatis modio, delitescere non novit lux veritatis: Igitur S. Clarevallensis Abbas, in praefato sermone. 5. in Cantica, non aliud ostendere intendit à num. 1. ad 6. usque inclusivè (nam reliqua, ad eam quam versamus Quaestionem, non attinent) nisi quod omnes Creati Spiritus, quicumque ii sint, diversimodè licet, aliquo tamen indigent Corpore; Quidquid pro modo sit, de assertâ in Angelis etiam, quamvis dubitativè, indigentiâ Corporis; Tunc enim de omnimodâ naturali Angelorum in Corporeitate, nulla Fidei aderat Deffinitio, sicut modo adesse, probatissimi docent Auctores, aliis nihilominùs non infimae notae, id pernegantibus. Tali autem extante praelaudati S. Doctoris scopo, quem sensum habebit asserta ab eodem mediatio humani Spiritus, inter supremum, atque infimum Spiritus Creatos? Porrò non alium, quàm hunc; Nimirùm quod indigentia Corporis, quam habet humanus Spiritus, media est, inter indigentiam Corporis, quam habet Angelicus; & quam habet belluinus Spiritus; Eam explico: Angelicus Spiritus juxtà mentem Melliflui, si indiget aliquo Corpore, indiget illo, non ut ullimodè juvet sibi, sed tantùm ut juvet aliis, cum sine Corpo-

re ea intelligat, quae beatam faciunt Spiritualem Creaturam: Spiritus belluinus indiget Corpore, ut usibus deserviat humanis, & temporalibus; Atque etiam ut ipsemet subsistere valeat; Nam ut habemus ex eodem S. Doctore, illum Spiritum: *ita Corpore egere constat, ut nec subsistere absque illo utcumque possit*. Spiritus autem humanus quantùm ad hoc, medio se habet modo; Nam convenit cum Angelico, quatenùs non indiget Corpore ad subsistendum; Discrepat ab illo, quia eget adminiculo Corporis, ad eorum scientiam assequendam, de quorum fit cognitione beatus; Convenit pariter cum Spiritu belluino, quia opus Corpore habet, ad juvandum aliis; Discrepat ab isto, quia per Corporis ministerium, ad Spiritualia & intelligibilia pertingit, adeòque Corporis ope proficit & sibi; Discrepat itidem ab hoc Spiritu, eò quod indigentia quam habet Corporis, est ad operandum tantùmmodo, non verò ad subsistendum, quasi Corpori superesse naturaliter nequeat: Hinc est, quod S. Bernardus nè quis crederet affirmatam ab ipso mediationem Spiritus humani, Angelicum inter, atque Brutalem, esse entitatis quòad entitatem, & non potiùs indigentiae Corporis, quòad aliorum Spirituum, Corporis pariter indigentiam, noluit dicere absolutè. Hominis Spiritus, medium inter supremum & infimum, tenet locum; Sed appositè dixit. *Medium quemdam tenet locum*. Tacitè nimirùm innuens, mediationem quam asserebat, versari tantùm in ordine ad indigentiam Corporis, de quâ tractabat, non autem in ordine ad Naturam, de quâ ex instituto non agebat.

Sed

Sed jam clarescant obscura , certa fiant ambigua , cadat falsitas , veritas vincat , & adductis quae promiseram , nota fiant omnibus , quae demonstrare assumpseram : Vidimus quae sit, in allatâ Epistolâ ad Magistrum Gualterum, Divi Bernardi sententia circa Brutorum Animam ; docet enim eam (quamvis appellet nomine Spiritus) unà cum Corpore *Dissolvi* . Vidimus in sermone V. de quo agimus , quae sit ejusdem mens , nempè quod Spiritus pecoris indiget Corpore , ut *Subsistat* , & quod saeparatus à Corpore , vivificare desinit , & vivere ; Videamus modò num constans sit idem S. Doctor , in iis de Brutorum Spiritu affirmandis, quae veram à tali Spiritu,rationem Spiritus auferunt prorsùs , & prorsùs excludunt : Praememorato itaque Sermone octuagesimo primo in Cantica , in quo , ut dictum est , agit de Convenientiâ & similitudine Animae humanae cum Verbo , docet quod neque Anima pecudum , neque arborum , sed sola Anima hominis , possit fieri & esse beata ; Infert verò hoc ipsum , ex quo inter Animas , ea sola potest esse beata , cui *hoc est esse , quod vivere* ; *Sola autem* in hoc gradu , qui capacitatem Beatitudinis , saltem remotam fundat . *Stare cognoscitur Anima hominis* . Quomodò autem infert solam inter Animas, Hominis Animam , hoc proprium habere , quod *hoc sit illi esse , quod vivere*, ita ut quemadmodum vivere non potest nisi sit , ita nec esse valeat , quin vivat ? Ecce expressam Divi Bernardi doctrinam ; Ecce clarissimè expositam ejusdem , de Animâ Brutorum sententiam ! Attendite precor : *Sed nec omne quod vita dicitur , vel*

est ,

est, *continuò valebit pertingere huc*. Videlicet quod ei sit idem esse, & vivere. *Est pecorum est*, *& arborum vita*, *sensu altera vigens*, *altera carens*; *At neutri tamen idem esse, quod vivere est*: (*Cum ut quidem multorum opinio est*) *antè in elementis*, *quàm vel illa in membris*, *vel ista in ramis extiterint*. *Et secundùm hoc cum desinunt vivificare*, *simul vivere cessant*, *sed non & esse*. *Solvuntur pariter & dissolvuntur*, *tanquàm non alligatae tantùm*, *sed & colligatae*. *Neque enim unum simplex est quaeque earum*, *sed ex pluribus constans*, *& propterea non redigitur in nihilum*, *sed dissilit in partes*, *ut ad suum quodque recurrat principium*, *verbi causâ aer ad aerem*, *ignis ad ignem*, *& reliqua in hunc modum*; *Tùm concludit*. *Nequaquam igitur tali vitae idem esse & vivere est*, *quae est*, *& quando non vivit*. Subsumere sic brevissimè liceat, nam horum verborum tanta est claritas, ut non possint alium in sensum detorqueri; Atqui non ista diceret, non huic doctrinae subscriberet, si verè Sermone. 5. in Cantica Brutorum Animam, Spiritualem esse sentiret; Ergo nequaquam in eo Sermone verum in Brutis Spiritum docuit; Immò cum ibi dixerit Spiritum pecoris Corpore egere ad subsistendum, vivificare & vivere pariter desinere, in pecoris morte; Nunc autem asserat pecudis Animam in Animalis morte desinere quidem & vivificare & vivere, non tamen desinere esse, sed potiùs in eas ex quibus componebatur partes dissilire, evidens est, ex genuinâ D. Bernardi mente, non Spiritum verè talem, Animantibus Brutis inesse.

Phil. Ritè concluderes, si ea quae modo attulisti,

tulisti,

tulisti, diceret S. Bernardus ex opinione suâ; at cum ea solùmmodò referat ex opinione aliorum *Cum ut quidem multorum opinio est*. Nihil ex iis potest evinci.

Crit. Tu potiùs effugio hoc nihil obtines; Etsi Divus Bernardus, recitata proferat, tanquam quae multorum sint Calculo probata, se ne ab hoc multorum numero,praedicta probantium subtrahit? An potiùs socium adjungit? Postremum utique peragit; postquàm enim positivè de suo affirmavit, de vitâ pecoris, de vitâ arboris, *neutri idem esse, quod vivere*. Assertum suum probat ex Empedocleorum Doctrinâ, non certè illud probaturus ex istâ, si ista apud ipsum haberetur pro falsâ; Si ei & ipse non adhaereret; Adhaeret igitur & ipse, recens expositae de Animâ Brutorum Doctrinae; Jam verò, te Scyllam inter, interque Charibdin Philadelphe, positum video; In alterutrum è duobus impingas necesse est. Cum S. Bernardus mox relato Sermone (*k*) Animam Brutorum, non Spiritualem, sed ex elementaribus potiùs adunatam particulis apertè sentit, & clarissimè docet; vel sibi contradicit, & iis inchoaerenter loquitur, quae Sermone. 5. in cantica docuerat? Vel non? Quis, nisi temerè desipiat, eum sibimet inchoerentem dicere ausit? Choaerens ergo est S. Bernardi doctrina, tùm quinto, tùm octuagesimo primo Sermone in Cantica; Sed si Sermone quinto, sentiret S. Doctor, Animam Brutorum, verum Spiritum esse, jam non cohaereret ejus Doctrina,cum eâ quam dat Sermone 81. Ergo si in

(*k*) *Serm.* 81. *in Cant. num.* 3.

si in utroque Sermone D. Bernardus sibi cohaeret, Sermone 5. in Cantica, Spiritualem in Brutis Animam, minimè docet: Quâ enim ratione, nomen *Spiritus* Brutorum Animae attributum, veram poterit Spiritualem significare Substantiam, de mente illius S. Doctoris, qui Spiritualem Substantiam partibus componi negat, eamque simplicem affirmat; Animam verò Brutorum, simplicis negat esse entitatis, & partibus componi asseverat?

Arist. Plura nè dixeris; Satis superque quod ostendere assumpseras, evicisti; Ego sanè, nec eam quam Philadelphus defenderat opinionem, D. Bernardo unquam arrisisse, nec veritati esse conformem, certissimè teneo; Nimia sunt quae eam impetunt, & evertunt, tam à rectâ ratione, quàm à Scripturarum, Conciliorum, Sanctorumve Patrum Sensu maturè discusso, & ritè intellecto, deprompta; Talia sunt, ut pro certo habeam, te quoque Philadelphe, quem non minùs Doctrinâ, quàm praeclarissimis animi dotibus, ornatissimum semper agnovi, applicito ad saniora ingenio, religiosè praestiturum, quod olim voverat Critophilus (*l*), immolaturum videlicet Pytagorae Numinibus, pro gratiarum actione Sacrificium illud, quod Graecè dicitur *Hecatomben*.

Phil. Miror Aristippe quod tam facilè consentias Critophilo; An non verum est, quod D. Bernardus Spiritum pecoris, à pecoris Corpore semper distinguit? Quomodò sanè illum ab isto secerneret, si illum ab isto, non differre judicaret? Ego certè, quidquid Critophilus dixerit, quid-

quid

(l) *An. Brut. Vindic. Dial.* 4.

quid dicere valeat, non ille sum, qui ab acceptissimâ mihi opinione quaeve (si quid certi in physicis rebus obtinere nos possumus) caeteris est praeferenda (*e*) vel minimum dimoveri sinam: Quod semel placuit nunquam displicere debet.

Crit. Quid oculos claudis nè videas lucem? Nosti utique, quod sicut docilis animi est, agnitam veritatem recipere, sic pervicacis est, agnitae veritati acquiescere nolle: Audisti mox, quae fuerit vera Sancti Bernardi mens; Quid igitur ad cavillationes confugis rectâ ratione relictâ? Non distinguit S. Doctor Spiritum pecoris ab ejus Corpore, quasi illius Animam, doceat non esse Corpus, sed illam subtilius esse Corpus censet, & hoc tenuius Corpus, à Corpore crassiori secernit; Hoc quidem expresſè patet, si ea considerentur, sive quae de Brutali Spiritu habet in Epistolâ datâ ad Magistrum Gualterum, sive in Sermone V. in Cantica; Sed expressiùs, & luculentissimè innotescit praefatum Sermonem octuagesimum primum pariter in Cantica lustranti: Caeterùm in pristinâ, ut placuerit persiste Sententiâ; Satis mihi est, eam à veritate alienam, à sanâ doctrinâ longè distantem & à saniori Philosophandi methodo, elongatam nimis, ostendisse, & Sapientioribus per haec innuisse, per quae possit erronea Thaesis ista, validiùs confutari.

Phil. Etsi concederem, verè Brutis non inexistere Spiritualem Animam, quae ideò creata sit, ut vivificet Animalium Corpora; nè putes tamen Critophile, te ad nitrendam evicisse in illis materialem aliquam Formam. Inveni siquidem me-

(*e*) *An. Brut. vindic. in Praefat.*

dium, quo absque materiali Peripateticâ Formâ, absque Cartesii Mechanismo, & denique absque etiam verâ Spirituali Animâ, quidquid in Brutis, & videmus, & videndo miramur, sinè, sanioris Doctrinae, rectaeque Fidei praejudicio, quàm optimè explicemus.

Arist. Et mihi & Critophilo, rem certè acceptissimam facies; deprome incunctanter quid mente revolvas.

Phil. En vobis paucis expressum, medium quod invèni: Dicamus Brutorum Animas, non alias esse, nisi Daemones, sive eos rebelles Spiritus, quos Deus expulit è Coelo. (f) Hoc admisso, & ex unâ parte statim intelligitur, per quid Bruta cognoscitiva sint, industria, prudentia, atque sagacia; Ex aliâ verò, nihil asseritur contrà saniorem Doctrinam & Orthodoxam Fidem, ut statim ostendo. Enim verò quemadmodum Anima rationalis, humanum potest vivificare Corpus, ita & Daemones, brutalia poterunt Corpora informare; Quod si id possunt, & id actu praestare concedantur, maximè sanè elucebit Justitia Dei, quae rebelles Spiritus, prae Superbiâ ausos affectare aequalitatem cum Deo, ad vilitatem usque depressit Bestiarum.

Neque verò opponat quispiam, vel quod Daemones actu poenâ ignis torquentur; Vel quod in gehennâ quasi carcere constricti detinentur, adeòque Brutorum Corpora informare non valent; Utrumque enim veritati conforme non esse, è Scripturis ipsis, non obscurè deduco: Siquidem in Evan-

(f) *Amusment Philosoph. Sur. le Lang. des Bêtes Chap.* 1.

Evangelio Matthei, dictum invenio. *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*; Non dicitur. *In ignem, quo torquetur Diabolus cum Angelis suis*, sed tantummodo, qui paratus est, ut ab hac die extremâ, torquere ipsum cum sociis suis incipiat; Non ergo actu torquetur Daemon inferno igne; Atque hinc est, quod Daemones ii, quos Christus Dominus ab obsessis cogebat abire Corporibus, clamabant. *Quare venisti ante tempus torquere nos?* Quomodo enim (si jam cruciabantur ab igne) de sui ejectione conquerebantur, qui de poenâ ignis conquesti non sunt? Num plus ejectio, quàm ignis torquebat eos?

Alterum pariter retunditur, ex iis quae legimus in Epistolâ Canonicâ Apostoli Judae, videlicet. *Angelos verò, qui non servaverunt suum Principatum . . . in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Nam si reservantur Daemones, aeternis ligandi catenis in die Judicii, nunc ergo, & usque ad Judicii diem soluti sunt, & manebunt. Patet igitur per quàm fundata in ipso verbo Dei scripto, Opinionis hujus veritas, quantùm saltem ad informationis possibilitatem.

Prosequor modò ineluctabili argumento ostendens Bruta de facto non ab alio, quàm à Daemone vivificari, sic. Opera omnia quae fecit Deus bona sunt, atque perfecta, unde Deus qui cuncta creavit; *Vidit cuncta quae fecerat, & erant valdè bona*, (g) Bruta verò maximè vitiosa sunt. Invidus est Canis, immunda Sus, truculentus Leo, Felis ingratus & fallax, & ita de aliis aliarum specie-

(g) *Gen. Cap. 1.*

rum animalibus. Nunquid autem dicemus ipsa creata fuisse à Deo tàm vitiosa? Absit hoc dicere; Absit ita sentire, *Dei enim perfecta sunt opera*. Nunquid Bruta, bona quidem à Deo fuere creata, sed ipsamet se se vitiosa fecere? Ast libera ergo sunt, potentia pro libito, de bono declinare ad malum, de malo assurgere ad bonum; Erunt ergo meriti non minùs, quàm demeriti capacia; Hoc autem quis nisi impius simul, atque insanus affirmet?

Non alia igitur superest via, ad haec duo concilianda, nimirùm, & quod Bruta vitiosa sint, & quod nihilominùs Deus, omnes Creaturas fecerit bonas, quàm dicere Daemones in Brutis gerere Animae vices; Hoc etenim posito, intelligimus cur Bruta tot sint vitiis monstruosa, quia scilicet ab impio ac perduelli spiritu animantur; Intelligimus itidem, quod non obstante Brutorum vitiositate, Dei opera perfecta sint; Quia improbus ille Spiritus, qui Bruta vivificat, à Deo bonus creatus fuerat, erat enim Deus (ut cum D.Augustino loquar) condens Naturam, & largiens Gratiam, cum Angelos creavit; Daemon verò se ipsum ex propriâ voluntate contrà Deum superbiendo, iniquum fecit, & omnis peccati se pessimum constituit Patrem; Laudandus exinde sine fine Deus, quod ipse, quae fecit, bona omnia fecit, ita ut laudent incessanter eum Opera ejus; Daemon autem culpandus, quod & se ipsum, & Animalia per ipsum vivificata, tot vitiis deformarit, atque deformet.

Arist. Optimum sanè videris excogitasse Medium, ad resolvendam hucusque agitatam, sed impli-

plica-

plicatam ſemper Quaeſtionem, de Brutalis Animae quidditate; Si rectae fidei Opinio tua haec, verè conſentit, digna certè eſt, quam. ſcholae omnes preſſis ulnis excipiant; Arridetnè ipſa & tibi Critophile? Quid cogitabundus ſiles?

Crit. Facilè nimis Ariſtippe, te ad errorem fucis illitum amplexandum, ſinis abduci. Si omnia quae huic refellendo, praeſto mihi ſunt, dicere vellem, nec integra puto ſufficeret Dies. Gloriaris nè Philadelphe, de recenter expoſitâ Opinione, quaſi aliquid excogitaveris, novitatis ſaltem titulo commendandum? Nè quaesò ſuper hoc blandiaris tibi, praeivit enim teſte D. Th. (*b*) Origenes edocens, Creaturam Corporalem, non fuiſſe factam ex primâ Dei intentione, ſed ad poenam Creaturae Spiritualis peccantis, quam quidem poſitionem, tanquam erroneam confutat Angelicus Doctor. Gloriaris nè ſaltem, quod aliquid veroſimile dictu repereris? Sed tanta ſunt, quae aſſertum hoc futile prorsùs falſumque oſtendunt, ut planè mirer ab ore catholico potuiſſe proferri.

Ut itaque falx ad radicem ponatur; Communis eſt Theologorum, communis eſt Sanctorum Patrum doctrina, Angelos ſive bonos, ſive malos, Formas ſimplices eſſe, non informantes, nec informare valentes materiam; Licet enim poſſint corpora aſſumere, ut nonnunquam ab iis aſſumpta fuiſſe, Sacrae nos Paginae docent; non poſſunt tamen in aſſumptis corporibus, exercere opera vitae, inepti proinde ſunt Animalium corpora animare, atque vivificare; Quare veriſſimè ſcripſit Ange-

(h) *D. Th. in ſum. 1. par. Quaeſt. 65. art. 2.*

Angelicus Doctor (i) *motus qui est à motore conjuncto, est proprium opus vitae; Sic autem non moventur corpora assumpta ab eis, quia Angeli non sunt eorum formae.*

Sed quanvis daretur, quod Angelorum naturae intrinsecè inspectae, non repugnet gerere in corpore vices Animae, seu formae vivificantis, nunquid possent animalia Bruta, ex Daemone tanquam Animâ, constituta concedi? Haud sanè; Resistit enim Scriptura, inquiens Deum in primâ rerum productione, imperasse aquis, mandasse terrae ut producerent Reptile animae viventis, & Animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia, & bestias terrae, Deumque reptilibus & volatilibus benedixisse; Nullibi certè legitur Deus Benedixisse Diabolo; Non ergo Diabolus, in bestiis locum Animae tenet; Ulteriùs Daemon, ante Animalium creationem existebat; Si itaque Deus Animalia creans, Animas eorum simul produxit, neque tunc produxit Angelos, Anima ergo Brutorum animalium, Angelus, seu Daemon non est.

Ast ita sit; à Daemone animentur Bruta; Cur non (si res ita se habet) Psyttacum Philosophicas defendentem Theses; Simiam aut Vulpem Theologicas agitare Quaestiones audimus? Cur tardus est bos? Cur stupidum jumentum? Cur non & musca, instar Apis mella conficit; Cur non vermiculus non secùs ac Vulpes, sagax est & astutus? Cur non à pulice uno, onustum tritico currum trahi videmus? Magna est, nec ab ullo corpore pendens, naturalis Daemonum scientia, sagacitas ac forti-

(i) *In Sum. 1. p. q. 51. art. 3.*

fortitudo; Non accipiunt Daemones, à rebus materialibus species ad cognoscendum, sed quaecumque cognoscunt, per inditas sibi naturaliter rerum species, attingunt; Unde nec minùs intelligunt, nec minùs viribus valent, si in aliquo sint corpore, quàm si nulli corpori alligati teneantur; Alloqutus est Evam Daemon per os serpentis, & per aliorum animalium, ab ipso vivificatorum ora, nullos nobiscum conferre novit sermones? Num corpus, à quo Daemon nullimodè pendet, ita ipsum obruit, ut naturalem scientiam dediscat, vel virtutem amittat? Quis nisi temerè affirmet? Cavete jam vobis, quicumque innocuae recreationis gratiâ, vel Aviculae, vel Catello blandimini, blandimini siquidem Diabolo, teterrimo nimirum, nec unquam reconciliando cum Deo, & Hominibus hoste, quem proinde culpa est, blanditiis excipere.

Progrediamur jam ad alia. Non potest Daemon munus Animae exercere in Brutis, & ea praestare, quae ab ipsis fiunt, si actu afficiatur poenâ ignis; Ita est; Ergo &c. major patet, quaedam enim Animalia, aures nobis suavi cantu demulcent; Alia nobis abblandiuntur, alia placidè quiescunt dormiuntque; Quâ autem ratione Daemon si jam inferno igne torquetur, vel dulce canère, vel placidè quiescere valeat? Fugit laetitia omnis & quies ab homine ad mortem damnato, licet necdum tormenta, ad quae damnatus est, experiatur, & Daemon acerbissima jam poenarum genera sentiens, quasi nihil patiatur, laetari poterit, vel otiosâ quiete perfrui? Probatur itaque minor. Dicitur

citur in Epiſtolâ D. Petri (*k*) *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in Judicium reſervari* quod quidem verbum *Cruciandos* nonnulli codices legunt. *Qui puniuntur, & cruciantur*. Et licet SS. Juſtinus (*l*) Irenaeus (*m*) & Hilarius (*n*) ex hoc loco putaverint Daemones, nondùm igne Gehennae cruciari, ſed illo torquendos poſt extremam Judicii diem, non dubitavit tamen eximius Scripturarum Interpres Cornelius à Lapide in Sanctorum Patrum lectione apprimè verſatus, ſcriptum relinquere (*p*) *Certum eſt Daemones omnes, etiam qui in hoc aere vagantur, cruciari igne gehennae*, & poſtquam retulit S. Bonaventuram in eâ eſſe opinione, quod pars poenae etiam eſſentialis Daemonum, dilata ſit in diem judicii, ſic de ſuo concludit. *Verùm hoc aliis paſſim non probatur*.

Hinc D. Thomas (*o*) cum meminiſſet Opinionis quorundam aſſerentium poenam ſenſibilem tàm Daemonum, quàm Animarum, & ſimiliter Beatitudinem Sanctorum, differri uſque ad diem judicii, hancque ut erroneam & repugnantem Apoſtolo. 2. ad Corint. 5. rejeciſſet, refert alios, hanc quidem poenae dilationem, humanis non concedere animabus, concedere tamen daemonibus, ſed & hoc ipſum refellit, quia videlicet idem judicium eſt de malis Animabus, & malis Angelis, ſicut idem eſt judicium de bonis Animabus, & bonis Angelis; Unde ſicut non minuitur gloria bono-

(k) *Epiſ. 2. S. Pet. cap. 2.* (l) *S. Juſtin. cont. Triphon.* (m) *S. Iren. lib. 5. cap. 33.* (n) *S. Hilar. can. 8. in Matth.* (o) *Cornel. à lap. in Epiſt. 2. D. Petri* (p) *D. Th. in ſum. 1. p. q. 65. art. 4. ad 3.*

bonorum Angelorum, cum ad nos veniunt de Coelo, quia confiderant illum locum effe fuum, ita non minuitur poena daemonum, dum funt in aere iſto caliginoſo, quia fciunt alligationem in gehennâ, debitam effe fibi; Quare in Gloſsâ in illud Jacobi. *Inflammat rotam nativitatis &c.* dicitur, *Portant fecum ignem gebennalem, quocumque vadant*.

Neque verò quidquam officit, quod Chriſtus Dominus in finali judicio dicturus fit reprobis. Ite maledicti in ignem *qui paratus eſt Diabolo &c.*Nam ficut per ly *Ite* non innuitur, quod reprobi ante eum diem nondum torquerentur illo igne, certum enim ex Fide eſt, Animas reproborum ex nunc in Inferno cruciari; Ita ly *Paratus* non infinuat, Diabolum eo igne, uſque ad eam diem minimè torqueri; Et fanè ficut de igne dicitur. *Qui paratus eſt Diabolo*; Ita de aeternae Gloriae coeleſti Regno dicitur; *Quod paratum eſt à conſtitutione Mundi*. Atqui ly *Paratum* non excludit jam obtentam ab electis, illius Regni poſſeſſionem, nam Sanctorum Animae, & pluribus jam ab hinc Saeculis Coeleſti funt Regno potitae, & aliae in dies potiuntur; Ergo ly *Paratus* non excludit à Diabolo jam per Saecula expertam, illius ignis diſcruciationem; Sed ibi Deus, fe & juſtum in Daemones, & miſericordem oſtendit in homines, nam Regnum quidem, ipſe paravit pro Hominibus; Ignem autem gehennae paravit pro Daemonibus, quoniam verò multi hominum, Diabolo potiùs quàm Deo adhaeſiſſe reperientur, in eandem cum illo mittentur damnationem.

Quod si auditi sunt Daemones conqueri cum Christo. *Quare venisti ante tempus torquere nos?* Non ideo est, quasi actu poenâ ignis non afficerentur, sed quia cum & rabie in Deum, & invidiâ in homines contabescant, sicut suum reputant solatium, atque vindictam in Deum, si homines ad Dei imaginem creatos, & charissimos Deo, pertrahant insidiis suis in gehennam; Ita maximum sibi malum existimant irrogari, si hominibus nocere impediantur, sicut eos impediebat Christus Dominus, ab obsessis Corporibus ejiciendo; Atque hinc est, quod quemadmodum Luc. 8. rogaverunt Dominum, ut non mitteret eos in abyssum, ita Matth. 8. deprecati sunt eum, nè expelleret eos extrà regionem, reputantes nimirum sibi poenam, si excluderentur à loco, in quo possent hominibus nocere; Ex quibus planè constat, Daemones nunc quidem poenâ ignis affici, verumtamen, in gehenâ velut in Carcere nondum detineri, sed ibi recludendos nè amplius exeant in extremo judicii die, quod & innuit Judas in Epistolâ canonicâ.

Verumtamen, inquis Philadelphe, opera Dei perfecta sunt, Bruta autem vitiosa sunt; Ergo animantur à Spiritu, qui à Deo quidem bonus creatus est, sed ipse se ex propriâ voluntate peccando, vitiosum fecit, adeòque à Daemone vivificantur. Frivolum sanè argumentum, nec aliunde potens vim habere, quàm à solemni petitione principii, quâ videlicet supponantur de facto Bruta à perduelli Spiritu vivificari; Vel supponantur instructa ratione, & pollentia libertate. Quod enim vitium ibi potest reperiri, ubi non reperitur

volun-

voluntas, aut libertas? Quis autem verâ ratione utens, veraeque obsequens Fidei dicat, bruta & ratione frui, & libertate gaudere? Vitium ac virtus, in eo solùm subjecto inveniri possunt, quod & rationis sit compos, & discernere queat inter honestum & inhonestum, inter licitum ac illicitum; Cumque nulla hujusmodi cognitio Brutis insit, clarè consequitur opera quaedam à Brutis praestita, quae si ab homine rationis compote fierent, vel vera vitia, vel virtutes forent verè tales, in Brutis tamen ipsis, & prout ab ipsis posita, nec vitia esse, neque virtutes; Nec exinde verum est Bruta esse vitiosa, si vitium sub hoc nomine, formaliter tale intelligatur; Accedit, quod si concederetur Bruta veris esse vitiis deformia, concedi pariter deberet eorum nonnulla veris esse ornata virtutibus; Esto autem primum Daemonibus competat, quis tamen ipsis, hoc postremum attribuat? Certè legimus in ipso Verbo Dei scripto attributam laudabilem Providentiam Formicae, Simplicitatem Columbae, Prudentiam Serpenti; Si illae igitur, verae sint Animalium virtutes formaliter tales, & Animalia à Daemonibus animata sint, hasce virtutes Daemonibus ipsis tribuere necessè est, virtutes etenim propriè tales non Corporis, sed Animae dotes sunt.

O' jam imitandum vel à nobis, tàm providum, tàm simplicem, tàm prudentem Diabolum! Cum Spiritus Sanctus dicebat homini, *Vade ad formicam piger*. Hominem instruxit, ut à Daemone providentiam disceret; Cum Christus Dominus diceret discipulis suis. *Estote prudentes sicut*

 serpen-

ſerpentes, *& ſimplices ſicut Columbae* miſit eos ad Scholam Daemonum, ut veras virtutes diſcerent à Diabolo. Cum Propheta, Ovi innocenti, quae coram tundente ſe obmuteſcit, Chriſtum Dominum aſſimilavit, aſſimilavit eum innocenti Diabolo, ovem innocentem vivificanti? Quis talia credat? Quis talia audiens non perhorreſcat?

Unum addo, & finem facio, nam error eſt, errorem omnibus manifeſtum, pluribus perſequi. Si verè Daemon Brutalia informat Corpora, vel id ei bonum eſt, vel malum? Si ei hoc malum eſt; Cur ergo ipſe Daemon, petiit à Chriſto Domino, ſicut in Evangelio legitur, facultatem ingrediendi in gregem porcorum? Nunquid Daemon, nè dum homini, ſed formaliter inimicus eſt & ſibi, ut ultrò petat quod ſibi malum eſt, & ſuperbiae ſuae maximè repugnans? Si verò bonum eſt ei talia informare Corpora; Cur obtentâ facultate ingrediendi in immunda Animalia, ea ſtatim in ſtagnum immiſit, & interemit? Precatur ut obtineat bonum; Et illicò conceſſo bono ſpontè ſe ipſum privat? Quod ſi nec bonum ei, nec malum eſt animare haec Corpora, cur ergo in iſta immittitur? Dices, ut ea vivificet, & vera Animalia in hominis commodum conſtituat; At ſi ita eſt; Angelis non peccantibus, non extitiſſent Animalia Bruta, nec habuiſſet Deus per quid Animalia vivificaret? Apagè ineptam erroneamque, & omnium hominum calculo damnandam opinionem.

Ariſt. Utique completa res eſt: Noli Philadelphe contendere verbis, ſed potiùs, quoniam Sapientis

pientis est mutare consilium, optimi ingenii aciem ad meliora converte, nam quae falsa probantur, defendere, & subtili quanvis machinatione velle tueri, incassum laborare est, ita ut meritò noveris dictum. (*q*)

Chi sì dà questi impacci e queste noje,
La verità non ha già per oggetto;
Ma vuol tener in prezzo quelle gioje
Ch' essendo false, gli fa gran dispetto
Chi arreca delle vere, e le sue smacca
Mostrando al paragone, il lor difetto.

FINIS

Si qua errata vides, tu prudens
Corrige lector.

NOS

(q) *Apud Franc. Redi Tom. 2.*

NOS FRATER ROBERTUS BOULE'

Lector Jubilatus, nec non totius Ordinis Minimorum Corrector Generalis.

PRæsentium tenore licentiam elargimur R. Patri Laurentio Mariæ Frasconi, Ordinis nostri in Provinciâ Mediolanensi ac in Sacrâ Theologiâ Lectori Jubilato typis mandandi opusculum ab ipso elaboratum, cujus titulus est: *Anima Spiritualis Brutorum, secundùm Sanioris doctrinæ canones profligata*, postquam à duobus Sacræ Theologiæ Lectoribus, ab Adm. R. P. ejusdem Provinciæ Provinciali nominandis, revisum & approbatum fuerit. Datum Neapoli in Regio nostro S. Ludovici Conventu hac die 12. Januarii 1745.

FR. ROBERTUS BOULE' GENERALIS

De mandato Reverendissimi P. Generalis
Fr. Joannes Franciscus de Rogatis Secretarius &c.

NOs infrascripti ab Adm. R. P. Josepho Maria de Rubeis Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paulà in Provinciâ Mediolani Correctore Provinciali ad id specialiter deputati, legimus librum à R. P. Laurentio Maria Frasconi ejusdem Ordinis, ac Provinciæ Lectore Jubilato compositum, cui titulus. *Anima Spiritualis Brutorum ad Sanioris Doctrinæ Canones profligata*, & nihil in eo invenimus, quod vel Catholicæ Fidei, vel bonis moribus contrarietur: quare typis edi posse censemus, si ita videbitur iis, ad quos spectat.

Datum ex hoc nostro Sancti Francisci de Paulâ ad S. Anastasiam Mediolanensi Collegio die 8. Augusti 1745.

Fr. Joseph Maria Serinus Lector jubilatus & Studiorum Regens &c.

Fr. Carolus Maria Boggi Lector Jubilatus.

Die 13. Augusti 1745.

Ex mandato Reverendissimi Patris F. Hermenegildi Todeschini Inquisitoris Mediolani, attentè legi librum, cui titulus = *Animi Spiritualis Brutorum &c.* nihilque in eo deprehendi, quod Fidei Catholicæ, bonisque moribus adversetur, imo sanam Doctrinam, ac Thomisticæ Scholæ consentaneam novi, quare typis posse tutò mandari censeo.

Ita est *Fr. Joannes Baptista Wahemans Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ professor.*

Die 13. Augusti 1745.

Attenta supradicta approbatione

I M P R I M A T U R

Fr. Hermenegildus Todeschini Inquisitor Generalis Mediolani.

F. Curionus Archipresbyter S. Eusebii pro Eminentissimo & Reverendissimo D. D. Card. Archiepiscopo.

Vidit Julius Cæsar Bersanus pro Excellentissimo Senatu.

DISSERTATIO

CONTRA

ANIMAM SPIRITUALEM BRUTORUM.

AD LECTOREM.



Enerat in manus meas appendix quædam (quam integram opuſculi hujus initio appoſui) in qua multis momentis, ſpiritualis anima adſtruebatur in brutis, & quamvis ſubtilitatem ingenii, eruditionemque in illà multam conſpicerem, animum tamen meum ab eà ſemper alienum opinione ſentiebam; hinc factum eſt, ut viribus licet imparibus aliquam ei reſponſionem adhibere tentarim, ſcripto tamen contentus refellere ſcriptum; aſt quemadmodum cuipiam domeſticos inter lares moranti, mediocri proin cultu veſtium contento, accidit interdùm ut repentino urgente caſu, qualibus ſe repperit indutum iiſdem invitus publicas Urbis vias circumire adigatur; ſic & ego elucubrationem hanc humili familiarique ſtylo conſcriptam, ut quæ privatæ domui ſervanda, nec permittenda patriis è laribus efferre

 pedem

pedem, eruditis pluribus ſuadentibus, ac impellentibus, publici juris facere compulſus ſum; quare ſicuti prudentum nullus eum irridebit quem noverit inopino coactum eventu domeſticis ſe ſe in indumentis publico exhibuiſſe, ita & tibi Lector benevole, veniabiles fore quas in hoc opuſculo animadverteris aut non expolitas phraſes, aut non luculentiùs promotas rationes, ſuaſum certiſſimè habeo. Quod ſiquis emunctioris, ut ajunt naris occurrat, qui de verbis magis, quàm de rationibus ſollicitus, ſtylum acriùs quàm par eſt, mordeat, diſcat ille ab Auguſtino, quod (*a*) *Non obeſt clavis lignea, ſi per eam id quod volumus licet aperire.*, ego enim haſce cenſuras parvifaciam ab eodem Aug. edoctus (*b*). *Non timeamus grammaticorum ferulas, dummodò ad veritatem ſolidam & certiorem perveniamus.* Si verò ex quo unicè impugnem opinionem de animà ſpirituali in brutis, cum aſſumpſerim reſpondere præfatæ appendici (quæ quidem conſectarium quoddam eſt ex prævià ſuppoſità confu-

tatione

(a) *Lib. 4. de doct. Chriſt.*
(b) *Tract. 2. in Joa.*

tatione Cartesianæ ac Peripateticæ quò ad hanc controversiam sententiæ) dicat quis me niti ab Hidrà evellere caudam illeso relicto capite, reponam id lepidiùs quàm veriùs asseri; nec enim tres è regione oppositæ circà idem punctum quæstionis opiniones, unum queunt conflare totum, nec ulla in ipsis elucet ratio quare una præ alterà vel capitis vel caudæ loco sit reponenda; hinc si benè sillogizasse censet qui ait: Bruta nec sunt pura authomata, nec sunt instructa formà materiali; ergo habent animam spiritualem; non perperam arguet alter hoc pacto: Bruta non habent animam spiritualem, ergo vel erunt authomata, vel erit in eis materialis forma; sed nec necesse est ut qui unam opinionem reprobat, aliam positivè approbet & concludat, fieri enim potest, ut inter illas aliqua quidem tanquàm periculosior, & manifestiùs falsa displiceat (sicut mihi in præsentiarum accidit) & tamen nulla etiam ex reliquis positivè arrideat; præter quàm quod cum quò ad alias priores opiniones doctissimè laborarint alii, non expediit eandem escam recoquere, sed ad id quod

noviùs

noviùs & periculosiùs dicitur, satiùs fuit manum apponere. Quidquid demùm alii sint in me redarguturi, hoc inficias ire nequibunt, quod primus (quod sciam) de hac materià, breviter quidem, sed ex professò pertractem, quo uno concesso noverint planè majori dignos venià ejus esse errores qui nullo præeunte iter aggreditur novum, quàm ejus qui prædecessores trità sectatur vià. Cæterum isthæc qualiacumque sint, non invidis, non indoctis, qui quæ non ritè intellexerint, protinùs carpunt, sed sanioris judicii, & præstantioris ingenii viris, qui sicut meliora elucubrari, sic & mediocria compati norunt, me scripsisse profiteor. Accipe itaque Lector optimè hoc opus in brutorum depressione ad sua, nativam firmans hominis dignitatem, & si quid inspexeris, quod displiceat, tenuitatem meam incaussa, si verò quod arrideat, ad Deum refer cujus est totum quod est optimum, Vale.

SERIES DIALOGORUM

Qui in sequenti Dissertatione continentur.

DIALOGUS I.

Opinio de Animâ in brutis spirituali, discutienda proponitur.

DIALOGUS II.

Opinio de Animâ in brutis spirituali non habet à veterum, aliorumve auctoritate præsidium.

DIALOGUS III.

Opinio de spiritualitate animæ brutorum, non habet è Sacris Scripturis patrocinium.

DIALOGUS IV.

Nullum Sacræ Scripturæ monumentum, eandem opinionem verè utatur.

DIALOGUS V.

Animæ brutorum spiritualitati, non favet, sed contrariatur D. Bernardus.

DIA-

DIALOGUS VI.

D. Thomas præfatam Opinionem, nec formaliter, nec illativè docet, immò eidem contrariatur quàm maximè.

DIALOGUS VII.

Sententia de Animà brutorum ſpirituali, oſtenditur abſurdis obnoxia ſequelis.

DIALOGUS VIII.

Eadem Opinio periculoſa oſtenditur, & Conciliis adverſa.

APPENDIX

Cui per ſubſequentem Diſſertationem reſponſio adhibetur.



APPENDIX

In qua breviter ennaratur eorum Sententia, qui Brutorum Animam Spiritualem esse opinantur.

JAm ea, quæ in Scholis magnà utriusque partis contentione disputantur de Animà Brutorum, tradita fuerunt à Nobis, at, ut puto, res adhuc in multà Caligine remanet involuta; nam ex unà parte vix, aut nè vix quidem potest intellectus percipere quomodo materia ascendere valeat ad cognoscendi perfectionem. Ex alterà neque possunt explicari per solam mecanicam mirabiles Brutorum operatio-

nes. Quare si aliquid statuendum esset in hac celeberrimà controversià, videtur potiùs acquiescendum esse ultimæ Sententiæ, quæ vult brutorum animam immaterialem esse; si enim Catholicæ Fidei non repugnat hæc o pinio, vel hypothesis profectò est cæteris præferenda; sic enim intelliguntur, & explicantur difficultates omnes.

Porro hæc sententia olim à P. Zabarella, & Thoma Campanella tradita, novissimè à Domino Magalotti, & Sbaralli deffenditur, cui etiam suffragari videtur Augustinus Calmet in suo Sacræ Scripturæ Dictionario. Hisce omnibus addi possunt Veteres illi, qui quàdam rationis Specie uti bruta docuere, Empedocles, Pitagoras, Galenus, Cleantes, Plinius, & Plutarcus: Quæque Sententia refferente P. Petro Benedetti Jesuita apud Magalotti Epistolarum Scientificarum undecimà communiter recipitur apud Sinenses. Horum opinio nonnisi cum brutorum animarum Spiritualitate conciliari potest. Quomodo enim bruta aliquà rationis specie frui possent, si immaterialitatis, seu spiritualitatis principium aliquod in ipsis non daretur?

Pro hàc Sententià varia adduci possunt Divinæ Scripturæ loca, ex quibus inferri videtur aliquid spiritualitatis inesse brutis. Genesis enim 6. legitur. *Ecce ego adducam acquas diluvii super Terram, ut interficiam omnem Carnem, in quà est Spiritus Vitæ*. Et Cap. 7. *Universæ Aves, omnesque volucres ingressæ sunt ad Noe in Arcam bina, & bina ex omni carne, in qua est Spiritus Vitæ*. Numerorum Cap. 16. *Fortissime Deus Spirituum Universæ Carnis*,

Carnis, *Num uno peccante contrà omnes ira tua deseviet?* Et Cap. 27. *Provideat Dominus Deus Spirituum omnis Carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc*.

Quid ad hæc clarissima Scripturæ Testimonia respondere poterunt spiritualis brutorum animæ impugnatores? Forsan in postremis duobus laudatis Textibus Scripturam loqui de solis hominibus? Optima esset interpretatio, si adducti textus essent primi, & soli, in quibus Deo attribuitur, quod sit *Deus Spirituum Universæ Carnis*. At hoc Deo attribuitur etiam in primis locis, in quibus haud dubiè per collectionem Universæ carnis, cui spiritus vitæ adscribitur, simul cum hominibus comprehenduntur etiam Animalia Terræ, ut dum dicitur *bina*, *& bina ex omni carne*, *in qua erat Spiritus Vitæ*.

Præter hos, similesve Textus adducunt hujusce hypothesis Deffensores etiam duo Celeberrima Ecclesiastis loca. Primum ex Cap. 3. v. 19. *Similiter spirant omnia*. Secundum ex eodem Cap. v. 21. *Quis novit si Spiritus Filiorum Adam ascendat sursum*, *& si Spiritus Jumentorum descendat deorsum?* Supra quos Textus Dominus Magalotti supra laudatum P. Benedetti linguarum professorem in Pisana Universitate consuluit, ut ei adaperiret quomodo diversi Orientalium Textus ea loca legerent, & libenter annuit eruditissimus Pater. Sic dum vulgata legit: *Similiter spirant omnia*, Hæbraica: *Omnibus unus Spiritus*. Chaldaica *Amborum Animæ Spiraculum*. Syriaca: *Omnibus unus Spiritus* Arrabica: *Omnibus unus Spiritus*. Et dum vulgata legit: *Quis*

novit

novit si Spiritus Filiorum Adam ascendat sursum, & si Spiritus Jumentorum descendat deorsum? Hebraica. *Quis novit Spiritum Filiorum Adam si ascendat sursum, & Spiritum Jumenti si sit descendens deorsum in Terram?* Chaldaica: *Quis est Sapiens, qui novit si Spiritus, & Anima Filiorum hominum ascensura sit sursum ad Firmamentum, Spiritus, & Anima Jumenti descensura sit deorsum in Terram?* Similiter Syriaca, Arabica & Greca optimè conveniunt cum Nostrà vulgatà. Et tandem addit, quod ubi vulgata nostra legit: *Spiritus vitæ*, aut *Spiraculum vitæ*, Hebraicus Textus legit: *Spiritus viventium*, aut *Spiritus Vitarum*.

Pro eorum opinione laudantur etiam SS. Ecclesiæ PP., & præcipuè S. Bernardus, & S. Thomas. Primus Serm. 5. in Cantica, ubi ait. *Quatuor Spirituum genera nota sunt Nobis, Pecoris, Noster, Angelicus, & qui condidit istos; non est ex omnibus, cui sive propter se, sive propter alium, sive propter utrumque necessarium Corpus non sit, Corporisve similitudo excepto dumtaxat illo, cui omnis tùm Corporalis, tùm Spiritualis Creatura meritò confitetur, & dicit. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Et primum quidem* (Spiritum nempe Pecoris) *ita corpore egere constat, ut nec subsistere absque illo ut cumque possit; Simul quippe & vivificare desinit, & vivere ille Spiritus, quando moritur Pecus.* Et S. Thomas prima parte quæst. 14. art. primo, ubi deffinire videtur quod cognitio nonnisi immaterialibus competere possit. *Patet igitur* (inquit S. Thomas) *quod immaterialitas alicujus rei est ratio quod sit cognoscitiva; & secundùm*

dùm modum immaterialitatis, *est modus cognitionis*; *Unde in 2. de Anima dicitur quod Planta non cognoscunt propter suam materialitatem*. Si ergo Bruta cognoscunt principium aliquod immaterialitatis habere debent. Tandem idem S. Thomas prima parte quæst. 76. art. pr. in fine Conclusionis habet. *Sed considerandum est quod quantò forma est nobilior, tantò magis dominatur materiæ corporali: Et minus ei immergitur, & magis sua operatione, vel virtute excedit eam*. Cum autem per omnes (si Cartesianos excludamus) Forma brutorum cæteris aliis formis (animà rationali exceptà) sit nobilior sua operatione vel virtute, materiam corporalem excedere necesse est.

Multæ oppositiones fieri solent contrà hanc opinionem, seu hypothesim; sed præcipuè quæ in ore omnium est sic proponi potest. Si Brutorum Animæ essent Immateriales, seu Spirituales, æqualem haberent cum homine conditionem: eàdem cum illo uterentur ratione: Animamque liberam, capacem meriti, & demeriti haberent: Spiritumque Religioni, noscendo Deo, obtinendæ Beatitudini, ac fini supernaturali consequendo idoneum obtinerent: at hæc omnia absurdissima sunt, & viri benè de Fide sentientis indigna; ergo &c.

Respondent Propugnatores Animæ brutorum immaterialis falsissimas esse illas omnes illationes, nam per hoc quod illæ perfectiones uni Spiritus speciei conveniant, non est inferendum convenire omnibus. Sicut enim male arguerent qui ab una Corporum specie, ad alias argumentum

tum deducerent; Ita malè arguunt; qui ab unâ Spiritus ſpecie ad alias argumentantur. V. G. Nonnè fallax eſt hoc Argumentum. *Aurum eſt metallum*: *Argentum eſt metallum*, *ergo Aurum eſt Argentum*; *ergo ea*, *quæ Auro conveniunt*, *conveniunt etiam Argento*? Cur ergo non erit fallax ſimile argumentum, dum loquuntur de Spiritibus, ita ut falſum ſit: *Angelus eſt Spiritus*: *Anima hominis eſt Spiritus*; *ergo Anima hominis Angelus eſt*? Sicut ergo in Spiritibus, qui citrà controverſiam admittuntur datur magis, & minus in eorum perfectionibus; ita a pari in Caſu noſtro ex hoc, quod Anima hominis perfectâ utatur ratione, libera ſit &c., non eſt inferendum Brutorum Spiritui perfectam convenire rationem libertatem &c. nam ſicuti Deus perfectiores Spiritus in infinitum facere poteſt, ita in infinitum minùs perfectos. Et ſanè ſicuti citrà difficultatem concipimus Deum eſſe Spiritum perfectiorem angelico, Angelum eſſe Spiritum perfectiorem humano, quare concipere non poſſumus humanum Spiritum perfectiorem eſſe Brutorum Spiritu? Et ſicuti ex hoc, quod Deus ſit Spiritus perfectior Angelico, perfectiones Dei non debent convenire Angelo, Per hoc quod Angelus ſit Spiritus perfectior humano, perfectiones Angeli humano Spiritui non attribuuntur, ita pariter cum Spiritus humanus perfectior ſit limitatiſſimo Brutorum Spiritu, perfectiones humani Spiritus minimè erunt belluino Spiritui attribuendæ.

Inſtabis. Brutorum Spiritus cognoſcit, ali-

qua

quà rationis specie fruitur, optat, prævidet &c., ergo similis erit humano Spiritui.

R. Equidem Brutorum Spiritum limitatè cognoscere, optare, prævidere &c.; At nihil videt super ea, quæ naturalem felicitatem suam implent, quæ Corpus suum servant, quæ multiplicando generi valent. Sentit utique discrimen inter Algorem, & Æstum, inter valetudini perniciosum, atque conducens; sed Bonum, & malum in moribus, Justum, & injustum, licitum, & illicitum utique non discernit, uno verbo; Et si Spiritualis sit Brutornm Anima, habere non debet omnes illas perfectiones, quas habet humana mens. Sicuti enim perfectiones Dei non adscribuntur Angelo, cur perfectiones humanæ mentis adscribendæ erunt Brutis, quibus respectivè ad hominem non est intellectus?

Dices. Si brutorum animabus perfecta ratio, libertas, beatitudo, meritum, cognitio Dei non convenirent, saltem illis attentà eorum Spiritualitate competere deberet immortalitas. Quid ergo erit post separationem à corpore de Animabus illis?

R. S. Bernardum satis clarè prænuntiasse animam brutorum defficere defficiente Pecore: quare si S. Doctori standum est, dicendum videtur quod Deus eas animas destruat per annichilationem, cum enim Spiritus de se sit incorruptibilis, per corruptionem defficere nequit. Cæterum non desunt Theologi, inter quos Scotus, & Sanchez qui admittunt Angelos esse immortales tantùm ab extrinseco, spectatà nempe Dei providentià, quà vult eos conservare in æternum.

 Unde

Unde ſatis ex hac opinione patere poteſt nullam eſſe difficultatem dum dicitur Brutorum Anima defficere, in tantum enim non defficiunt Angeli, quia Deus vult eos conſervare; Præthereà eſto Spiritualis ſit Brutorum Anima, commune tamen habet in eà re privilegium cum Corpore, & materià, quæ nunquam ex naturà ſuà defficiunt; Mutat ſiquidem ſitum, mutat figuram materia, modò in quiete, modò in motu eſt, at abire in nihilum nequit, niſi id efficiat Deus, dum ab eà conſervandà ceſſat; Sic defficit Brutorum Anima, dum eam ampliùs non conſervat, ſeu dum ab eà conſervandà ceſſat Deus: quo utique ceſſante quis etiam Angelorum ſubſiſtet?

Inſtabis primò. A quo ergo Anima Brutorum in eorum Corpus infunditur: Nunquid à Patre generante? Non certè, ſi enim ita dicamus, Spiritus jam fit per traducem, quod juxta fidem Catholicam aſſeri nequit.

R. Animam brutorum immediatè à Deo creari, & Corpori debitè organizato infundi. Sicut enim ſtructuram fœtus humani, aliorumque animalium volunt recentiores quidam Medici immediatè elaborari à Deo in uteris Fœminarum, quantò magis hoc aſſerit poterit de Animabus Brutorum?

Inſtabis ſecundo. Si brutorum Animæ ſunt immateriales, & aliquà rationis ſpecie fruuntur, erunt capaces alicujus diſcurſus;ergo poterunt pervenire in cognitionem Dei, quia ex effectibus iſtis Cauſam eorum incauſatam deducere poterunt.

R. Antecedens eſſe falſum, quia ut jam di-

ximus

ximus perfectiones alicui spiritui convenientes necessariò omnibus convenire non debent. Quare volunt aliqui apud D. Magalotti spiritus bestiarum operari tantùm juxtà determinationem quam recipiunt ab externis objectis, quæ si bona sunt prosequuntur, si mala, fugiunt. Alii concedunt antecedens cum hac limitatione, quod nempe bruta sint capacia discursus impropriè talis, & inniti experientiæ sensuum; non sint verò capacia discursus illativi, & propriè talis, cujus capax est homo, & Angelus. Hinc non est inferendum quod pervenire possint ad cognitionem Dei, quia hoc est suprà sensuum experientiam. Cæterùm licet essent capacia discursus, non inde fit quod pervenire possint in cognitionem Dei: quod probant à pari. Sicut enim Deus ita limitavit hominum cognitionem ut in hac vità non possint cognoscere intuitivè Spiritum, & habere ideam claram Animæ rationalis (ut ommittam multa alia) ita limitavit cognitionem brutorum, ut ad tàm altas cognitiones pervenire non possint. Et certè non video cur statim ac sit substantia spiritualis debeat fieri substantia Dei cognoscitiva; Nam sicuti apud P. Dominicum viva in cursu Theologico disputatur an fieri possit substantia immaterialis simpliciter non cognoscitiva, & affirmant multi; à fortiori poterit à Deo fieri substantia immaterialis limitata in suà cognitione, ita ut valeat quidem cognoscere quæ ad vitam animalium pertinent, non verò quæ ad Deum, & ad vitam æternam.

Instabis tertio Sententia de Brutorum Ani-

mà ſpirituali pugnat cum illis Auguſtini verbis ex libro primo contrà Julianum art. 39. *Neque enim ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam, niſi mereatur, poteſt*, nam bruta necantur ab homine in cibum parantur, in ſervitutem ſubmittuntur: ergo miſera eſt brutorum conditio. Si ergo animà ſpirituali non deſtituuntur, hanc infelicitatem ſibi promeruerunt ob aliquod commiſſum ab ipſis crimen. Quod ſi peccare potuerunt, quis Religioni inepta, quis amando, agnoſcendoque Deo imparia eſſe credat?

R. Deum arbitrum, & diſpoticum cum brutis agere voluiſſe, abſque eo quod in jus eà de re vocaretur; In poteſtatem ſiquidem Figuli eſt ex Argilla quodcunque maluerit vas efformare: Deus igitur hominibus deſtinavit Animalia, diſpotico eorum imperio ſubjecit, permiſit in cibum hominibus bruta; quare & occidendi dedit poteſtatem; hoc jure ſibi dato utitur homo. Quænam quærelæ ratio eſſe debet in brutis quamquam animà ſpirituali non deſtitutis? An illa opponent Deo nullum ſe admiſiſſe peccatum, & nihilominùs ſubmitti homini criminoſo, brutali, hebeti, poteſtate ſibi in bruta conceſsà abutenti? *Numquid dicet lutum Figulo ſuo quid facies, & opus tuum abſque manibus eſt?* inquit Iſaias cap. 45. Nonnè legimus Job. 9. Deum quandoque juſtos quamquam inſontes punire? Plurimi enim viri innocentià, & juſtitià ſpectabiles, ut erat SS. V. Maria, & S. Joannes Baptiſta non ſemper à tolerandis malis, & infortuniis fuerunt exempti. Igitur Deus quo ad bruta utitur jure Patris, & Creatoris,

toris,

toris, nemini infert injuriam, Æquè illi potestas est sive creandi bruta, sivè negligendi ac si non essent. Plurimùm tamen Creatori suo debent ipsa, quòd duram licet tolerant servitutem, vivunt tamen, moventur, & agunt, & quæcumque obtinent bona, ab illo fruuntur. Quibus omnibus non officit Augustini laudata locutio; Nam ille loquitur & de lege ordinarià, & de miseria importante damnationem, quo quidem sensu nemo miser est, nisi mereatur.

Dices tandem. Hæc opinio est inaudita in Scholis, immò Ecclesia Catholica soli homini concessit Animam Spiritualem; non ergo brutis concedi poterit.


R. Etiam Systemata Recentiorum omnium olim erant inaudita, attamen hisce temporibus quot propugnatores Deo volente habent? Certè recentiores à Peripateticis tanquam novatores hæretici criminati sunt, attamen evanuerunt hæreses in eorum præjudiciis fundatæ; ita putamus quod aliquando erit de hac sive opinione, sive hypothesi. Fatemur Ecclesiam concessisse Animam Spiritualem homini in Concilio Lateranensi sub Leone X., at Ecclesia nunquam hanc quæstionem exagitavit, nec certè usque adeò eruditi viri contrà hanc Sententiam aliquid in Ecclesiasticis Sanctionibus invenerunt. Quare sicuti antiquis Patribus licitum fuit concipere, ac sustinere Angelos materiales, & corporeos, quia Ecclesia nihil adhuc deffinierat; ita brutorum animam volunt immaterialem esse Recentiores isti, quia Ecclesia circa hoc punctum nihil deffinivit,

nivit,

nivit, retractaturi, ut Catholicos decet; quoties Ecclesiæ Sanctæ judicium contrarium erit. Verùm quia solent Peripatetici hæc objicere, & similia, placet hoc unico argumento sic illos perstringere. Substantia immaterialis, vel est cognoscitiva, vel libera, vel capax meriti, & demeriti, &c. precisè quia substantia est, vel quia Immaterialis est? Non primum; aliàs omnis substantia esset cognoscitiva &c. Remanet ergo quod sola immaterialitas sit caracter universalis, à quo cognitio, libertas, meritum &c. profluunt. Nunc sic arguo. Vos Peripatetici admittitis entia immaterialia, nec tamen sunt cognoscitiva libera, capacia meriti &c. vos certè admittitis accidentia spiritualia, quæ sunt entitates immateriales, ut sunt Gratia sanctificans, Caracter Sacramentorum. Lumen gloriæ, Habitus infusi virtutum, actus vitales; volitiones nempè, & intellectiones, quæ nedum non intelligunt, & cognoscunt, sed passim destruuntur, corrumpuntur, & desinunt. Immaterialitas ergo ex naturà suà non est semper fundatrix cognitionis, libertatis &c. Cur ergo reprehendere nos audetis, dum substantiam immaterialem admittimus, sed limitatam in suis cognitionibus?

FINIS.

OPI-



OPINIO DE ANIMA IN BRUTIS SPIRITUALI

Discutienda Proponitur

DIALOLUS I.

Critophilus, & Philadelphus.

CRit. Expectate venis Philedelphe mi dilectissime, videbantur mihi annis longiores vel dies brevissimi prænimium prolixà societatis tuæ carentià: Quid causæ fuit, quod præter morem tam serò ruralibus otiis valedixisti, ut urbano gauderes consortio simul, & fructu? Inopina oportet, & quidem gravia te detinuerint negotia, nam de valetudine tua nulla mihi suboritur suspicio, sæpiùs etenim præ ingenità tibi humanitate, & sinceri cordis salutationes, & optimæ veletudinis tuæ ad me nuncios misisti.

Phil.

Phil. Nimis Critophile hac tuæ erga me sollicitudinis significatione animum meum devincis, at nescirem planè cui nostrum magis in votis fuerit, vel tibi mea, vel mihi tua societate perfrui: bis & ter aggredi disposueram iter urbem repetere, teque quantocitiùs, & visere, & alloqui gestiens, at nescio, quo fato, mox domesticis repentè insurgentibus tricis, mox amicis non suadentibus dixerim, sed cogentibus præpeditus, quod verè optaveram, ægrè differre compulsus sum.

Crit. Non opus est ut hasce mihi (etsi visus sum exposcere) aperias causas, apprimè siquidem novi quanta animo tuo insit, vel in honesta relaxatione œconomia, nec enim hanc tibi cum multis, & stultè quidem pro fine, sed sapienter cum paucis præfigis pro medio. Ast incautè longo fatigatum itinere stantem teneo, si placet immorari tantisper, sedeamus.

Phil. Imperiis tuis libens obsequor.

Crit. Saluberrimum te certè aerem respirasse, ex hilariori tùm vultu tùm corde gaudens agnosco, verumque te video utilis otii fructum reportasse, vires scilicet animosque erudito labori ferendo paratiores.

Phil. Equidem ita est, at non uni aeris beneficio; sed maximè suavissimæ litterati cujusdam viri sincerà mihi familiaritate conjuncti conversationi acceptum id fero. Prò quàm dulce cum illo miscere sermones? nulla mihi sapidior voluptas, quàm illum de re philosophica loquentem audire, miro etenim nexù rationum acumen verborum-

borumque dulcedinem socians , & allicit suaviter , & suadet fortiter ; Illum dubio procul nunquam ii audiere Peripatetici qui contrà modernos mordaciori quàm par est invehunt stylo , si etenim nossent , aut aciem laudarent ingenii , aut obsequentissimam approbarent humanitatem , aut rationum momentis devicti,cessarent lacessere cui non possent resistere .

Crit. Bonà cum venià Philadelphe nunquam tales novi Peripateticos ut rationum loco mordacitates substituant , aut diversa sentientes contemnant , aut ab aliis metuant impugnari ; immò eorundem recentiorum , quorum improbant systemata , experimenta approbant , commendant ingenia, plurimi faciunt eruditionem; optimè siquidem norunt quàm vero conforme sit quod quidam cecinit . (a)

Stulta hæc invidia est cui cuncta recentia sordent
Invida stultitia est , cui nova sola placent .

Sed fas ne mihi audire quibus invicem vos detinueritis .

Phil. Aperio statim . De irrationalibus brutis (nec enim irrationale homini de irrationalibus prolixiùs differere unquam censui) sermonem instituimus , atque tàm pulchra , tàm nova mihi audivi , ut meritò non otiosa dixerim ipsa vel otia . Alterà itaque die qua sicut multis illum precibus oraveram , apud me hospitari dignatus est , unà mecum in redolentibus consito floribus horto ambulabat manè sereno hilarique ; dulciter circum concinentibus Alaudis & Philomelis .

a) *Joa. Audoen. lib. 3. epigr. 75.*

lis. Quàm mirabilis Deus (exclamavi) in omnibus operibus suis! Ecce quanta ad animi nostri oblectationem varietas volucrum; quanta ad corporis refocillationem animalia sive aquatilia, sive terrestria, sive amphibia, quàm miris discreta proprietatibus, structuris diversa, opposita ingeniis, utilitatibus varia; solem alia fixo sustinent oculo radiantem ut Aquilæ, alia vel tenuissima rimantur objecta ut Linces, alia vident in tenebris, cœcutiunt in luce ut noctuæ, alia oculis sunt prorsùs destituta ut Talpæ. Nonnulla terrà tantùm vescuntur ut Serpentes, Ranæ, aliave hujusmodi; solo aliqua pascuntur aere ut Camaleon... at plura animo rem in hanc parato, subitus obstitit in cachinnos effusus amicus, risuque tandem expleto, sic attonitum increpat. Quid quæso dicis. Phil. Ludis ne an illudis? Quod à creaturis in Creatoris laudem assurgas, utique laudo, at quod de creaturis tàm malè sentias, miror quàm maximè; quid de Talpà dictitas? quid de ranis serpentibusque somniaris? quid de Camaleonte profers? itanè in naturalium scientià peregrinus es, ut talia credas?

Crit. Ut verum fatear, (bonà tamen cum venià) & rationabilis mihi risus videtur in hæc, & justa increpatio, cum enim talia protulisti, te dubio procul politioribus, iisque accuratissimis experimentis omninò ostendidisti imperitum.

Phil. Imperitus utique eram, veterique occupatus præjudicio, quæ populariùs prædicabantur, nullo instituto examine, pro veris atque inconcussis reputaveram, at profuit error meus

mihi,

mini, tanta etenim illa à me avertit præjudicia, tot me recentissima docuit experimenta, ut errori meo gratias agerem, atque subitæ confusionis immemor, summopere de præsenti novàque eruditione gauderem.

Crit. Quàm plurimùm gratulor & ego tecum quod & fatuis dicteriis valedixeris, & præclariorem verioremque didiceris philosophandi methodum; at simul plurimùm miror, quod isthæc noveris tam serò; qui mehercle fieri potuit ut egregia eruditissimi atque de re cùm medicà tùm philosophicà optimè meriti Vallisnerii opera huc usque non evolveris, quæ passim in omnium doctorum hominum & ore versantur & manu? hunc si legisses non utique amico tuo justæ reprehensionis dedisses causam.

Phil. Fama quidem Vallisnerii ad me detulerat nomen, at cum Medicum professione intellexissem, putaveram quod nonnisi de Animalium herbarum, solidorum, fluidorumque virtutibus ad medendum ordinatis, suis in operibus dissereret, atque hinc illa percurrere sollicitus non fui.

Crit. Ampla Vallisnerii mens, tam arctis passa non est detineri confiniis, neque rem medicam modò scriptis illustravit, sed & nova luce ditavit philosophicas scientias; maximam ex hujus lectione (crede mihi) & utilitatem referes & voluptatem; at tota ne in hisce tantùm immorata est disceptatio vestra?

Phil. Haud sanè, immò cum illi multas ex animo agerem gratias pro impenso mihi tantarum

cognitionum beneficio, cupiens illa uberiori me exornare doctrinà falsisque præventionibus expedire, quid de brutorum Animà sentiam, interpellat.

Crit. Optima quæstio hæc est, nec levibus implexa difficultatibus, at tu non ita dessipis, ut rem statim cum Cartesianis expedias Animam omnem brutis inficiando, merave asserendo authomata.

Phil. Absit à me ut talia sentiam, satis enim, cæteris ommissis quæ hanc sententiam confodiunt (si tamen id sententiæ nomen meretur, quod nec ab assertoribus, verè sentitur) ipsa naturæ voce, communique sapientum persuasione constat mihi quantùm illa nè dum à veritate, sed etiam ab umbrà veritatis aberret; hanc iis sequendam relinquo qui præpostero vel Magistri, vel novitatis amore obcœcati, nec ad se ipsos valent attendere.

Crit. Facile jam mihi est quid responderis divinare, reposuisti et enim animas brutorum verè in ipsis existere, easque materiales quide m esse, in quantùm à materia per se pendent in fieri & conservari, & operari non tamen esse materiam.

Phil. Ita utique simplex quippe eram respondi, at si modo de eàdem me quæstione interroges, non ampliùs tàm insulsè reponam; Prò quàm cœcus eram, & me tamen præ aliis videre putabam! at disiectæ sunt tenebræ affulsit mihi lux veritatis, cœcutiat qui vult, in luce morabor.

Crit. Quid est quod blaterando potiùs quàm loquen-

loquendo dicis Philadelphè ? insulsi nè tot præclarissimi Philosophi, qui materialem brutorum sensere animam ? Insulsi nè omnes qui tuis opinionibus non acquiescunt ? Dic quæso, si animam brutis non denegas, & materialem negas, quam ergo in illis agnoscis ?

Phil. Intrepidè respondeo brutorum animam spiritualem esse.

Crit. Spiritualis ? bone Deus & hæc audio à te quem semper optimæ indolis, ingeniique perspicacis agnovi ? Quid hac opinione homini injuriosius, quid philosopho indignius ? Hæc est nova illa lux in qua morari gloriaris ? Vide ne lumen tuum tenebræ sint. Spiritualis anima brutorum ? Audite ilthæc philosophi omnes & nolite ampliùs hominem. *Animal rationale* deffinire aliam aptiorem excogitate definitionem ista enim hominem confundit cum brutis, jam & ipsa anialia sunt rationalia, sunt enim animâ prædita spirituali. Audiat ilthæc regius Psaltes corrigatque quæ cecinit *minuisti eum paulò minùs ab Angelis*; (a) Dicere jam oportet. *Paulò magis à brutis extulisti eum*. O Philadelphe noli omni nuperæ circumferri vento doctrinæ; noli ista sapere si non vis dessipere.

Phil. Video te nimio abreptum zelo Critophile, non vacat modo super hac re te pluribus detinere; quoniam advesperascit, tempus est, ut si permittis domum revertar, ubi fortè me plures expectabunt. Gaudeo optimà te cum valetudine repperisse & perfectam noctis auguror quie-

(a) *Psal.* 8.


quietem. Unum oro, ne litem hanc parte inauditâ decidas. Crastino manè, si placet, redibo, & blandior mihi quod firmissima inspiciens sententiæ hujus fundamenta, & jurgia damnabis præsentia, & unà meçum senties meliora.

Crit. De gratulationibus, tuisque de me desideriis, gratias ex corde ago mi Philadelphe, eademque tibi sincerè peropto. Si ad me sæpius redire lubet, placitum tuum est permissio mea; at quantum attinet, ad brutorum animas, quandiu anima humana vivificabit me, tecum certè non sentiam. Vale

Phil. Quò te fortiorem hostem promittis, eò me gloriosum magis victorem constitues. Vale.



OPI-



OPINIO DE SPIRITUALI ANIMA' BRUTORUM

Non habet à Veterum, aliorumve Auctoritate prœsidium

DIALOGUS II.

Philadelphus, & Critophilus.

PHil. Cupiens te animo invenire sereno Critophile, te revisere sollicitus fui, sperans insuper (quoniam cogitationum mater nox dicitur) unanimiter repperire sentientem atque pacificum quem heri adversum, iratumque reliqui. Divino, an decipior? acceptusnè tibi adventus meus & sermo, an ingratus? Loquere Critophile, utrique enim, si displiceat, medebor.

Crit. Multa paucis complectar; tua mihi acceptissima quidem præsentia, nullimodè tamen sententia est.

Phil.

Phil. Ita pro modo sit; quoniam tamen sive in amplexandis, sive in respuendis aliorum opinionibus, ratione uteris, non pertinacià, si me patienter audire non detrectas, crede mihi, arridebit illa tibi.

Crit. Si placet dicere, placet audire, at quo animo te dicentem excipio, me respondentem sustine; hoc si præstes (non decipior) sententiæ hujus ex protectore, infensus hostis evades.

Phil. Quis nostrum decipiatur, ostendet eventus; exordiamur. Ut ergo ab ovo, ut dici solet, incipiam, non habet hæc sententia ex capite novitatis, ut forte putas, suspectæ præjudicium. Hanc enim jampridem docuere Empedocles, Pitagoras, Galenus, Cleantes, Plinius, & Plutarcus; hanc Sinenses populi, communissimè recipiunt; hanc approbavere olim P. Zabarella, & Thomas Campanella, hanc denique novissimè defendunt Dominus Magalotti atque Sbaragli. Non ergo novitatis insimulari potest opinio, ita de veneranda antiquitate benemerita, ut ad hæc usque tempora, clarissimos pietate & doctrinà meruerit obtinere patronos.

Crit. Quantum ad noviores attinet, pauculos nimium adducis, ut sufficiant opinionem invehere à Catholicis philosophis tot retrò ante sæculis vel inauditam vel certè non approbatam, nec video quomodo ab innumeris, iisque præclarissimis viris prudens sit discedere ut paucorum juniorumque sensa sequamur. Insuper vel hanc de animà spirituali brutorum sententiam ignotam Ortodoxis asseris, vel notam? Si ignotam dicas;

cas ; ergo non illa perenni fluxu per sanioris doctrinæ professorum manus ad hos usque recentiores pervenit . Si notam fateris , cum ipsam illi nec sequti fuerint , nec sequtos ostendere valeas , necesse est dicere , erroneum aliquid in illà latere quod noviores quidem non vident , in causà tamen fuit ut tam longà temporum serie contempta apud Catholicos , atque ad minùs neglecta jaceret . Certè quid erat de animà brutorum tractanti magis obvium quid dictu facilius , quàm illam asserere spiritualem ? Cum ergo nullus Ortodoxus ante propinquiora nobis sæcula id sensisse aut docuisse inveniatur , maximum est argumentum apud omnes tam futilem erroneamque apparuisse ut nec impugnatione dignam judicaverint sententiam hanc ; quæ cum ita sint ; quid jam ponderis habet paucorum assertio , contrà tot Ecclesiæ sæculorum venerandam semper , plurimique faciendam antiquitatem ?

Phil. Nimium hoc discursu Eruditorum nostri temporis doctrinæ derogas & æstimationi .

Crit. Minimè gentium , summo enim eos in honore habeo , nec illo minori quo ipsimet priorum Ecclesiæ sæculorum Auctores prosequantur . Sed si & numero plurimos , & auctoritate gravissimos Doctores non dehonorat , qui eos recentioribus posthabet, pari , nè dicam meliori modo licebit illos istis anteponere , nec justam querimoniæ causam invenient moderni .

Phil. Si ita est , jam nulla etiam adhibenda erit fides tot pulcherrimis recentiorum experimentis , quibus mirificè hoc sæculo res Philoso-

phica exornata est adeoquè ille idem Vallisnerius, quem anteà tantoperè commendabas à Sapientum Albo erit expungendus.

Crit. Non benè ratiocinaris Philadelphe.

Phil. Immò quàm optimè. An non nova sunt isthæc experimenta? An non tot ante actis sæculis omninò incognita? An non tot sapientissimis viris prorsùs abscondita? Si ergo ob hoc quod sententia de animà brutorum spirituali priscis fuerit inaudita temporibus, aut falsà tibi habetur, aut suspecta quamvis illam modo adstruant & defendant recentiores, quis non videat ex eodem capite, fide excidere, nec digna quæ recipiantur recentiorum experimenta?

Crit. Audi Philadelphe. Non eadem ratio est de physicis experimentis, & de AA. sententiis. Causarum adinvicém applicatarum effectus sunt experimenta, unde sicut in hominum potestate est & diversas, & diversimodè dispositas aptare aut adunare causas, atque diligentiori examine eventus perpendere, ita liberum est homini nova in dies in rebus naturalibus pericula facere, neque ista (semel ac viri docti se ea exactè accuratèque observasse testentur) pro suspectis habere licet sine eorundem veracitatis adeòque & honoris præjudicio; at verò AA. sententiæ circà causas earumque naturas versantur, quæ quoad essentiam nulli sunt obnoxiæ mutationi, nihilque in suo esse ab hominum animadversione dependent, quales ab initio fuerunt, tales sunt; hinc fit ut eas noviter asserere quales longà temporum serie oculatissimi licet, AA. rem medullitùs inspi-

spi-

ſpicientes non viderunt, non leve præbeat ſuſpicandæ falſitatis fundamentum; uno verbo etſi vel nullam, vel modicam ipſa novitas experimenti ſuſpicionem afferat, plurimam tamen circà rerum naturas, novitas meretur ſententiarum, facilius etenim atque prudentius creditu eſt paucos aliquos in errorem labi, quàm tot & numero & ingenio, & doctrinà clariſſimos conſtanti ſucceſſione fuiſſe deceptos. Cæterum putas ne Philadelphe eos omnes quos adduxiſti pro tuà ſtare ſententià?

Phil. Et indubitanter; quamvis enim non omnes percurrerim, eos tamen pro hac citatos, à fide dignis ſæpiùs audivi.

Crit. Quid ſi duos ego ſubriperem?

Phil. Minari tibi licet, ſed non quod mineris implere.

Crit. Attende ergo. Jacobum Zabarellam & Joannem Hieronimum Sbaragli tibi exhibeo ut quos patronos affirmas, confitearis infenſos.

Phil. Quomodo ambos mihi adverſos aſſeris, cum nundum quid ſentiant inſpexeris?

Crit. Jam pridem, cum ſcilicet opinionem hanc tuam ab aliis dubiè licet & titubanti quaſi animo propoſitam novi cum pluribus tùm veteribus, tùm recentioribus, & iſtos evolvi. Sed ne rem protrahamus prolixiùs, atque ut à noviori, fortè acceptioris apud te anctoritatis incipiamus, non te pigeat legere quæ ſcribat tuæ (ut putas) aſſertor doctrinæ Jo. Hieron. Sbaragli (a) en quid inquiat poſt nonnulla quæ premiſerat. *Cum*

D 2 *ani-*

(a) *Diſp.* 3. *c.* 3. *ſect.* 1.

animæ brutorum, non ita reciperentur in corpore brutali, quod undequaque est materiale; non erunt immateriales secundùm esse; unde si non sunt hoc pacto immateriales fortè erunt secundùm suam substantiam? hoc autem impium & hæreticum est, & si neutro modo, concludendum est animas brutorum nullo modo esse immateriales. (a) Immò hæc tandem ponit. *Superest ut concludentes præsentem tractatum, nostram sententiam ita deffiniamus asserendo, & id semper in linea probabili, & cum summâ reverentià ad alias opiniones, animas brutorum creari, lato tamen modo, & impropriè, & esse cognoscitivas.... easdem mixtam naturam habere, inque hac mixtione aliquid immaterialitatis contineri, proinde non subsistere posse, debere corrumpi &c.* Porrò de qua immaterialitate ista scripsit Sbaragli? Vel de proprià, & absolutè tali, vel de improprià tantùm & similitudinaria? Si in hoc secundo sensu, jam non ipse militat sententiæ tuæ cum tu eas animas verè propriequè spirituales esse asseveres. Si autem primo in sensu loquitur; præterquàm quod jam manifestè contradiceret iis quæ ex ipso anteà vidimus sec. 1., jam nonnisi insulsè eas negaret proprià & strictà creatione produci, doceretque mixtæ ipsas esse naturæ, impotentes subsistere & necessariò corruptioni subjectas, hæc etenim animæ, & quidem spirituali, citrà controversiam, nequeunt convenire; reliquum ergo est ut non de verà immaterialitate nec de proprià spiritualitate, nec consequenter in sensu tuo loquatur.

Phil.

(a) *Sec. ult. cap. 3.*

Phil. Vel invitus fateor, Auctorem hunc, ni fortè adversetur, mihi saltim non favere.

Crit. Non dispari negotio ostendo ipsum etiam Zabarellam immeritò in tuas partes trahi. Audi ergo ejus sententiam sub titulo de accretione & nutritione (*a*) hisce verbis expressam: *Propterea optimè illos sentire arbitror, qui dicunt animam non ita esse materialem atque dividuam ut non sit etiam immaterialis atque individua, est enim mediæ naturæ inter formas penitùs à materià abjunctas, & formas materiæ prorsùs immersas*. Sanè anima quæ de materiali entitativè participat & media est inter duo extrema opposito modo se habentia non potest ab uno illorum absolutè denominari, consequenter nec dici verè & absolutè spiritualis, ut est manifestum.

Nec verò tecum sentit ipse etiam Thomas Campanella qui de animalibus verba faciens, inquit. (b) *Anima enim est ipse spiritus agens, calidus, tenuis*. Porrò quis est spiritus, iste cui calor conveniens est? Qualitas nè corporea naturalis proprietas est substantiæ spiritualis? Sed ipsemet clarè explicat in initio ejusdem articuli, de quo spiritu loquatur, ait enim. *Quoniam verò motus, est caloris operatio, calor verò movere nequit nisi intenui agilique subjecto (præcipiente sapientia) ingeneratæ sunt tenuitates vocatæ spiritus, intra terram liquidam viscosam &c.* Quis autem sanæ mentis dicat tenuitates intrà terram liquidam generatas, non vocetenùs, sed verè substantias esse spirituales?

Venio

(a) *C.* 15. (b) *C.* 10. *de animal. & de Orig. & struct. art.* 1.

Venio jam ad veteres illos quos eidem adstipulatos sententiæ percenses ; & primo quidem miror eos à te tot Sanctis PP. tot sanctitate doctrinàqne præstantissimis Philosophis qui singulis Ecclesiæ sæculis floruere præferendos putari, quibus potiùs pudor est vel comparare ; sed videamus quid quave de causà , senserint de brutorum animabus ; Falsum itaque in primis est illos verum in brutis spiritum agnovisse , cum penè omnes animas ex materià compactas censuerint. Empedocles dicit animam *esse mixtionem ex ætherià aeriàque substantià* . Pitagoras apud Laertium docet . *Animam esse puriorem quandam partem ætheris calidi & frigidi avulsam ab impurioribus* . Galenus tom. I. lib. *quod animi mores corporis temperantiam sequantur* c. 3. sustinet animam in genere esse temperaturam quatuor primarum qualitatum , animam verò rationalem quæ species animæ est , esse temperaturam cerebri . Cum Empedocle & Pittagorà sentit Cleantes . Plutarcus verò clarè docet animam ex atomis formari , inquit enim . (a) *Atomi sunt corpora mente percepta , sempiterna , interitus incapatia , quæ nec frangi possunt, nec ullam alterationem, aut deformitatem admittere* . (b) Plinius talem dictitat esse ipsius etiam hominis animam , ut doceat ipsam unà cum corpore interire , & oppositum sentientes derideat . Denique hæc est apud Epicureos atque Stoicos doctrina communissimè recepta ut anima quævis aliquid corporeum sit , docentque teste

D.

(a) *Lib. 1. de placit. Phil.*


(b) *Lib. 7. c. 56.*

D. Greg. Nisseno . (a) *Ipsam animam esse spiritum ignei vigoris numine quodam aflatum* . Seu ut clarius explicat Theodoretus, dicunt . *Animam quidem spiritualem esse substantiam , sed quæ calidi plurimum habeat* . (*b*) Quæ cum ita sint , vides porrò Phil. te palmariter allucinatum fuisse , atque militum loco , militum larvas tecum ad pugnam adduxisse ; cæterum etsi verum in brutis spiritum agnoscerent quid tum ? Non enim ut brutis ipsis consulerent , sed ut humanarum , animarum celebrem apud ipsos metempsycosim sustinerent , id ipsum dixisse probarentur , atque constaret è Catholicis labiis amovendas omninò aquas tam venenato è fonte derrivatas , nam ut ait Cic. (*c*) *A falsis principiis profecta , vera esse non possunt* . Quoniam tibi , ut video , abscedere placet , hisce finem pono ; cum redieris , recipies , si afferas nova . Vale .

Phil. Diutiùs , & libenter quidem apud te manerem , sed vereor nè molestus sim morà longiori amicis me suburbano in rure expectantibus . Vale .

OPI-

(a) *Tom. 2. lib. 2. de anima* .
(b) *To. 4. ser. 5. de natura hominis* .
(c) *Lib. 1. Acad. quæst.*



OPINIO DE SPIRITUALI ANIMA' BRUTORUM

Non habet à Scripturis Sacris Patrocinium

DIALOGUS III.

Critophilus, & *Philadelphus*.

CRit. Quàm lubens te excipio Philadelphe? Alias quidem tua mihi acceptiſſima præſentia, atque amœniſſima ſocietas, nunc autem quoniam inclinatis jam exiſtimatæ auctoritatis umbris, aut veritas, aut falſitas placiti tui in ſuà (quæcumque ea ſit) relinquitur luce,tantò lubentiùs adventantem amplector, quanto te certiùs brutorum ſpiritualitati valedicturum profiteor.

Phil. Ex victorià nullius momenti (ſi tamen pro relatà conceditur), plùs juſto tibi animus erigitur Critophile, ille tamen ego non ſum qui

ex

ex levi & fortè umbratili jacturà dejiciar; Auctores illos sive vetustate decoros, sive ingenii nova claritate conspicuos, ad honorem, ut dicitur, & abundantiæ ergo adduxeram, si eos non recipis, nihil inde tibi, nil contrà me. Spirituales brutorum animas, non fallax hominum doctrina insinuat, sed nec falli, nec fallere potens Spiritus Sanctus deprædicat; ex hoc veritatis fonte veritatem hanc hausimus, quotquot sustinemus.

Crit. Etiam Eterodoxi dogmata sua ex scripturis eruisse jactant; atque illa ex iis confirmare satagunt, quibus tamen nemo vel mediocriter in scripturis versatus fidem adhibebit; sed ne videar litem parte inauditâ (de quo nudiùs tertiùs me monueras) judicare, affer quæso deprompta sacris ex scripturis momenta quæ Thæsim tibi hanc adeò videntur evincere.

Phil. Affero statim, sed rogo, ut multa dicentem patienter sustineas, & quæ dicta fuerint, non animo præoccupatione decepto, sed veritatis avido æquè ac indago accipiens, serià postmodùm meditatione perpendas. Miraberis tanta audiens, & nisi stet tibi pro ratione voluntatis pervicacia, tuum quoque in obsequium sententiæ hujusce, immò veriùs scripturarum captivum dabis intellectum.

Crit. Noli ante certamen victoriam canere; victus ero si vinces, non si te vicisse jactabis.

Phil. Cui divinarum scripturarum auctoritas, arma, præsidiumque ministrat, jàm parta victoria est, certusve triumphus. Attende Critophile quàm clarè, quàm sæpè veritatem tibi

adeò huc usque invisam doceant Scripturæ. In libro Geneseos. (a) *Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem in qua est spiritus vitæ*. (b) *Universæ aves, omnesque volucres ingressæ sunt ad Noe in Arcam bina & bina ex omni carne in qua est spiritus vitæ*. Nota utroque in loco cit. *Spiritus* (c) *Fortissime Deus Spirituum universæ carnis* (d). *Provideat Dominus Deus Spirituum omnis carnis &c.* Quid sanè hisce testimoniis luculentius potest inveniri? An non hæc dubietatem omnem tollunt, & peremptoriè dirimunt litem? Quæ ad hæc aptior responsio, nisi sincera thesis meæ confessio? Fortè ne repones postrema scripturæ loca de solis hominibus loqui? Optima responsio si sola hæc essent, & ex præcedentibus ævidenter non colligeretur, hæc ipsa in tota latitudine, & sine restrictione intelligenda esse. At cum dicitur *bina & bina ex omni carne in qua est spiritus vitæ ly spiritus* non de homine, sed de brutis apertissimè dicitur, si ergò teste Scripturà verus est spiritus in eorpore brutorum, quomodo genuino in sensu poterit eadem de solo homine explicari cum ait: *Deus spirituum universæ carnis*? Sed ut magis magisque mea tibi lux affulgeat, audi Ecclesiasten palam dicentem (e). *Similiter spirant omnia*, & inferiùs. *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum*? (f) Inspice versiones alias, & dum vulgata ait. *Similiter spirant omnia*. Chaldaica legit. *Ambo-*

rum

(a) L. 6. (b) C. 7. (c) Num. 16. (d) C. 27.
(e) C. 3. v. 19. (f) C. 3. v. 4.

rum animæ spiraculum. Hebraica autem, Syriaca, & Arabica uniformiter vertunt. Omnibus unus spiritus. Dumque vulgata nostra habet *Quis novit &c.* Hebraica vertit. *Quis novit spiritum filiorum Adam si ascendat sursum, & spiritum jumentorum si sit descendens deorsum in terram?* Chaldaica verò sic legit. *Quis est sapiens qui novit si spiritus & anima filiorum hominum ascensura sit sursum ad firmamentum; Spiritus & anima jumenti descensura sit deorsum in terram?* Hæc sanè tanta sunt, ut nisi sponte velis Critophile media in luce cœcutire, unà mecum meliora videre adigaris. Æcquid? Scriptura apertè brutorum animas vocat spiritus, & tu spirituales negabis? immateriales agnoscere formidabis quas illa nomine spiritus tàm sæpe decorat?

Crit. Ad ostendendam tuam in scripturis sacris peritiam, dixisti satis Philadelphe; ad probandam quam niteris sententiam, multum quidem specie tenùs reverà tamen, nihil, & meritò de te, eademque tecum, sentientibus dicere cum D. Ireneo possem (*a*). *Coguntur tàm multa malè interpretari, qui unum nolunt benè intelligere.* Sed ut hoc ipsum oculis cernas, & manu tangas, peto à te utrum anima hominum sit post mortem corporis superstes futura?

Phil. Utique, certissimè, immortalis est enim.

Crit. Benè est; at audi jam scripturarum auctoritate illius cum corpore comprobari occasum. Ecclesiastes loco superiùs à te citato lucu-

(a) *Lib. 5. c. 13.*

lenter docet animam hominis cum corpore mori, inquit enim. *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur . . . nihil habet homo, jumento ampliùs*. Quid clarius expeti potest ad tuendam animæ rationalis cum corpore desitionem? Dices ne eo loci sermonem solùm esse de hominis interitu quantùm ad corpus? Sed vide quod Ecclesiastes postquam dixerat. *Sicut moritur homo &c.* subdidit. *Nihil habet homo jumento amplius* quare quemadmodum non diffitebere jumentum etiam quò ad animam interire, ita oportet id ipsum non inficiari de homine. Sed audi scripturam animæ rationalis corruptionem insinuantem, & mortalitatem; in libró Geneseos. (a) *Non interficiatis animam ejus* (*b*). In lib. Levitici. *Anima carnis in sanguine est*. Et posteà. (c) *Anima omnis carnis in sangnine est, unde dixi filiis Israel sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est, & quicumque comederit illum interibit* (d). Job. *Morietur in tempestate anima eorum*. Et superius de se ipso dixerat (e) *nunc autem in memetipso marcescit anima mea* (f). Deuteron. *Sicut latro consurgit contrà fratrem suum, & occidit animam ejus*; Ezechiel. 17. (g) *In jactu aggeris & in extructione vallorum ut interficiat animas multas* (h). Jerem: 40. *Ibo & percutiam Ismahel filium Nathaniæ nullo sciente ut non interficiat animam tuam*. Porrò hisce audi-

(a) *C.* 3. *v.* 12. (b) *C.* 17. *v.* 11. (c) *V.* 14. (d) *C.* 36. *v.* 14. (e) *C.* 30. *v.* 16. (f) *C.* 22. *v.* 26. (g) *V.* 14. (h) *V.* 15

auditis quis negabit rationales animas cum corpore mori ? Anima quæ marcescere , quæ interfici quæ mori potest quomodò unà cum corpore non interibit ? Scripturarum ergo auctoritate convinceris animam hominis corpori non esse superstitem .

Phil. Importunè extrà causam digressus es Critophile , & pessimo me aggrederis arguendi genere , immò vel te in scripturarum intellectione ostendis , vel me nimium putas , imperitum . Hæreticorum morem quem mihi superiùs opponebas , exactè imitatus es . Non ergo satis est ad aliquid ex scripturà evincendum, aliquos ex illa textus depromere qui litteraliter & grammaticè intellecti videantur id ipsum asserere ; ast perpendenda est scripturarum praxis in vocabulorum acceptione , attendi debet diversarum phrasium consuetudo , comparare oportet loca cum locis , cum textibus textus , ut sensuum veritas innotescat , atque si ista satis nundum pateat , ad SS. PP. recurrendum est , qui superiori illustrati spiritu , quæ in scripturis occulta revelarunt , reserarunt quæ clausa . Si secùs , inconsulta scipturarum intellectio , omnium fiet hæresum , & mater & nutrix. Lege ergo quæ habentur eodem c.3.Ecclesiastis & invenies quod non rectè intelligis quæ ex illo adduxisti , inquit enim (a) . *Vidi sub sole in locò judicii impietatem & in loco justitiæ iniquitatem & dixi in corde meo . Justum & impium judicabit Deus & tempus omnis rei tunc erit* . Sanè tempus quo Deus judicabit justum & impium non est vitæ

(a) *V*. 17. 18.

vitæ præsentis in qua sæpè impuniti exultant impii, oppressique gemunt justi, post hanc ergo aliud tempus aliaque superest animæ vita in qua justi impiique debita factis recipiant, proinde quæ inferiùs cit. in C. dicuntur de morte hominis non animæ, de æquali hominis cum brutis conditione quò ad corpus tantùm non verò quò ad animam debent & valent exponi; Animadverte insuper quod nonnunquam per Synecdochen loqui scriptura consuevit partem accipiendo pro toto sicque animam non infrequenter pro toto homine accipit sic in Exodo dicitur. (a). *Juxtà numerum animarum vestrarum quæ habitant in tabernaculo; sic tolletis*. In lib. Geneseos (b). *Tulit autem Esau uxores suas & filios & filias & omnem animam domus suæ &c.* (c) Act. 7. *Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinque*. Cæterùm sexcentis aliis ommissis peremptoria est Domini Nostri Jesu Christi sententia (*d*). *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Si enim qui corpus occidunt animam nequeunt interficere, non est anima hominis physicæ corruptioni subjecta non commoriens corpori, sed illi sine dubio superstes; & cum hæc adeò clara sint & perspicua, si quis occurrat scripturæ textus sub oscurus quique oppositum præseferre videatur, juxtà hanc pensari, & explicari oportet. Quare Critophile mi Scripturas Sacras lege priùs, perpende seriò ante-
quàm

(a) *C. 16. v. 16.* (*b*) *Lib 36. v. 6.* (c) *V. 14.*
(d) *Mathei 10.*

quam aliquid earum auctoritate probandum aggrediaris, aut probasse præsumas.

Crit. Eggregiè locutus es huc usque Philadelphe, non tuam tamen, sed meam nesciens peregisti causam; dulcedinem hac vice invèni in ore leonis, & possem quidem ea quæ in favorem placiti tui ex scripturis adduxisti uno verbo & ipse refellere monens te ut loca cum locis conferas antecedentia cum sequentibus, utraque cum mediis compares, & re adhuc in veram lucem non deductà consulas SS. PP., at quoniam vereor ne nimio in sententiam quam amplexus es præpeditus, aut fortè excœcatus affectu statim mihi respondeas optimè te aut qui te docuit Scripturas evolvisse & adhuc posteriora prioribus, imma summis, utraque mediis sibi in tuo sensu reciprocè correspondere, ideò rem hanc fas est prosequar prolixiùs ut convincaris securiùs.

Phil. Facies tuà prolixitate tædium, non referes victoriæ præmium.

Crit. Nè quæsò molestè feras si multa dixero, non enim est vitiosa prolixitas, prolixè licet ostensa veritas. Ante quàm ergo objectis tuis ex scripturarum fonte petitis faciam satis, duo præmittere oportet principia, inconcussum tamen utrumque & sine peculiari examinis institutione concedendum. Primum est quod non verbis scripturarum insistendum est, sed potiùs sensui, sæpiùs enim verba litteraliter intellecta in errorem inducunt, unde & ab Apostolo monemur. (*a*) *Littera occidit, spiritus autem vivificat* cui concinit

(a) 2. *ad Cor. c.* 3. *v.* 6.

cinit D. Jeron. (a) Aureis hisce verbis fideles omnes alloquens. *Ne putemus* (inquit) *in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medullà, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* secundum est eum non esse verum scripturæ sensum qui aliis scripturæ locis ritè acceptis probetur adversus, qui rectæ rationi inveniatur oppositus, quive SS. PP. interpretationi contrarius existat, diversa etenim est rerum naturalium, & scripturalium sensuum indago, inquit Aug. (b) *Aliter enim quærimus de creaturæ conditione quid verum sit, aliter autem quid in his verbis Moyses .... intelligere lectorem auditoremque voluerit.* De rebus enim naturalibus quæ nullam cum fidei nostræ mysteriis connexionem habent permittitur opinari pro libito, dummodo tamen nihil scripturis sacris afferatur contrarium. At scripturæ sensus non pro legentis placito fingi sed juxtà loquti Spiritus Sancti mentem agnosci debet, & cum veritatis fons nequeat sibi vel illativè contrarius esse, hinc vel mille scripturæ loca obvio in sensu contraria uni textui cujus clarus jam certusque sensus, ad hunc tanquam ad lydium lapidem pro rità intellectione sunt reducenda, nemo etenim est qui nesciat non ambigua certis, sed è contrà certa ambiguis lucem afferre.

Phil. Hæc omnia jam pridem novi, lubentique animo excipio, at quid tum?

Crit. Non ista protuli ut docerem te, sed ut quæ

(a) *Hieron. suprà ep. ad Galatas.*
(b) *Aug. lib. Conf. 12. c. 23.*

ut quæ aliàs tibi cognita, sint tibi modò vividiùs præsentia; hisce ergo succinctè memoratis veniamus ad arma. Putas itaque satis superque te probasse ex scripturis animam brutorum spiritualem, quia multis in locis hanc animam appellant nomine *spiritus*; & quidem si ly spiritus inibi de vero spiritu intelligi debet, cædit tibi victoria lisque omnis dirempta est. At pro viribus contendo ubicumque de brutis dictum invenitur in scripturis ly *spiritus* verum non significari spiritum; hoc autem ut præstem una mecum peto animadvertas, quod sæpè sacræ paginæ pro non vero spiritu hanc vocem spiritus usurpant. Dicit enim S.Job. (a) *Spiritus meus attenuabitur*. Regius Psaltes (b). *Spiritus procellarum pars calicis eorum* alio in loco (c). *Dixit & stetit spiritus procellarum* atque etiam (d). *Aperui os meum & attraxi spiritum*. Isaias (e) *Quiescite ergo ab homine cujus spiritus in naribus ejus est*. Certè spiritus qui pati attenuationem potest, verus non est spiritus, procellis verus non inest spiritus; qui oscitat verum non attrahit spiritum, nec verus hominis spiritus quasi solitariè aut principaliter est in naribus illius; Hoc itaque animadverso intelliges facilè, cum hoc nomen spiritus pro varià significatione stet frequenter in sacris litteris, non statim verum spiritum esse adstruendum ubicumque hoc vocabulum *spiritus* usurpat scriptura; agnoscere exindè debes non ex hoc uno attribuendam spiritualem animam bestiis, quod scriptura inesse illis spiritum dicat.

(a) *C.* 17. *v.* 1. (b) *Psal.* 10. (c) *Psal.* 106. (d) *Psal.* 118. (e) *C.* 2. *v.* 22.

Phil. Utique id concederem si præcisè & utcumque spiritum brutis inexistere diceret Scriptura, aut contextus ipse sicut in locis à te laudatis, excluderet spiritum propriè dictum; at cum loca quæ superius adduxi ex ipso contextu quo dicitur *spiritus vitæ*, *spiritus vitarum*, *Deus Spirituum omnis carnis &c.* nequeant aliter intelligi quàm de vero spiritu, nullum hinc est argumentum denegandi brutis spiritum propriè & rigorosè dictum cum ille solus possit esse vitalis, & carnem vivificans.

Crit. Optimum quidem ex parte tua responsum; ast ego ex iis quæ à te animadvertenda proposui, unicè volui aliquam tibi dubietatem & suspicionem ingerere de eà voce spiritus non ut authumas accipiendà, atque ut inde nosses etiam scriptura dicente brutis inesse spiritum vitæ, non immeritò tamen supponi examini tuam hanc de anima brutorum spirituali sententiam; Cæterùm ut indubiè tibi constet non verum à Scripturis Sacris asseri spiritum in animantibus brutis, dic mihi verum nè dices scripturarum auctoritate probari in brutis spiritum, si scriptura de brutorum animà disserens, de illà affirmet prædicata quæ vero competere spiritui nullatenùs queunt?

Phil. Si hoc ostendas, fatebor non probari ex scripturis, animæ brutorum spiritualitatem.

Crit. Nonnulla itaque affero loca, ex quibus me rem puto confecturum. Primum desumo ex lib. Geneseos (a). *Dixit etiam Deus producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram,*

(a) C. 1. v. 20.

ram , & posteà (*a*) *dixit quoque Deus producat terra animam viventem in genere suo jumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas* : loquens verò scriptura de hominis creatione , ait . *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ , & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* . Hisce præjactis , quæro cur scriptura de animæ humanæ productione verba faciens dicat Deum formato hominis corpore inspirasse seu insufflasse in faciem ejus spiraculum vitæ,cum de productione aliarum animarum differens referat Deum mandasse aquis imperasse terræ ut producerent animam viventem ? Sanè diversum istarum , ac illius productionis modum, non leviter nobis indigitat ;hanc scilicet contrapositivè ad alias à solo Deo fuisse creatam , atque singulis infundi hominibus ; nec enim ex materià educitur , aut educi potest , neque fit ex traduce , seu non generatur vel propagatur ex animà parentis sicut lux lucem spargit , & propagat , ut putavit Tertullianus , & dubitaverat Augustinus (*b*) . Quod si anima hominis , non terrà producente , sicut aliæ , sed sola à solo Deo creata est , reliquæ ergo animæ non per veram creationem fuere productæ, aut producuntur. Subsumo jam ; sed si brutorum animæ verè forent spirituales , nonnisi per creationem fieri possent , essent enim spirituales substantiæ per se subsistentes , atque omnem materiæ , potentiam quàm maximè excedentes ; ergo si verè tales animæ creatæ non sunt , & non creantur , verè pariter non sunt spirituales .

(a) *C. 1. 2. 20.* (b) *Lib. 7. de Gen. ad litt. c. 1. & seq.*

Unum restat ostendere ad majorem argumenti vim, quod videlicet sensus scripturæ sit de productione animæ rationalis ut contradistinctà à productione cæterarum animarum; sint autem omnium instar oculatissimi iique fidelissimi scripturarum interpretes D. Ambr. Augustinus, & Angelicus Doctor, quorum primus in rem nostram sic loquitur (a). *Bestias non fecerunt, manus tuæ, sed dixisti producant aquæ reptilia animarum viventium, & produxit terra secundùm genus quadrupedià & reptilia, & bestias terræ, me autem, inquit, fecisti, me tuis manibus figurasti, hoc est non figurasti bestias manibus tuis, non reptilia, non volatilia, me autem fecerunt manus tuæ*. Posterior verò hæc habet (b). *Intelligimus spiritum vitæ, & animam viventem scripturam suo more dixisse cum animalia idest corpora animata vellet intelligi, quibus inesset per animam perspicuus iste etiam corporis sensus, in hominis autem conditione obliviscimur quemadmodum loqui scriptura consueverit, cum suo prorsùs more loquta sit, quo insinuaret hominem etiam rationali animà acceptà (quam non sicut aliarum carnium aquis & terrà producentibus, sed Deo flante creatam voluit intelligi) sic tamen factum ut in corpore animali, quod fit animà in eo vivente, sicut illa animalia viveret, de quibus dixit. Producat terra animam viventem*. D. autem Th. ita effatur. (c) *Anima brutorum producitur ex virtute aliqua corporea*,

(a) D. *Ambr. Exposit. in Psal. CXI III.*
(b) *Aug. l.* 13. *de Civit. Dei c.* 24.
(c) *Th.* 1. *p. q.* 75. *art.* 6. *ad* 1.

corporeâ, *anima verò humana producitur à Deo*, & *ad hoc significandum dicitur* Gen. 1. *quantùm ad animalia producat terra animam viventem*; *quantùm verò ad hominem dicitur quod inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*; Cum itaque illud quidem quod à solo Deo producitur sit verè creatum, non autem id quod ex aliqua corporeâ virtute, cum hæc neque sit, neque esse possit creativa, concludi meritò potest animas quidem humanas, non autem reliquorum animalium, substantias esse spirituales; nec enim substantia spiritualis est, quæ sine actione creativâ potest produci.

Quid ad tàm luculenta tantorum Ecclesiæ luminum testimonia valebis reponere? Nunquid Ambr. Aug. & D. Th. in sacris litteris non satis eruditos? Appagè temeritas insana, ignorantiaque proterva! & hoc à doctis à Catholicis sine horrore dici poterit vel audiri? Cui patebunt scripturarum arcana si D. Ambr. Aug., & Aquinatis Soli vocitantur imperviâ?

Secundum Scripturæ textum reperio in Psal. ubi dicitur (*a*). *Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus*. Atque ulteriùs. *Homo cum in honore esset*, *non intellexit*, *comparatus est jumentis insipientibus*, & *similis factus est illis* (*b*). Si ergo scriptura palam docet brutis non inesse intellectum quomodo dici potest ex ipsa probari in iisdem animam spiritualem? Intellectus (maximè per vos qui omnia prorsùs abnuitis accidentia) ab animâ spirituali nullatenùs à parte rei distinguitur proindeque est idem cum illa, si idem est cum illâ quomodo coherenter dicere potestis animam

(a) *Psal.* 31. *v.* 9. (b) *Psal.* 48.

animam spiritualem non esse intellectivam? Jam verò sic insto. Ex una parte anima spiritualis utpotè identificatum habens intellectum est, intellectiva; ex alia teste Scripturà anima brutorum non est intellectiva sed intellectu carens. Ergo ex scripturà clarum fit animam brutorum non esse spiritualem.

Phil. Operam hac vice perdis Crit. dum prædicata quæ uni spirituum speciei conveniunt, cuilibet apropias, at quàm falsò præterquam quod constat, ostendo. Fallax abs dubio est hoc argumentum Aurum est metallum; argentum est metallum; ergo aurum est argentum. Ergo similiter fallaciter arguit qui dicit. Spiritus Angelicus est intellectivus; spiritus humanus est intellectivus; ergo & Spiritus Belluinus est intellectivus. Sicut enim esse auri auro convenit non argento & vice versa, ita esse intellectivum Angelo conveniens est & animæ rationali non vero brutorum spiritui, & sicuti ex quo argentum sit metallum sicuti & aurum non tamen inferri potest quod sit aurum, ita ex quo anima brutorum sit spiritualis sicuti & Angelus & anima hominis, non hinc deduci valet quod sit intellectiva sicut Angelus aut homo nam quemadmodum argentum convenit quidem cum auro in ratione generica, differt verò ab illo in ratione specifica & per hanc differentiam non sustinet prædicata auri, ita etiamsi anima brutorum univocetur cum Angelo & animà rationali in ratione genericà entitatis spiritualis, maximè verò differt ab illis in sua specifica ratione nec proinde intellectivitas conveniens

veniens illis , huic etiam attribui valet . Tandem quis negabit posse Deum perfectiores in infinitum facere spiritus ? Quis etiam nescit posse Deum minùs in infinitum perfectos spiritus producere, carentesque multis perfectionibus , quæ aliis inerunt spiritibus , & tamen adhuc veri spiritus erunt ? Animas igitur brutorum spirituales dicimus limitatissimas tamen atque in infimo spiritualitatis gradu quibus proinde perperam aptantur quæ solis perfectioribus spiritibus sunt convenientia .

Crit. Hoc quidem est potissimum effugium tuum irritum tamen . Admitto ergo fallax esse argumentum à te propositum . Admitto pessimum esse arguendi genus à genere inferre species concedo libenter posse Deum pro libito & perfectiores in infinitum , & imperfectiores non tamen in infinitum , producere spiritus ; non in quam imperfectiores in infinitum cum enim nulla creatura vel habeat , vel habere possit perfectionum infinitatem , nulla est creatura quæ eadem in suà specie permanente , detrahere possit Deus in infinitum perfectiones ; Quare his omnibus respectivo in sensu concessis , nihil adhuc concludis . Prædicatum intelligentis non est tale ut sit à substantia spirituali per se subsistente amovibile prædicatum intelligentis non est peculiare alicui spirituum per se stantium speciei sive non differentiale spirituum , sed genericum omnique spirituum speciei de necesse & essentialiter conveniens ; quid enim est esse intellectivum nisi posse in res alias cognoscitivè transformari juxtà

quod

quod dicitur. *Intellectus intelligendo fit omnia?* Quid est potens fieri vitaliter repprefentativè omnia, nisi id quod omninò emergit è materià; quod est per se subsistens, potens naturaliter esse sine illà, nec ab illà indigens sustentari, nullumque tanquam sibi necessarium poscens subjectum? *in iis quæ sunt sine materià* (inquit Arist.) (a) *idem est intelligere, & intelligibile esse*. An non autem omnis substantia spiritualis quæcumque tandem ea sit, & quantumcumque imperfecta dicatur prorsùs omnem excedit materiam, potest & quidem naturaliter existere sine illà, atque non ex necessitate essendi subjectatur in illà? ergo omnis & quantumvis limitata spiritualis substantia est verè intellectiva. Ex his autem patet directa ad duplicem in contrarium rationem responsio. Ad primum quidem, nam præterquàmquod non servatur debita medii extremorumque distributio, unde peccat argumentum ratione formæ, falsum insuper est ratione materiæ, fit enim paritas de prædicato generico Metallum ad prædicatum specificum Aurum, in quo certè maximus error invenitur; non sic autem in nostro casu cum etenim, ut ostensum modo est, prædicatum intellectivi sit conveniens non alicui tantùm spirituum speciei, sed cuilibet spirituali substantiæ tanquam aliquod genericum, rectè inde inferimus quod si anima brutorum est substantia spiritualis, erit etiam intellectiva, non secùs ac ita argueremus. Omnis substantia spiritualis est intellectiva, anima brutorum est substantia spiritualis; ergo &c.

Ad

(a) *Lib. 3. de animà tex. 14.*

Ad secundum etiam, nam esto innegabile sit posse Deum spiritus perfectiores, in infinitum producere, non inde tamen consequitur fieri posse spiritualem substantiam sine prædicato eidem substantiæ genericè proprio; quod enim totius generis proprium est, cuilibet etiam speciei sub illo contentæ est essentiale; quod autem essentiale est, nec à Deo auferri potest re ipsâ, adhuc remanente, unde & rerum essentiæ æternæ hoc sensu dicuntur, improductæ, immutabiles &c. Sic quia esse sensitivum est prædicatum genericum animalis, licet possit Deus facere perfectiora vel imperfectiora animalia, facere tamen nequit ut animal, animal sit, & non sensitivum, sicut facere nequit quod simul sit, & non sit animal; atque intrà eandem speciem facere potest Deus vel magis vel minùs perfectos homines nullum tamen potest hominem facere qui verè sit homo, qui non sit & animalitate præditus, & rationalitate. Instituamus ergo alium de metallis sylogismum. V. g. Omne metallum est grave; sed aurum, sed argentum, sed æs est metallum; ergo aurum argentum, æs est grave. Non ne valet cùm ratione formæ, tùm ratione materiæ? Quid ni ergo valebit mox institutum argumentum. Omnis substantia spiritualis, est intellectiva &c.?

Sed opere pretium est ut jam perpendamus adducti, iique ni fallor unici subterfugii verba. Vident enim hujus sectatores sententiæ, seu ut quodam sagacis modestiæ titulo dici malunt (hypothesis) vident inquam admissâ semel verà in brutis animà spirituali negari ipsis cum veri-

tàte non posse vim intellectivam ac proinde cum sibi adversantes reperiant scripturas, istis nolunt contrariari, illas intellectivas asserendo, sunt enim Catholici; cum noverint esse contrà communem Doctorum mentem id ipsum asserere, non audent hoc brutis spirituali licet constantibus animà concedere prædicatum, sunt enim docti scientesque quod *qui contra omnes loquitur, insipiens est*. Hinc addacti sunt rem ipsam quam reverà negare non possunt, verbo tenùs inficiari, dicendo nimirùm bruta limitatissimum habere spiritum.

Phil. Utique id dicimus nec gratis, id enim patet si gradatio inter spiritus nobis notos instituatur. Deus enim est spiritus; Angelus est spiritus; anima rationalis est spiritus; anima bruti est spiritus; porrò sicut temerè quis diceret spiritum Angeli esse ejusdem virtutis, ac spiritus Dei; spiritum hominis ejusdem ac Angeli; ita nonnisi insulsè dicitur spiritus bruti eadem posse quæ spiritus hominis, sed sicuti spiritus Angelicus infinitè est inferior divino, humanus longè ab Angelico distat, ita Belluinus utpotè limitatissimus, quàm maximè distat ab humano.

Crit. Verba iterum das Phil. non vim infringis argumenti, quid enim quæsò te putas conficere cum ais, *limitatissimum brutorum spiritum?* Vel per *tò limitatissimum* extrahis brutorum spiritum à verà ratione spiritus, vel relinquis? Si primum; jam ergo fateris vel invitus brutorum animam verum non esse spiritum, verè non esse spiritualem substantiam, proindèque tota quæstio ad meram vocabuli novitatem reducitur, de qua cum

cum de re convenitur, non eſt diſceptandum; vel non obſtante tò limitatiſſimum, adhuc relinquis brutorum ſpiritum in verà ſpiritus ratione, adhuc contendis ipſum eſſe ſubſtantiam propriè ſpiritualem, & ſic inficiari non potes brutorum ſpiritui ea prædicata quæ genericam ſpiritus rationem, vel conſtituunt, vel conſequuntur. Dic ergo quantumvis limitatum brutorum ſpiritum, ad ſummum poteris hinc inferre limitationem hanc, quam belluino ſpiritui contrapoſitivè ad humanum vel Angelicum attribuis, eſſe non potentiæ remotæ, ſed proximæ, non in poſſe intelligere (verum enim habebit & quidem identificatum intellectum) ſed in intelligere actuali, quatenùs vel pauciores habet inditas ſpecies vel imperfectioribus organis præpeditur nè tantùm actu intelligat, quantùm cæteroqui poſſet intelligere; hoc autem quid eſt aliud quàm æquiparare Angelico, atque humano ſpiritui brutorum ſpiritum quantùm ad entitatem, inferiorem verò ſtatuere unicè quantùm ad actualem operationem?

Repetamus jam Sacræ Scripturæ verba & videamus num conſentaneum illi ſit dicere, bruta eſſe in ſenſu mox dictò intellectiva. *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus*. Sanè hæc verba clara ſunt non ambigua nullus eſt error ſi intelligantur ad litteram, ſed nullum etiam ſupereſt tibi effugium, ſi ita ut ſonant, intelligantur. Spiritus etenim Sanctus per ea denegat brutis, non intellectionem, ſed intellectum, non actum, ſed potentiam intelligendi; quì ergo dici

cum veritate poteſt bruta eſſe imperfectè licet, & limitatiſſimè intellectiva, ſcripturà abſolutè brutis denegante intellectum? An ne dici poterit imperfectè & utcumque viſivum quod prorsùs caret videndi potentià? Si itaque vis intellectiva ſeu intelligendi potentia, eſt intellectus, & intellectus brutis non ineſt, ævidens fit nullimodè bruta eſſe poſſe vel dici intellectiva, multòque minùs intelligentia.

Phil. Rectè concluderes ſi de neceſsè intelligenda eſſet ſcriptura abſolutè negare brutis intellectum, at quid vetat eam interpretari quaſi diceret. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus comparativè ad hominem non eſt intellectus*? Si verò ita explicetur, jam firmum adhuc manet, imperfectè ſaltem bruta intelligere.

Crit. Hoc jam prævideram à te reponendum, aſt jam aditum huic reſponſo præcluſit laudatus ſuperiùs regius Pſaltes dicens (a). *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Si etenim homo ſimilis factus eſt jumentis eo quia non intellexit, conſequens manifeſtum eſt, quod jumenta & bruta non intelligunt. Non ergo ſolùm comparativè ad hominem, ſed abſolutè & nullà factà comparatione brutis non ineſt intellectus, atque abſolutè intelligenda eſt ſcriptura de brutis dicens, *Quibus non eſt intellectus*. Hinc & Pagninus vertit, *Quibus non eſt intelligere*. Porrò in quo ſita eſt ratio hanc fundans ſimilitudinem hominem inter & bruta? Utique in negatione intelle-
ctionis.

(a) *Pſal*. 48.

ctionis, quia nimirum potens noluit intelligere, similis factus est jumentis, habentibus non quidem voluntariam & accidentalem, sed necessariam & essentialem intellectionis negationem; ratio etenim similitudinis, si non eodem modo, eadem tamen in utroque extremo repperiri debet, perinde ac si de homine de loco ad locum transire obligato, immoto tamen manente, diceretur. Comparatus est simulacro & similis factus est illi; quemadmodum enim naturalis est simulacro quies quæ libera est homini, ita naturalis est brutis negatio intellectionis quæ voluntaria est & culpabilis in homine in honore constituto. Eundem locum ita exponit Jorgius Cardinalis. ***Quibus non est intellectus quasi dicat, in hoc efficiuntur jumentis isti similes, quod non habent intellectum, & certè in hoc sunt jumentis viliores; quod ipsi Intellectum receperunt & perdiderunt jumenta autem non receperunt.*** Sed ne te Phil. diutiùs detineam præsentem claudo sermocinationem cum eruditissimo viro Alphonso de Castro qui postquam retulit Philastrum de Gnosticis & Manichæis dixisse quod docuerint bruta intelligere & esse ratione prædita concludit (*a*). *Sit autem hæc Gnosticorum sententia aut Manichæorum, aut secùs res se habeat, non multùm curo, cum certum sit talem assertionem esse erroneam & sacris literis apertissimè contrariam. Nolite inquit Propheta fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus; falsum est ergo omnia bruta esse rationis capacia; & idem Propheta iterum ait. Homo cum in honore esset non intellexit comparatus est jumentis insi-*

(a) *Lib.* 3. *Verbo Bestia.*


insipientibus, & similis factus est illis. In quo autem similis factus sit declaravit cum dixit eum non intellexisse, per hoc enim quod non intellexit assimilatus est jumentis quoniam illa non intelligunt; si quidem bruta intelligunt, in quo quæso assimilatus est jumentis cum honorem in quo eum Deus constituit non agnovit? Ex his ergo duobus Scripturæ Sacræ testimoniis apertissimè convincimus bestias non esse rationis capaces. Hæc ille quibus nihil validiùs, nihil optabilius nihil clarius ad ratiocinii mei confirmationem, placitique peremptionem tui. Cæterùm displicet quod has inter collocutiones se nimium hora protraxit, nonnulla etenim mihi suppetunt per quæ ad loca à te adducta iterum respondeam, sed nè tuà abuti videar patientià, ea ad aliam remitto.

Phil. Reliqua si quæ habes audire non detrecto, non tamen modo, post prandium te auditurus redibo. Vale.

Crit. Quæ hucusque audisti, absens perpende, & te redeuntem excipiam ab abscedente diversum. Vale



OPI-



OPINIONI DE SPIRITUALI ANIMA' BRUTORUM

Adducta ex Scripturis Loca minimè favere, iterùm ostenditur

DIALOGUS IV.

Philadelphus, & Critophilus.

PHil. En Crit. quantùm mihi de victorià blandiar, cum tàm promptè ad certamen accedam; quæ dixeras tibi adhuc arma superesse deprome jam, irrito enim contrà me ea stringes conatu.

Crit. Puto me præterito discursu tàm clarè ostendisse tuam Scripturis Sacris adversari sententiam, ut tibi vera ex Scripturis responsio non suppetat, cæterùm nonnulla sicut promisi addam quæ magis ac magis ostendant, alienum esse à sensu tuo eorum locorum sensum quæ ex scripturis adduxisti. Vim ergo facis non modicam

dicam

dicam in duplici Ecclesiastis textu quorum primus est (*a*). *Similiter spirant omnia* qui variis exponitur versionibus hoc modo. *Omnibus unus spiritus*. Posterior verò, isque præcipuus, quo te invincibiliter jactas pugnaturum, ex eodem Ecclesiaste desumptus est ubi inquit (*b*): *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentornm descendat deorsum*? Jam verò sic exordior à primo. *Similiter &c.* Verum itaque est quod Hebraica, Syriaca, & Chaldaica vertunt. *Omnibus unus spiritus* at jam dixi aliàs hanc vocem spiritus non semper in Sacris Litteris accipi pro vero spiritu, unde & D. Aug. inquit. (*c*) *Sex modis in scripturis spiritum substantialiter dici, non nescio à vobis sciri; primo summus omnium Deus spiritus appellatur ut ibi. Spiritus est Deus, & qui adorant eum, in spiritu oportet adorare. Secundo Angeli spiritus dicuntur ut ibi. Qui facit Angelos suos spiritus. Tertio animæ spiritus nuncupantur ut ibi. Exibit spiritus ejus, & caro revertetur in terram. Quarto vita brutorum animalium spiritus vocatur ut ibi. Quis scit si spiritum jumentorum descendat deorsum. Quinto venti dicuntur spiritus ut ibi. Spiritus procellarum. Sexto aer scribitur spiritum, ut ibi. Os meus aperui & attraxi spiritum.* Quibus & ostendit S. Doctor quàm variè hoc nomen spiritus in scripturis usurpetur, & indirectè saltem negat nomen spiritus brutis applicatum significare verum spiritum, dum secernit animam bruta informantem ab animà hominis de qua immé-

(a) *C. 3. v. 19.* (b) *C. 3. v. 21.*
(c) *Lib. de cognitione veræ vitæ.*

immediatè antecedenter mentionem fecerat, non utique unam ab aliâ secreturus, si utraque apud ipsum verus spiritus foret; abbreviatâ enim in quinque tantùm membra inductione, dicere malluisset: *Anima quorumvis animalium spiritus nuncupatur* ut ibi. *Omnibus unus spiritus*.

In primis itaque si in hoc textu. *Omnibus unus spiritus* ly *spiritus* stet pro verâ substantiâ spirituali, jam hæc non erit versio illius loci *similiter spirant omnia*, sed erit absoluta mutatio, nam ly *spirant*, seu respirant denotat effectum vitæ sensitivæ nec aliquid dicit de illius principio; ly autem *spiritus* si supponat pro entitate substantiali spirituali, denotat principium vitæ, non verò effectum, immò neque denotare potest; nam spiritus verè, ac genuinè talis neque spirat, neque respirat, cum spirare & respirare viventis quidem & sensitivi sit proprium, semper tamen corporei, quale certè spiritus non est.

Insuper si tò *spiritus* stat ibi pro vero spiritu, vel tò *unus* immediatè præcedens, intelligi debet de unitate numericâ? & hoc non, id enim est error manifestus, atque fœtida hæresis; vel de unitate specificâ, & hoc neque, aliàs homo cum jumentis, atque omnibus animalibus brutis ejusdem foret speciei, quod sanè nonnisi à brutali, homine dici potest; vel denique de unitate similitudinis? Et hæc vel univoca est vel analoga? non univoca; cum etenim ista eandem specificè rationem formalem importet in utroque relationis extremò, jam rediret hominem in eàdem esse specie cum brutis; reliquum ergo est quod

H sit

sit analoga, hæc autem non est ad intentum, nam cum non postulet eandem proprièque talem rationem in utroque extremo, ut patet in animali sano, & medicina sanà & similibus analogis, in quorum uno sanitas propria repperitur, quæ nonnisi impropriè & per translationem dicitur de alio, consequens est τὸ *spiritus* accipi non posse pro vero spiritu, atque in omnibus propriè tali:

Quo ergo in sensu dictum erit. *Unus omnibus spiritus*? Utique in isto, quod nimirum *idem est omnibus halitus, eadem respiratio* ut vertit Symachus. Quod *idem omnibus flatus*, eademque *aura vitalis* ut legit Vatablus, quare ex hoc textu verus in omnibus animalibus, & propriè dictus spiritus non probatur; sed nè hoc ipsum non satis probasse videar; ex scopo Ecclesiastis ostendo, quod non ibi verè de animà, sed de corpore sermo sit sive hominis, sivè jumenti; de utriusque & respirationis, & expirationis in morte necessitate; inquit enim toto penè illo capite eundem hominum esse & jumentorum interitum, æqualem utrorumque conditionem, & hominem nihil ampliùs habere jumento; an non autem hæc insana deliria sunt de hominum brutorumque animis intellecta? An non certum est nè dum apud Ortodoxos, sed Ethnicis etiam apprimè suasum, animam hominis unà cum corpore non interire, proindeque quoad animam æqualem haud esse hominis cum bruto vel conditionem vel interitum? Sanè animam hominis cum corpore non perire, sed illi superstitem vivere, nonnè docuere Trismegistus, Orpheus, Socra-

tes,

tes, Musæus Pherecydes magister Pythagoræ, Aratus, Homerus, Empedocles, Seneca, Virgilius, & Phocylides cujus est illud: *Defunctis superest vita, & dii deinde creantur*. Quid ergo superest, nisi hominum jumentorumque comparationem, non de utrorumque animâ, sed de corpore ejusque interitu esse intelligendam? quod si ita est ut inficiari verè non potes, quid jam ad intentum concludi poterit per ea verba: *Similiter spirant omnia. Unus omnibus spiritus?* Nihil aliud porrò, nisi hoc unum, quod ab omnibus ultrò conceditur, eandem scilicet esse humani corporis ac belluini, sicut viventis respirationem, ita morientis corruptionem. Audire non pigeat quomodò hunc eundem Ecclesiastis locum intelligat Angelicus Doctor (*a*) *similiter* (inquit) *processus vitæ est similis quantùm ad corpus, ad quod pertinet quod dicitur in Ecclesiaste. Similiter spirant omnia*, & sapientiæ secundo *fumus & flatus est in naribus nostris &c. sed non est similis processus quantùm ad animam quia homo intelligit, non autem animalia bruta*.

Progredior jam ad secundum scripturæ locum. *Quis novit si spiritus filiorum Adam &c.* Hunc locum in primis non litteraliter sed mysticè intelligit ac exponit eggregius ille scripturarum scrutator & maximus Ecclesiæ Doctor D. Hieron. his verbis (*b*). *Quis scit utrum sanctus qui hominis appellatione dignus est, ascendat in Cœlum, & utrum peccator qui jumentum vocatur: descendat in terram? fieri enim potest utrumque pro incerto*

 vitæ

(a) *1. p. q. 55. art. 6. ad 1.*
(b) *Hieron. Comment. in c. 3. Eccl. lit. D.*]

vitæ bujus & lubrico statu, ut & justus concidat; & peccator resurgat. Nè tamen videar per mysticas expositiones eam vim fugere, quam facit textus, ut putas in sensu obvio, juvat observare, quod ubi vulgata dicit *& si spiritus jumentorum descendat deorsum*, textus Hebraicus Syrus, & Septuaginta addunt *in terram* quæ postrema verba non leviter indigitant de quo descensu sit sermo, scilicet de descensu per corruptionem atque interitionem, ostenduntque consequenter ibi nomine spiritus non substantiam intelligi spiritualem, quæ naturaliter mori nequit, vel corrumpi, sed accipi nomen illud spiritus in quadam latiori significatione, qua nimirum idem sonat ac anima seu principium vitæ, quod sanè non obscurè patet ex versione Chaldaica, quæ sic legit: *Quis est sapiens qui novit si spiritus & anima filiorum hominum .... spiritus & anima jumenti &c.* Ubi illa particula *et* non habet vim copulæ, sed disiunctionis ut per se patet, quare hunc locum vertit Campensis. *Quotusquisque interim novit, an hominis ascensura sit sursum, an anima reliquorum animantium cum corporibus interitura sit?* Ubi quod aliæ versiones legunt. *Spiritus*, ex hac non aliud est nisi anima quæcumque tandem ea sit, quæ quidem si in generali acceptione vocatur spiritus, non à spiritualitate, quæ soli animæ humanæ conveniens est, sed à respiratione quæ cuilibet animali convenit, ita appellatur, ut manifestè colligitur ex dictis superiùs, ubi ostensum est prædicata genericè convenientia spiritui, non convenire teste ipsà scripturà, animabus brutorum; & ex proxi-
mè

mè perpensis in explicatione illius loci. *Similiter spirant omnia*. Placet autem hic obiter animadvertere quod si scriptura constanter diceret. *Quis novit si anima filiorum Adam* &c.*& si anima jumentorum &c.* Jam nihil eo loci repperires quod sententiæ tuæ videretur favere, unde totam vim in eo reponis quod dicatur *spiritus* & *spiritus*, at quod immeritò vis tanta fiat in eo vocabulo, planè constat ex significato, sive animà pro qua ly spiritus accipitur, & colligitur ex Campensi & ex versione Chaldaicè & clarissimà *ex D. Th. 1. p. q. 9. art. 3. rel. Dial. 6.*

Neque verò aliquid urget quod Ecclesiastes dicat *Quis novit?* Nec enim vel nescientis, vel dubitantis, sed potiùs increpantis ea sunt verba; *Quis novit*, idest quis recogitat, & sibi persuadet animam humanam ascendere sursum ad Deum qui illam creavit, ut illam tanquam immortalem judicet, animam verò jumentorum simul cum corpore interire, nec esse quo ad animam parem hominis sortem & jumenti? Opportunè super hæc verba *Quis novit &c.* iterum D. Hieron. (*a*) *Non inter pecudes & hominem secundùm animæ dignitatem nihil interesse contendit* contenderet id autem si & humanam & belluinam animam verè spiritualem diceret. *Sed adjiciendo quis, difficultatem rei voluit demonstrare, pronomen enim quis in scripturis sanctis non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur*. Novit ergo Ecclesiastes, maximum esse discrimen animam hominis inter & jumenti, sed eos redarguit, qui quamvis speculativè sciant

(a) *Hier. commen. suprà cit.*

sciant eundem non esse humanæ, & belluinæ animæ finem, practicè tamen ita vivunt ac si id omninò nescirent, putarentque non secùs ac brutorum animas, etiam illas hominum simul cum corpore corrumpi & interire.

Phil. Falsum prorsùs est quod Salomon contenderet inter pecudes & hominem secundùm animæ dignitatem nihil interesse, si pecudum animas verè diceret spirituales; quia etsi tales forent, essent tamen in infimo spiritualitatis gradu, pauca tantùm intelligerent, nec essent conditæ ad imaginem Dei sicut animæ hominum consequenter istarum dignitas longè adhuc illas antecelleret.

Crit. Equidem miror quod iterum illi phrasi innitaris. *In infimo spiritualitatis gradu*; cum responsionem hanc intimè jam examinatam, audieris, nec infirmà ratione repulsam; ut quid quasi ineluctabilem responsionem profers, quam vanam & futilem silentio ipso confessus es? Solve prius, si vales, quæ in contrarium adducta sunt, & tunc quasi pacificus possessor, illam supponere, novamque petere solutionem poteris. Hoc itaque jure merito neglecto, reliquis adhibebo responsum. Bruta ergo, inquis, non erunt quò ad animam etsi spiritualem ejusdem cum animâ hominis dignitatis. Primò quia illæ pauca tantùm intelligerent. Secundò quia non sunt vel essent creatæ ad imaginem Dei; ut itaque primo faciam satis, suppono animæ dignitatem, de qua in præsenti fit sermo, non esse accidentalem & superadditam, sed materialem & entitativam, agi-
tur

tur enim de animà secundùm substantiam seu naturam suam, non verò de eàdem secundum operationem actualem, vel perfectam, vel imperfectam, vel moraliter bonam, vel moraliter malam &c. hoc sanè ævidens est legenti D. Hier. verba, eo tamen posito sic insurgo. Anima brutorum si spiritualis est, non minùs secundùm se est potens intelligere quàm anima hominis; ergo secundùm se & entitativè accepta ejusdem est dignitatis cum illà. C. clara est & legitima, ea enim quæ secundùm entitatem sumpta eandem habent potentiam in ordine ad actus æquè perfectos nobilesque, ejusdem etiam sunt quoad entitatem dignitatis. Probandum itaque superest antecedens quod licet ex suprà dictis satis evincatur, præstat tamen adhuc paulò fusiùs prosequi.

Si brutorum anima spiritualis est, non minùs emergit è materià, non minùs est per se subsistens & independens ab illà quàm anima hominis; ergo si spiritualis non minùs est potens intelligere quam anima hominis. Consequentia sequitur nam in illis prædicatis vis intellectiva fundatur, ut præclarè docet D. Th. his verbis (*a*). *Quia anima est immunis à materià, & omnis talis natura est intellectualis consequitur ut id quod in ipsà tenetur, ab ipsa intelligatur &c.* Ubi immunitatem sive exemptionem à materià assignat S. Doctor pro radice intellectivitatis; probatur ergo antecedens. Si anima brutorum est substantia spiritualis, non est minùs spiritualis quàm anima hominis; ergo non minùs emergit &c. quàm anima homi-

(*a*) *Dist.* 3. *q.* 4. *art.* 1.

hominis. Antecedens probatur substantia spiritualis est verus spiritus; atqui verus spiritus non suscipit magis & minùs in lineà spiritus; ergo substantia spiritualis non suscipit magis & minùs in ratione substantiæ spiritualis; sed si substantia spiritualis non suscipit magis & minùs in tali ratione, jam anima brutorum, si est forma spiritualis, non est minùs spiritualis quàm aliæ spirituales formæ adeoque quàm anima hominis; ergo si anima brutorum est substantia spiritualis, non est minùs spiritualis quàm forma hominis, nec consequenter minùs intellectiva. Novi equidem quòd etsi substantia non suscipiat magis & minùs, potest tamen una esse perfectior alterà, sic Angelus primæ Hierarchiæ substantia perfectior est Angelo Hierarchiæ inferioris, sic planta substantia imperfectior est animali, ast quod contendo est, non posse unam substantiam creatam, in ipsà lineà formali substantiæ, esse magis alterà vel minùs perfectam, quævis enim ex illis constituitur formaliter *per subsistere per se* quod inæquale esse non potest; quare cum intellectivitas sequatur ad spiritualitatem quæ in omni substantia spirituali creata æqualis est, æqualis esse debet & illa.

Phil. In transversum tuus te abripit ardor Crit., & si verè meam, tuam pariter eodem ictu confodis sententiam. An non tibi & Peripateticis omnibus in dubium est, dari in rerum naturà substantias magis vel minùs materiales? forma certè lapidis magis materialis est quàm forma plantæ; ista magis materialis quàm forma animalis, quomodo autem hoc ipsum poteris sustinere, si tuum

tuum contra me argumentum concludit. Arguo enim ad probandum non dari majorem, vel minorem formarum materialitatem. Forma plantæ non est magis, aut minùs materialis quàm forma bruti, vel lapidis; ergo &c Probatur antecedens forma plantæ est substantia materialis; ergo &c. probatur, c. Substantia materialis est vera materia; sed vera materia non suscipit magis & minùs in lineà materiæ; ergo &c. sed si substantia materialis non suscipit magis & minùs jam forma plantæ non est vel magis, vel minùs materialis quàm forma bruti vel lapidis; ergo &c. quod dabis, accipies responsum, eadem enim utrobique ratio militat.

Crit. Non contemptibilis utique instantia hæc est, at audi quomodo meum intactum relinquo, dum tuum dissolvo argumentum, Respondeo ergo nego antecedens ad ejus probationem concesso antecedente nego c. ad cujus probationem distinguo Majorem; substantia materialis est vera materia quantùm ad partem sui subjectivam, non verò quantùm ad partem activam seu informantem, concedo Majorem, quò ad utramque partem, nego Majorem & concessa Minori, nego c. Ad probationem distinguo subsumptum; sed si substantia materialis quò ad neutram partem sui suscipit magis vel minùs, jam forma plantæ &c. concedo; si non suscipit magis & minùs quò ad partem subjectivam, illud tamen admittit quò ad partem activam nego minorem, & c. Substantia itaque materialis completa, non est simplex, sed composita; duas apud Peripateticos partes importans, materiam nimirùm &

formam materialem; secundùm materiam utique substantia non suscipit magis & minùs, nec enim materia potest esse magis vel minùs materialis, cum sit in summo gradu materialitatis secundùm ipsam essentiam suam. At verò secundùm formam materialem potest dici substantia materialis esse magis vel minùs materialis, cum etenim materialis forma non ideo dicatur materialis, quia componatur ex materià, sed quia à materià pendet, & quidem essentialiter in fieri, & conservari, & operari; cumque dependentia unius ab alio possit esse major vel minor (nam quod positivum est, etsi non omne, suscipere potest magis vel minùs, fit ut una forma vel magis vel minùs alià possit dependere saltem in operari à materià, ex quo sequitur ut vel magis vel minus materialis sit & dicatur, & ratione illius formæ sic magis vel minùs materialis, sit magis vel minùs materialis ipsa etiam substantia completa materialis.

At verò anima, sive substantia spiritualis simplex est, & partibus componentibus omninò carens, atque non secùs ac anima hominis independens à materià, unde nihil habet per quòd cum veritate dici possit ipsà etiam animà hominis minùs spiritualis, quod enim omninò emergit è materià non minùs spirituale est alio similiter prorsùs emergente ab illà; nullà siquidem ratione suscipere potest magis & minùs omnimoda ejusdem negatio, ut per se ævidens est. Si ergo immunitas à materià est radix intellectivitatis, & in animà brutorum eadem dare-

tur

tur immunitas à materià quæ datur in animà rationali, consequens manifestè est, quod eadem utrobique foret intellectivitas, proindeque quantùm attinet ad prædicata essentialia, æqualis utraque esset dignitatis ac nobilitatis, quod fanè quàm turpe dictu sit, nemo non videt.

Hæc tamen quæ de ratione spirituum, utique creatorum, dicta sunt intelligi velim juxtà conceptum eorum negativum, quo & illos nosse pro hoc statu, & deffinire solemus, quantùm enim ad ea quæ dicunt de positivo & differentiali, sicut modò intelligere, ita neque valemus describere, hinc D. Damascenus ita de Angelis adinvicem comparatis loquitur (*a*). *Æquales nè naturæ inter se, an dispares sint, haud quaquam compertum habemus; solus ille scit qui eos creavit &c.* Nec minùs præfatæ doctrinæ consonat Angelicus Doctor, insinuans clarissimè, quod sicuti in irrationalibus, ita in intellectualibus naturis specifica differentia (quam ipse utique agnoscit in istis) non unius suprà alteram creatam intellectualem naturam, majorem importat nobilitatem, inquit enim (*b*). *Illud quod constituit in specie, est nobilius eo quod constituit in genere sicut determinatum indeterminato, habet enim se determinatum ad indeterminatum ut actus ad potentiam; non autem ita quod semper illud quod constituit in specie ad nobiliorem naturam pertineat, ut patet in speciebus animalium irrationalium, non enim constituuntur hujusmodi species per additionem alterius naturæ nobilioris suprà naturam sensitivam quæ est nobilissima in*

(a) *Lib. 2. de fide c. 3.* (b) *De Spir. Creat. art. 8. ad 9.*

in eis, sed per determinationem ad diversos gradus in illà naturà, & similiter dicendum est de intellectuali quod est commune Angelis. Quæ quidem graduum diversitas, non pro majori vel minori sensitivæ naturæ participatione usurpatur, nam ut habet commune proloquium, *Magis & minùs non variant speciem*, sed pro diversis, ejusdem in omnibus animalibus sensitivæ naturæ differentiis accipitur, ut patet consideranti, & tradit D. Th. *loco cit. in resp. ad* 8. & ex ipso doctissimi Salmanticenses (*a*).

Quin immò implicitè saltem ostendit quàm legitimè inferatur brutorum animas ejusdem esse cum animà hominis nobilitatis ac dignitatis, semel ac spirituales sint, in infimo licet spiritualitatis gradu. *Quod autem*, inquit (*b*) *est una sola species animalis rationalis, multis existentibus speciebus irrationalium, ex hoc provenit, quia animal rationale attingit in sui supremo naturam substantiarum spiritualium in sui infimo, supremus autem gradus alicujus naturæ, vel etiam infimus est unus tantùm*. Quibus planè constat, & quod bruta non participant de hoc infimo substantiarum spiritualium ordine, & quod si participarent de illo, æqualis in tali ordine forent dignitatis cum homine, cum unus tantùm sit gradus infimus, nec infimo gradu, infimior gradus, inveniatur, & infimum infimo in eodem ordine inæquale esse non possit.

Venio jam ad secundùm quo dicis animas bru-

(a) *Tract. 7. de Angelis disp. 1. dub. 5.*
(b) *Loco cit. in resp. ad* 10.

brutorum etsi spirituales, longè tamen inferiores esse animâ hominis, quia hæc ad Dei imaginem creata est, non autem illæ. Quantùm ad rei veritatem, meritò negas bruta condita esse ad imaginem Dei, sed quantùm ad cohærentiam doctrinæ, privilegium hoc soli homini cum Angelis commune, verè non poteris brutis ipsis denegare. Noveris ergo non esse Imaginem Dei in homine delebilem aut corruptibilem, ut blatherare ausus est Mathias illiricus lutheranus, sed naturalem, atque indelebiliter impressam, non quidem corpori, ut somniarunt Antropomorphitæ putantes docentesque Deum esse corporeum, sed animæ, ita ut perdi imago Dei non possit, nisi ipsa animæ natura perdatur; hoc itaque retento audiamus divini verbi interpretes, & videamus in quo animæ humanæ prædicato sita sit imago ista. *Hæc imago Dei sita est in mente hominis, sive in eo quod homo in summo rerum sit gradu in quo Deus est & Angelus, puta quod homo sit naturæ intelligentis* (a). Ita Cornel. à lap. In eo quod anima hominis sit incorporea. Ita Aug. In eo quod sit æterna & immortalis. Ita Origenes. In eo quod sit prædita intellectu, voluntate, & memoria. Ita Damascenus. in eo quod sit liberi arbitrii. Ita S. Ambr. atque iterùm perfectissimè Aug. Sicut Deus Pater per Intellectum se cognoscens producit Verbum seu Filium, & eum amando producit Spiritum Sanctum, ita homo intelligendo se, producit in mente suà verbum intelligibile sui ipsius expressivum, sibique simile, atque inde pro-

(a) *Comment. in Gen. c.* 1.

procedit in voluntate ejusdem amor.

Jam verò quis non videat, non hanc solius hominis cætera inter animalia esse prærogativam si bruta quæ aliàs irrationalia, spirituali formà dicantur instructa? Nonne quatenùs incorpoream & spiritualem habentia animam, dicenda erunt cum Aug. ad imaginem Dei creata? nonne si spiritualem, immortalem etiam habent animam bruta, in qua immortalitate imaginem Dei reponit Origenes? Nonnè si spiritualis est anima brutorum, Intellectu, Voluntate, & memorià instructa erit, in quibus imago Dei consistit ex Damasceno? Nonnè Domina erit & rectrix arbitrii sui, ut sit imago Dei juxtà Ambr. nonne denique & se ipsam agnoscet, & se ipsam agnitam amabit si spiritualis, habebitque consequenter maximè perfectam ab Aug. recensitam imaginem Dei? Quid autem homine indignius, quàm nativæ nobilitatis insignè commune facere vel brutis? Quid iniquius, quàm brutorum vilitatem æquare homini, Hominemque paulò minùs ab Angelis imminutum, ad vilitatem usque bestiarum deprimere? Ut quid nobis sacræ paginæ referunt quasi consultantem dixisse Deum. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, si jam ad sui imaginem vel ipsa condiderat bruta? Gaudeant jam & exultent omnes bestiæ agri, & de novo exquisitoque decore inventoribus gratiàs agant, exigantque (ab illis tamen) amorem amicitiæ, & ratione imaginis Dei, honorem ac reverentiam non eà minorem quàm homo homini debet; cur non? Cum naturæ similitudo

sit

ſit amicitiæ fundamentum cur non? Cum veneranda ſit in verà imagine, infinitè perfecti majeſtas Prototypi ..

Phil. Etiam hac vice communem utriſque promoves difficultatem Crit. ni enim cum Carteſianis ſentias, admittes cum Peripateticis veram in brutis cognitionem; hac autem ſemel admiſsà quomodo in ipſis imaginem Dei non eſſe ſalvabis?

Crit. Laudo Phil. reſponſionis dexteritatem, cum etenim nequeas ab animà ſpirituali brutorum ea removere prædicata, in quibus ex SS. PP: elucet & conſiſtit imago Dei, iis callido verè, ſilentio ommiſſis, ex reo, actoris perſonam induis, & voluntarià oblivione detentus ad hominem, ut putas, arguentem redarguis, atque perdificili adoriris argumento; ſed non hiſce deterreor, qui ſemper à tua abhorrui ſententià. Verum ergo eſt quod bruta cognoſcant,hoc enim communis hominum perſuaſio, gentiumque ante Carteſium conſenſus,quaſi naturæ ipſius vox ſuadet indubiè; hoc ipſa & varia & mira brutorum opera apertè evincunt, unde Aug. (*a*) *Puto te negare non poſſe beſtias habere memoriam, nam & nidos poſt annum reviſunt hirund ines, & de capellis veriſſimè dictum eſt.*

Atque ipſæ memores redeunt in tecta Capellæ.

Quod ſi memorià nihil aliud eſt, quàm rerum ſemel cognitarum aſſervatio & retentio, quis cognitionem brutis, deneget quibus ineſt memoria? Aſt obſerva quæſo quod aliud eſt bru-

ta

(a) *Lib. 1. de Muſica.*

ta simpliciter cognoscere, quod docent Peripatetici, aliud longè diversum bruta intelligere, quod tu de iisdem prædicas cum recentioribus. Cognitio purè sensitiva, quam brutis damus, non redit in se, sed objectum, cognoscere facit ignota; intellectiva verò est in se reflexiva, intellectumque non solùm de objecti, sed etiam de suimet existentià certificans; rursùs ut actus ad suas respectivè potentias referamus. Intellectus est ad ens & verum sub formali ratione entis & veri, cum non aliter singula percipiat quàm sub proprià entis & veri formalitate; sensus verò non fertur ad sensibile nisi materialiter, ad hoc nimirum vel illud, ex quibus neque communem valet rationem abstrahere, neque rationem sensibilitatis qua talem, & multò minùs rationem entis aut veri in illis percipere potest; ex hoc autem sive actuum, sive potentiarum quò ad actus suos maximo discrimine, liquet quod simplex merave apprehensio huic aut illi singulari materialique alligata semper objecto, potest esse à principio quod etsi tantisper, non omnimodè tamen emergat è materia, atque adeò sit materiale, cognitio autem quæ & attingit objectum, & in se reflectit; cognitio quæ materiale objectum à materialibus præcisum rationibus investigare novit, & suimet, atque principii sui excellentioris longè ordinis naturam ostendit ac dignitatem; essentialiter ista à principio spirituali procedit potente idem objectum, sub diversis iisque abstractis rationibus perpendere, volitivo proinde & libero ut eligat quid hic & nunc consideret, intellectivo


ut

ut consideret, memorativo denique ut rerum semel intellectarum species conservet; Quæ cum ita sint, planè constat in principio quidem spirituali & intellectivo, non verò in alio materiali & merè apprehensivo, quod non res trahit ad se sicut intellectus, sed à rebus trahitur sicut sensus, ea repperiri prædicata in quibus juxta SS. PP. doctrinam consistit indelebilis in homine imago Dei.

Phil. Non est opus me tibi ad singula respondere, omnia enim quæ hucusque prolixiùs quàm par esset, prosequutus es, tanquàm aranearum telæ hoc uno verbo exsuflantur. SS. Patres & quis sit scripturarum sensus, & quid rationi consonum, & quid inconveniens sit brutis, optimè norunt, & tamen brutorum animas indubitanter spirituales proferunt, verosque spiritus; non ergo est assertio nostra vel scripturis adversa, vel rationi incongrua, vel absurdis sequelis subjecta.

Crit. Si res ita se habeat ut tàm fidenter asseveras, victus arma depono, amicasque jungo manus; sed vereor, ne sicut scripturas, ita & SS. PP. in tuam nolentes sententiam traxeris; quia tamen momentum hoc, diligentius examen postulat, illud in crastinum reservemus.

Phil. Differamus ut placet, sed quæ tibi certaminis, erit mihi dilatio triumphi.



OPINIONI DE ANIMA' SPIRITUALI BRUTORUM

Non favet, sed contrariariatur D. Bernardus.

DIALOGUS V.

Critophilus, & Philadelphus.

CRit. Adventum tuum mihi semper gratissimum, plùs solito optavi Phil. ex quo enim mihi ex Sanctorum PP. in rem hanc auctoritate, certissimam minitatus es cladem, maximam te, immò veriùs illos audiendi anxietatem indidisti.

Phil. Quod lubens promisi, lubentior exhibeo. Duos itaque SS. PP. affero & doctrinà maximos,& auctoritate præcipuos.Et primo loco audi quid de animà brutorum clarissimè doceat D. Ber-

Bernardus (*a*). *Quatuor*, inquit, *ſpirituum genera nota ſunt nobis. Pecoris, noſter, Angelicus, & qui condidit iſtos; non eſt ex omnibus cui ſive propter ſe, ſive propter alium, ſive propter utrumque neceſſarium corpus non ſit, excepto duntaxat illo, cui omnis tùm corporalis, tùm ſpiritualis creatura meritò confitetur, & dicit. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Et primum quidem* (ſpiritum nempe pecoris) *ita corpore egere conſtat, ut nec ſubſiſtere abſque illo utcumque poſſit, ſimul quippe & vivificare deſinit & vivere ille ſpiritus, quando moritur pecus*. Secundo loco affero Angelici Doctoris textus, quibus intenta veritas per quàm clarè deducitur, inquit enim cognitionem nonniſi immaterialibus competere poſſe, his verbis (*b*). *Patet igitur quod immaterialitas alicujus rei, eſt ratio quod ſit cogniſcitiva, & ſecundùm modum immaterialitatis, eſt modus cognitionis; unde in ſecundo de animà dicitur quod Plantæ non cognoſcunt propter ſuam materialitatem*; Si ergo bruta cognoſcunt, principium aliquod immaterialitatis habere debent. Hoc ipſum iterùm diſertè docet hoc pacto (*c*). *Sed conſiderandum eſt quod quantò forma eſt nobilior tantò magis dominatur materiæ corporali, & minùs ei immergitur, & magis ſua operatione vel virtute excedit eam*. Cum itaque per omnes, ſi Carteſianos excludamus forma brutorum cæteris aliis formis (animà rationali exceptà) ſit nobilior, ſuà operatione vel virtute materiam corporalem excædere neceſsè eſt, ip-

K 2 tam-

(a) *Ser. 5. in Cant.*
(b) *1. p. q. 14. art. 1.* (c) *1. p. q. 76. art. 1.*

samque consequenter spiritualem esse.

Crit. Hæccinè sunt ex PP. momenta quibus causam hanc tutaris? Hæccinè arma quibus de victoria gloriabundus exultas? Crede mihi ruit spontè suà machina umbraticis hisce columnis suffulta. Et primò quidem. D. Bernardus non ex professo de hac pertractat materià, unde ejus verba tanti esse non debent, ut faciant nos deflectere à communi sensu; sed esto datà operà de hoc pertractet; sufficit ne unus alicujus Doctoris textus, ut quæ fuerit ejus vera mens colligatur? Certè si ad evincendam spiritualem in brutis animam, satis est quod illa à D. Ber. vocetur spiritus. Quid ni & constet Angelum esse corporeum, cum illum appellet *Animal rationale* D. Greg.? At dices quod non præcisè colligis assertum tuum, ex quo utcumque animam bruti appellitet Bern. nomine spiritus, sed potissimùm quia hanc ipsam animam quam vocat spiritum, collocat simul cum divino, Angelico atque humano spiritu; unde cum tres isti citrà dubium omne, veri sint spiritus, non est cur talis non sit dicendus & spiritus pecoris. Sed ut hoc ipsum ostendam solidum non esse argumentum, dicas quæso num D. Ber. septem Catholicè admiserit vera Sacramenta, an numero plura?

Phil. Injuriosa est tàm Sancto, eruditoque Doctori, petitio ista; suspectus ne unquam fuit aut esse potuit de Fide tantùs Doctor Ecclesiæ? Quomodo ille in numero Sacramentorum, Ecclesiæ non consentiat, qui ab illà vel latum unguem, nunquam discedit?

Crit.

Crit. Ne irascaris Phil. , injuriam etenim quam Bern. à me putas irrogari , nullam citò ostendam , sed fictam , potiùs dubietatem agnosces , ad evincendam tamen nullitatem argumenti tui maximè conducentem ; non ergo te pigeat audire quæ de Lotione pedum inquiat idem S. Doctor (*a*) . *In hunc itaque modum appropinquans Passioni Dominus , de gratià suà investire curavit eos , ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur ; ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta* . Attende Phil. *ad hoc Eucharistiæ participatio , ad hoc pedum ablutio , ad hoc denique Baptismus ipse* . Audis nè quod sicut spiritum pecoris cum aliis veris spiritibus composuit , ita Ablutionem pedum inter vera,& strictè talia collocat Sacramenta Bern. , si ergo ex quo cum veris spiritibus recenseatur spiritus pecoris, legitimè per te deducitur ex mente S. Doctoris animam pecudis verum esse spiritum non minùs ac veri sint spiritus anima rationalis , Angelus , & Deus ipse ; qnomodo negare poteris Ablutionem pedum juxtà eundem verum esse Sacramentum non minùs ac Eucharistia & Baptismus ipse , cum illa inter hæc enumeretur ?

Urgeo fortiùs nam cit. ser. in Cantica postquam dixit . *Quatuor spirituum genera , nota sunt nobis &c.* Non prosequitur ostendendo spiritum pecoris verè esse spiritum propriè que talem , ut patet legenti ; at verò laudato ser. in cœna Domini pergit luculenter probare pedum Ablutionem verum esse Sacramentum,subjungit enim (*b*). *Nam ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus ,*

(a) *Ser. in Cœna Domini n. 1.* (b) *Cit. ser. n. 4.*

mus, habemus ejus Sacramentum pedum ablutionem; quæris fortè unde sciam quod Sacramentum sit hujus remissionis? Maximè cum ipse Dominus promiserit Petro dicens; quod ego facio tu nescis modo, scies autem posteà, nihil; autem de Sacramento locutus est. Et post pauca subjungit. *Vis nosse quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum est. Si non lavero te non habebis partem mecum; aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei.* Concludendum erit ergo, quod vel nullum est argumentum ad evincendum de mente Bern. verum in brutis spiritum hoc quod est spiritum pecoris nominari ab ipso simul cum spiritibus propriè talibus, vel validum esse argumentum ut colligamus de mente Bern. plusquam septem esse Ecclesiæ Sacramenta, hoc quod est ablutionem pedum fuisse ab ipso vera inter Sacramenta collocatam.

Dices opinor, & benè Sacramenti nomen hic à Bern. generalius sumi, prout non tantùm vera novæ legis Sacramenta, qualia inter cætera sunt Baptismus, & Sacramentum Altaris, sed etiam Sacramentalia comprehendit (*a*), & ea quæ à Ber. eidem ablutioni tribuuntur, non tribui tanquam ex opere operato causanda, quod proprium novæ legis Sacramentorum est, sed tantùm ex opere operantis, quod convenit Sacramentalibus; unde stat ablutionem pedum verum non esse Sacramentum, etsi cum veris reposita Sacra-

(a) *Horstius in notis D. Bern. ad hunc locum.*

Sacramentis inveniatur; attamen ex hoc responso, quod unicum ni fallor est, aut certè verissimum, corruit vis illa, quam in eo facis quod Bern. cum triplici verò spiritu, spiritum pecoris annumeret; optimè enim respondetur dicendo accipi eo loci hoc nomen spiritus sub latiori quadam ratione, quæ quamcumque entitatem ex materià non compactam contineat, sive verus posteà sit spiritus, sive non.

Quoniam tamen instantia, indirecta est dumtaxat objectionis solutio; videamus num verè textus ex Bern. allatus, comprobet verum brutis spiritum inesse; & ut verum fatear; Audieram aliàs locum hunc Bern. ab aliis in rem hanc circumferri, legeram citatum apud D. Magalotti (a), sed semper, sicut & modo, admirans à viris cæteroqui doctis, eum textum adduci, cujus contextus eorum sententiam jugulat; Postquàm enim dixerat. *Quatuor spirituum genera nota sunt nobis &c.* ita prosequitur. *Et primum quidem* (spiritum scilicet pecoris) *ita corpore egere constat, ut nec subsistere absque illo utcumque possit, simul quippe & vivificare desinit & vivere ille spiritus, quando moritur pecus*. Ponderemus tanti Doctoris verba, & videamus tuæ nè an oppositæ sententiæ faveant. Spiritus itaque pecoris, teste Bern., ita indiget corpore, ut sine illo, non tantùm non subsistat (quod posset evenire ex mero placito Dei, illum nolentis ampliùs conservare) sed ita ut sine illo nec subsistere utcumque possit, quod certè non ab extrinseco seu à liberà voluntate Dei, sed ab intrinseco sive ab ipsà talis spiri-

(a) 1. *p. ep.* 24. *pag.* 407.

ſpiritus naturà proveniat necesſè eſt, quin immò pro indubio id à Bern. ſupponitur (a), ibid. enim cum dixiſſet Angelicum ſpiritum, atque humanum egere corpore, ut per illud rerum ſpecies recipiat, inquit. *Hìc ſi mihi objicitur de parvulis regeneratis, quod abſque ſcientià rerum, corporalium exeuntes de corpore, ad beatam vitam nihilominùs tranſire credantur, breviter reſpondeo hoc illis conferre gratiam, non naturam, & quid ad me de miraculo Dei, qui de naturalibus diſſero?* Obiter moneo nè mireris quod dicat Bern. Angelum indigere corpore nam in eodem ſerm. de hoc ipſo dubitativè loquitur (dubitare autem ei licebat ſicut & alii PP. dubitarunt) cum nundum oppoſita, veritas eſſet ab Eccleſia ſicut modo eſt, deffinita & judicium ſuum ſapientioribus ſubmittit inſtrui deveritate cupiens.

Quod ergo ad rem noſtram attinet. De naturalibus diſſerit S.Doctor cum ait animam indigere corpore ad rerum notitias aſſequendas, cum ait ſpiritum pecoris indigere corpore ut ſubſiſtat, cum ait illum ſine corpore ſubſiſtere nullimodè poſſe; eſt ergo juxtà Mellifluum ſpiritui pecoris naturalis interitus & corruptio, quia nimirùm ita ille ſpiritus à corpore dependet, ut vivere in ſe ipſo non poſſit, niſi illud vivificet, ſubjectatus in illo. *Simul quippe & vivificare deſinit & vivere ille ſpiritus quando moritur pecus.* Sed proſequamur audire S. Doctorem, ut dilucidè conſtet quem nam ſpiritum agnoſcat in pecore. Eodem ergo laudato ſermone 5. in cantica ſic loquitur (b). *Irratio-*

(a) *N.* 1. (b) *Ibid. n.* 3.

rationalis nempe spiritus etsi corporalia per corpus & ipse hauriat , nunquid tamen , eousque juvatur corpore suo , ut etiam ad spiritualia & intelligibilia proficiendo pertingat (a) ? Et n. 4. ita prosequitur : *Nec brutus ergo, nec Angelicus spiritus ad ea capessenda quæ beatam spiritualem faciunt creaturam suis ullo modo corporibus adjuvantur ; ille quidem pro innatâ stoliditate non capiens ; iste verò pro excellentioris gloriæ prærogativâ non indigens* . Denique ut multa alia mittam sic alibi effatur (b) . *Nam pecus quidem si se ratione non regat , excusationem habet à naturâ , à qua hoc ei penitùs munus negatum est* . Colligamus jam quæ ex Ber. retulimus prædicata brutorum , spiritui vel denegata , vel attributa , ut planè constet quem spiritum in illis tantus Doctor agnoscat . Sentit itaque Ber. spiritum pecoris talem esse , ut sine corpore nullimodè subsistere possit , quin etiam illum naturaliter desinere cum moritur pecus ; docet spiritum pecoris esse irrationalem ; ait illum habere innatam seu naturalem stoliditatem ; asserit denique negatum prorsùs esse tali spiritui ab ipsâ ejus naturâ posse intelligere , & ratione uti . Hisce porrò auditis , quid inferendum expectas Phil.? E' duobus unum concedere teneris aut Bern. de substantiâ spirituali pessimè sensisse , aut non de vero in brutis spiritu fuisse loqutum .

Phil. Puerorum terriculamentum est dilemma istud , nec enim aliunde speciem roboris accipit , quàm ex falso , quo pertinaciter detineris supposito , quod nimirùm omnis spiritualis sub-

 stantia

(a) *Ibid. n. 4.* (b) *Ser. 36. in Cant. n. 8.*

ſtantia ſit naturaliter incorruptibilis, & intellectualis, cum tamen non deſint maximè notæ Theologi, quos inter Scotus & Sanchez docentes ſubſtantias creatas ſpirituales eſſe tantùm immortales ab extrinſeco. ſpectatà nempè Dei providentià qua vult eas in æternum conſervare; hinc dicitur ſpiritus pecoris deſinere hoc moriente, quia Deus illum ampliùs conſervare detrectat; Neque etiam verum eſt ſubſtantiam quamlibet ſpiritualem eſſe debere intellectivam, multi enim quos citat Dominicus Viva in ſuo curſu Theologico, affirmant poſſibilem eſſe ſubſtantiam ſpiritualem ſimpliciter non cognoſcitivam; à fortiori ergo dari poterit ſubſtantia ſpiritualis aliquorum tantùm cognoſcitiva non tamen propriè intellectualis aut valens ratiocinari; Quare ex quo mox adducta de ſpiritu pecoris dixerit Bern., neque ſequitur vel ipſum malè ſenſiſſe de naturà ſubſtantiæ ſpiritualis, vel de non proprio in brutis ſpiritu fuiſſe loqutum, immò manifeſtè contrarium.

Crit. Admitto equidem, nonnullos viſos eſſe inficiari ſubſtantiæ cujuſvis creatæ naturalem incorruptibilitatem cum Scoto quem pluribus carpit Melchior Canus (*a*), quanquam ſi Scotus ipſe attentiùs inſpiciatur, non negat naturalem talibus ſubſtantiis incorruptibilitatem, ſed innani hilabilitatem, unde de nomine potiùs quàm de re eſſe Scotum inter & alios controverſiam hanc, cenſuit pereximius (*b*) Scotiſta Maſtrius, qui & [illegible] lucu-

(a) *Lib. 12. de locis Theologicis pag. 609.*
(b) *Diſp. 2. de Angelis q. 2. art. 1.*

luculenter respondet ad Vasquetii, aliorumque objecta, nec se à Magistro suo putans abscedere sustinet Angelos naturâ suâ incorruptibiles esse atque immortales; quidquid tamen de hoc sit, constat & naturali ratione & SS. PP. testimonio, & ineluctabili Conciliorum deffinitione Animam Spiritualem & intellectivam esse naturâ suâ immortalem; ratione quidem substantia enim spiritualis & est in se ipsâ omninò simplex nec proin in partes divisibilis, & est in suo fieri & esse independens à materiâ, nec nisi per accidens (si sit forma corporis) pendet à corpore in operando, ratione scilicet phantasmatis quo tanquam aliquo præsupposito indiget, non potest ergo substantia spiritualis corrumpi vel per divisionem partium, quibus caret, vel per separationem à materiâ qua non eget neque ut fiat, neque ut subsistat, neque etiam propriè, ut operetur, ejus enim operatio utpotè spiritualis, longè materiam omnem superexcedit; ex PP. itidem, ait enim Chrysostomus (*a*) eos philosophos qui de animæ immortalitate dubitant, etiam posse addubitare num in meridie sit dies. D. Th. inquit (*b*) *Patet igitur quod Intellectus humanus est incorruptibilis; ergo & anima humana quæ est intellectiva substantia*. Rursumque sic loquitur (*c*). *Necessè est dicere animam intellectualem esse, incorpoream, subsistentem, incorruptibilem*. Denique Concilium Lateranense sub Leone X deffinit animam intellectivam esse naturâ suâ immortalem his verbis. *Cum itaque diebus nostris (quod dolenter referimus)*

L 2 ziza-

(a) *Homil. 4. de provi.* (b) *2. 2. gentes c. 79.*
(c) *1. p. q. 75. art. 1. & 6.*

zizaniæ seminator antiquus humani generis hostis nonnullos perniciosissimos errores, à fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare, & augere sit ausus, de naturà præsertim animæ rationalis, quod videlicet mortalis sit .... & nonnulli temerè philosophantes, secundùm saltem philosophiam verum id esse asseverent. Contrà hujusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante concilio, damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse ... & hæc in dubium vertentes &c. Et prosequitur afferendo loca Sacræ Scripturæ quæ id ipsum evincunt. Anima ergo intellectiva ex naturà suà non est mortalis, sed immortalis juxtà Concilii deffinitionem, dici proinde nequit ipsam esse ab extrinseco tantùm, seu ex mero placito Dei immortalem; Cum autem eadem sit ratio de anima intellectiva hominum, & spirituali brutorum (nam & ista foret in supremo rerum ordine in quo illa est) & animam spiritualem brutorum necessè est dicere naturaliter incorruptibilem ac immortalem. Subsummo jam; sed ex D. Bern. spiritus pecoris subsistere non potest moriente pecude, desinit ex natura suà vivere cum desinit vivificare; ergo vel D. Bern. pessimè sentit de naturà substantiæ spiritualis, vel de spiritu propriè dicto verba non facit; Cumque primum sine maximà temeritate dici nequeat, reliquum est, ut fatearis secundum, subindeque nullatenùs tuæ Bernardum militare sententiæ.

Phil. Vide quàm liberaliter tecum agam Crit. concedo animam brutorum esse ab intrinseco

ſeco incorruptibilem atque immortalem ; aſt quid inde ? Quæres nè quid erit de illà poſt ejus à corpore ſeparationem ? Reſpondeo S. Bern. ſatis clarè pronuntiaſſe , animam brutorum defficere moriente bruto ; Quare ſi tanto Doctori ſtandum eſt, dico quod Deus illam deſtruat per annichilationem; cum enim creata ſit in gratiam corporis, iſto pereunte & illa deſinere debet . Neque verò mirum eſſe debet , quod brutorum anima de ſe immortalis dicatur , habet enim in hac re commune privilegium cum materià, quæ ex naturà ſuà defficit numquam , mutat ſiquidem ſitum , mutat figuram materia , modo in quiete eſt , modo in motu , at abire in nihilum nequit , niſi id efficiat Deus, dum ab eà conſervandà ceſſat ; ſic defficit brutorum anima, dum eam ampliùs non conſervat Deus , quo utique conſervare ceſſante , quis etiam Angelorum ſubſiſtet ?

Crit. Piè concludis Phil. cum aſſeris divini conſervativi influxus in rebus omnibus neceſſitatem, ut perſeverent in eſſe ; at poſtquàm laudavi pietatem , fas eſt revelem & reſponſionis inconſtantiam , & incohærentiam doctrinæ ; Dicebas priùs me falſo laborare ſuppoſito , quod nimirùm omnis ſubſtantia ſpiritualis ſit immortalis , adducebaſque cum Scoto alios pro oppoſità ſententià ; & tàm citò in meam deflectis ? non hoc liberalitatis eſt , ſed inconſtantiæ, dum ſtringi metuens , modo ad hanc , modo ad illam partem declinas . Sed ut veriùs loquar , quod te fingis donare , coactus concedis ; incohærentiam inſuper doctrinæ oſtendo ; Ais ex allato D. Ber. loco probari verum

verum in brutis spiritum, & concedis verum spiritum esse naturà suà immortalem? Quà sanè ratione compati possunt, hæc duo & spiritum verè talem esse ex se incorruptibilem, & ex Bern. evinci in brutis spiritum propriè talem, cum clarissimè eo loci doceat Bern. spiritum pecoris in ejus morte desinere? Neque est quod reponas illum desinere quia à Deo annichilatur; id enim manifestè Bern. contrariatur, dicenti quod spiritus pecoris ita indiget corpore, ut sine illo subsistere utcumque non possit, atque ibidem profitenti, se non de iis loqui quæ fiunt per miraculum Dei, sed de rebus secundùm earum naturam inspectis; sanè annichilatio rei creatæ & est actio libera Deo, ut est evidens, & est non naturalis, sed miraculosa teste D. Th. (a) *Creaturarum autem naturæ hoc demonstrant, ut nulla earum in nihilum redigatur*. Si autem annichilatio est libera Deo, & nulli rei naturalis, quomodo de spiritu brutorum secundùm ejus naturalia disserens Bern. intelligi potest de desitione ejusdem spiritus per annichilationem factà cum ait. *Spiritum pecoris, sine corpore subsistere utcumque non posse*. Nonnè potest. Deus sine miraculo ab aliquo abstinere miraculo? Nonnè potest Deus ab eà abstinere actione quæ sibi est omninò & naturaliter liberà? Fortè nè talis est aut saltem à Bern. putatur spiritus pecoris ut eam annichilationem, quam nulla creatura exigit, ille naturaliter petat? Aut ea annichilatio quæ est libera Deo quoad alias quascumque creaturas sit illi necessaria quantùm ad spiri-
tum

(a) 1. p. q. 104, art. 4.

tum pecoris è corpore solutum? Vide quæso quot falsa S. Doctori appingas; & quàm chimericam fingas creaturam. Neque verum est eam animam creari in gratiam corporis, sed immò corpus est in gratiam animæ, ut clarè insinuat D. Th. inquiens (a). *Cum forma non sit propter materiam, sed potiùs materia propter formam, oportet rationem accipere quare materia sit talis, & non è converso.*

Addebas quod spiritus belluinus ut incorruptibilis, habet commune privilegium cum materià quæ mutat quidem situm, figuram &c. incorrupta tamen manens; ast licet fatear id verum esse de ista, falsum tamen est de illo, teste eodem Bern. spiritus enim pecoris ex mellifluo nec manet, nec manere potest separatus à corpore, nec aliud corpus informat, *simul quippe & vivificare desinit, & vivere ille spiritus*, cum tamen materia non desinat esse per prioris situs desitionem, & veteri ammissà figura, induat novam; ut itaque commune foret & spiritui brutorum, & materiæ in ratione incorruptibilium privilegium, deberet spiritus bruti solutus ab uno corpore, & entitativè superesse, & novum informare corpus; quemadmodum materià ipsa dum pristinam deperdit figuram, & manet in se quantùm ad entitatem, & novam recipit configurationem, quod tamen & favet quàm maximè Pittagoreæ metempsichosi, & manifestè alienum est à mente Bern. eo ipso in textu expressa, quo te confidebas rem totam satis confecisse; Quomodo enim mortuo

(a) 1. *p. q.* 76. *art.* 5.

tuo pecore superstes est ejus spiritus si desinit vivere, cum in viventibus idem sit & vivere, & esse?

Procedo nunc ad secundam tuæ responsionis partem, qua dicebas ex P. Dominico Viva alios citante, possibilem esse substantiam spiritualem simpliciter non cognoscitivam; qua stante sententià, inferebas non deduci ex doctrinà Ber. spiritum pecoris haud verum esse spiritum ex quo ipse huic deneget vim intellectivam; Atque in primis vellem tantisper reflecteres, quod si de spiritus naturali incorruptibilitate interrogeris, confugis ad peculiarem paucorum suprà plurimos & numero & doctrinà potissimos auctoritatem, & quorum sententia saltem reductivè, Ecclesiæ dogmati videtur opponi; Si de spiritualis substantiæ intellectivitate inquiraris, ad pauciorum itidem opinionem recurris omnibus, pœnè contrariam Theologis, nam ut testatur Suarez (a). *Verius videtur esse impossibilem substantiam creatam spiritualem & incorpoream, quæ intellectualis non sit, quod videntur D. Th. supponere, & omnes Theologi, & D. Dionisius toto libro de cælesti Hierarchià, nam inde colligit Angelos esse intelligentes, quia sunt similes Deo in esse spirituali & immateriali, & quo in hoc puriores sunt, eo esse in intelligendo perfectiores*. Quid autem est hoc nisi facto ipso ostendere quantùm, ad minùs nutet sententia tua, nutantibus hisce fundamentis innixa?

Vellem observares ulteriùs, quod etsi concederetur creari posse substantiam spiritualem non intel-

(a) *Tomo 2. disp. 35. sec. 3. n. 20.*

intellectivam , negare adhuc cum veritate nequis vim intellectivam brutorum spiritui ; quid enim est quo moveris ad tribuendam brutis animam spiritualem ? Sanè ad id afferendum te inducit brutorum præsertim Industria , Solertia , Sagacitas , Erudibilitas , quæ quidem cum procedere nequeant ex materiâ (ex qua compactam putas materialem animam) neque ex naturali instinctu , quem fortè ut inexplicabilem admittere detrectas , sicut ex hoc capite illum refellit P. N. (*a*) Sallier (perperam tamen , nec enim difficultas ad explicandum quid res sit , sufficiens est argumentum ad negandum quod res illa sit , sic ut multa mittam , difficillima explicatu est libertas Dei , quis tamen nisi insanus illam negabit ?) proveniant necesse est ab animà spirituali ; Quomodo autem spiritualis brutorum anima aut industrià aut solertià , aut sagacitate pollere , aut erudiri potest , si sit substantia simpliciter non cognoscitiva ? Convinceris ergo nihil tibi ad intentum eam esse , quam affers sententiam de possibilitate substantiæ spiritualis simpliciter non cognoscitivæ , spiritumque quem in brutis agnoscis , spirituali sibique proprio modo cognoscere esseque proinde verè intellectivum .

Ast faveat tibi vel non , sententia hæc , non debet tàm facilè arridere , contraria enim est SS. Patribus D. Th. (*b*) D. Dyonisio (*c*), D. Aug. (*d*)

M & com-

(a) *Sallier Pensèes Sur l'Ame raisonnable art. 12. pag.* 249.
(b) 1. *p. q.* 14. *art.* 1. (c) *Lib. de Celes. Hierar.*
(d) *Lib.* 12. *de Gen. ad litt. c.* 10.

& communi Theologorum sensu, ut suprà dictum est ex P. Suarez, nec infirmà ratione refellitur; est enim impossibilis substantia spiritualis habens esse simpliciter, quæ non habeat operationem sibi connaturaliter proportionatam; operatio autem substantiæ spirituali proportionata, est necessariò spiritualis cum sit à, & in substantià spirituali, debet esse vitalis & immanens cum sit à, & in substantià vivente. Atqui operatio spiritualis, vitalis, & immanens, est intellectiva, est enim in perfecto operationis gradu, sicut principium à quo procedit est in perfectissimo rerum ordine; ergo operatio connaturaliter proportionata substantiæ spirituali, est operatio intellectiva; ergo est impossibilis substantia spiritualis non intellectiva, sive non potens connaturaliter intelligere; probatur assumptum; non potest nisi gratis negari tàm convenire animali sensum, quàm spiritui intellectum; atqui est impossibile animal saltem in actu primo non sentiens; ergo pariter est impossibilis spiritus saltem in actu primo non intelligens, sive non intellectivus. Minor nota est ex deffinitione animalis, major autem constat ex communi omnium penè consensu judicantium esse terminos reciprocè convertibiles Ens substantiale spirituale, & Ens intellectuale non minùs ac convertantur animal & principium sentiendi, c. verò sequitur legitimè ex paritate rationis.

Hisce omnibus animadversis sic præsentem disceptationem absolvo. Docente D. Bern. spiritus pecoris est naturà suà impotens subsistere

sine

sine corpore , est irrationalis , stolidus , nec se potens , ipsà id prohibente naturà ejus , regere ratione,neque ad ispiritualia & intelligibilia pertingere. Te ipso confitente spiritus pecoris est naturà suà immortalis , te concedente intellectivus limitatà quamvis intellectione ; ergo spiritus quem tu admittis in brutis non est idem cum illo de quo Bern. loquitur ; aut insuper Bern. malè sentit de naturà spiritus , aut non loquitur de vero in brutis spiritu ; quod si hoc secundum dicatur , ut dici debet , nedum non favet , sed tibi apertè contrariatur D. Bern. Sed nè tibi ulla vel levis umbra præsidii ex mellifluo Doctore supersit accipe ex alio Bern. monumento quem nam spiritum ser. 5.in cantica,in pecore agnoverit (a). *Est pecorum , est & arborum vita* , verba sunt S. Doctoris , *sensu altera vigens , altera carens at neutri tamen idem esse , quod vivere est* quod tamen animæ hominis antecedenter concesserat ; *cum (ut quidem multorum opinio est) antè in elementis quàm vel illa in membris , vel ista in ramis extiterint* ; *at secundùm hoc cum desinunt vivificare simul vivere cessant , sed non & esse , solvuntur pariter & dissolvuntur , tanquam non alligatæ tantùm,sed & colligatæ , neque enim unum simplex est quæque barum sed ex pluribus constans , & propterea non redigitur in nihilum , sed dissilit in partes , ut ad suum quodque recurrat principium verbi causà aer ad aerem , ignis ad ignem* &c.quæ quidem etsi ex aliorum opinione dicat , cum tamen hanc ipse non reprobet , nec aliam ejus loco substituat eidem censen-


 dus

(a) *Ser. 81. in cant. n. 3.*

dus est adhæsisse, atque hinc clarè constat quo in sensu serm. 5. in cantica dixerit. *Simul quippe & vivificare desinit & vivere ille spiritus, quando moritur pecus* conformiter nimirùm ad mox citata. *Cum desinunt vivificare, simul vivere cessant, sed non & esse*. Noli ergo jactare sententiam tuam quasi tanto Doctori consonam, cum eam illi, nisi cœcutias, clarè intuearis adversam. Vale



OPI-



OPINIONI DE ANIMA' SPIRITUALI BRUTORUM

Non favet, sed contrariatur D. Thomas

DIALOGUS VI.

Philadelphus, & Critophilus.

PHil. pluribus me hoc manè detinuisti, ut sententiam meam D.Bern.patrocinio destitutam ostenderes, nollem ut totidem à prandio mihi caput obrueres, ut eandem subducas ab Angelici Doctoris auctoritate, præsertim cum prætensum non habituros exitum labores in hoc tuos, prævideam certissimè.

Crit. Si unquam de victorià præsumpsi, utique hac vice; quid ni, cum potentissimum, eumque nunquam tibi conciliandum hostem, irrità

rità simulatione, aut certà deceptione gregarium militem tuum aut fingis, aut putas? Æquidem summoperè gavisus sum, cum nomen D. Th. in causam tuam à te ipso afferri audivi, pro certo enim habeo quod (sicut æquitas & ratio postulant) eàdem te vinci auctoritate patieris, qua te victurum putabas; Nec enim puto te cum iis annumerandum qui D. Th. sententias instar habent pallii quod pro libito, modò assumant, modò deponant, quamvis enim possit quispiam in multis sequtus Thomam, in aliquibus (debità tamen cum reverentià) discrepare, non tamen nisi insulsè poterit in unà & eàdem causà, in uno eodemve quæstionis puncto auctoritas D. Th. in probationem assumi cum favere putatur, & posteà rejici cum probatur contraria. Ut quid enim justa, licet contraria votis, illius repellitur, aut contemnitur (quod longè pejus est) responsio, qui quandiu favens videbatur, tanquam inviolabilis & perfectissimi judicii pro litis vel arbitro vel patrono fuerat assumptus? Quidquid tamen sis hisce responsurus, non curo; sat enim mihi est aut ostendere non evinci placitum tuum ex D. Thomæ auctoritate, si illud ex istà probare intendebas, aut tollere à sententià tuà, illius vel umbram patrocinii, de quo certè fidenter gloriabaris.

Allegas itaque in tui favorem duplicem Angelici locum, unum quo sic loquitur (*a*). *Patet igitur quod immaterialitas alicujus rei, est ratio quod sit cognoscitiva, & secundùm modum immateria-*

(a) 1. *p.* *q.* 14. *art.* 1.

rialitatis , est modus cognitionis ; alium verò , quem non minoris ad intentum efficaciæ putas , ubi ita effatur (*a*) . *Quantò forma est nobilior , tantò magis dominatur materiæ corporali , & minùs ei immergitur , & magis sua operatione vel virtute excedit eam* ; in quorum primo ex modo immaterialitatis , infert modum cognitionis , in secundo autem ex majori aut minori formæ nobilitate , majorem aut minorem immaterialitatem ejusdem . Dicas jam Philadelphe legistinè D. Thomam qui ipsum tuæ assertorem opinionis non dubitas venditare ? Si candidè loquaris , vix , & nè vix quidem , sed potiùs centonum instar , textus hosce in aliis voluminibus reppertos consuisti tibi, nec proinde mirum si ejus quem non legisti , mentem non es assequtus, nam ut ajebat quidam. *Haurit aquam Cribro , qui discere vult sine libro*.

Sed nè hoc ipsum tibi videar imponere placitorum tuorum summam colligamus in unum , & reducto (ut dicitur) ad filum lapide videamus num Angelica tuis asserta assertis conveniant , an potiùs toto cœlo discrepent . Primo itaque sustines brutorum animas veros esse spiritus. Secundo hos spiritus produci à Deo per creationem , & nonnisi per annichilationem desinere . Tertiò & consequenter ipsos esse per se subsistentes . Quartò eos habere vim immaterialem intellectivam , licet valdè limitatam . Quintò denique totum tibi negotium facessit quod anima brutorum nequit esse materia , ergo est spiritus, nam mate-

(a) *1. p. q. 76. art. 1.*

materiam inter & ſpiritum verè talem nihil mediat.

Comparemus modò ſingula cum Divi Thomæ doctrinà, & ſtatim perſpicies maximà illius luce, disijci quaſi tenebras, tuæ falſitatem opinionis. Veniamus ad primum. Dicis brutorum animas eſſe ſpirituales, veroſque ſpiritus. Oppoſitum clarè docet D. Th. inquiens (a). *Conſiderandum eſt quod anima rationalis, & anima eſt, & ſpiritus, dicitur autem eſſe anima ſecundùm illud quod eſt ſibi commune, & aliis animabus, quod eſt vitam corpori dare, unde Gen. 2. dicitur. Factus eſt homo in animam viventem, id eſt vitam corpori dantem; ſed ſpiritus dicitur ſecundùm illud, quod eſt proprium ſibi, & non aliis animabus, quod ſcilicet habeat virtutem intellectivam immaterialem.* Cum ergo ex S. Doctore anima rationalis habeat convenire cum aliis quibuſvis animabus quatenùs eſt anima, ſive quatenùs animæ præſtat effectum qualis eſt vivificare corpus, differat verò ab omnibus aliis in quantùm eſt ſpiritus, manifeſtum eſt nullam aliam præter humanam animam eſſe ſpiritualem de mente D. Th. ſeu verum ſpiritum, cum nullimodè queat ulli alteri animæ id convenire, per quod tanquam per propriam differentiam, anima hominis ſecernitur ab omni non ipsà.

Proſequamur. Aſſeris animas brutorum utpotè ſpirituales produci à Deo per creationem, contrarium docet Angelicus his verbis (b). *Dicen-*

(a) *1. p. q. 97. art. 3.*
(b) *1. p. q. 90. art. 2.*

cendum quod anima rationalis non potest fieri nisi per creationem , quod non est verum de aliis formis . Quibus ut vides de quavis alià animà negat fieri per actionem creativam . Sed expressiùs positionem hanc tuam alibi refellit dicens (*a*) . *Dicendum quod quidam posuerunt animas sensitivas animalium à Deo creari ; quæ quidem positio conveniens esset , si anima sensitiva esset res subsistens , habens per se esse & operationem, sic enim sicut per se haberet esse & operationem , ita per se deberetur ei fieri ; & cum res simplex & subsistens non possit fieri nisi per creationem , sequeretur quod anima sensitiva procederet in esse per creationem ; sed ista radix est falsa scilicet quod anima sensitiva per se habeat esse & operationem .* Quid clarius ?

Consequenter ad creationem per quam eas animas fieri putas , sustines illas esse per se subsistentes, & per solam annichilationem potentes desinere; sed præterquàm quod oppositum ostendunt mox laudata ex D. Th. , manifestæ falsitatis convincitur iterum ex eodem , qui in articulo cujus titulus est . *Utrum animæ brutorum animalium sint subsistentes* , conclusionem ponit negativam , & sic efatur , post nonnulla quæ more suo pro parte affirmativà præmiserat (*b*). *Sed contrà est quod dicitur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus . Solum hominem credimus habere animam substantivam , animalium verò animæ non sunt substantivæ .* Et posteà subdit . *Dicendum quod antiqui philosophi nullam distinctionem ponebant inter sensum & intellectum , & utrumque corporeo principio attribuebant . Plato autem*

(a) 1. *p. q.* 118. *art.* 1. (b) 1. *p. q.* 75. *art.* 3.

autem distinxit inter intellectum & sensum, ecce Phil. error tuus jam à D. Th. in Platone notatus. *Utrumque tamen attribuit principio incorporeo, ponens quod sicut intellgere, ita & sentire convenit animæ secundùm se ipsam, & ex hoc sequebatur quod etiam animæ brutorum animalium sint substentes*.

Tum sic prosequitur, evellens sententiæ tuæ fundamentum quinto & postremo adductum loco, assignans nimirum ex Arist. mediam inter utramque cum veterum, tum Platonis opinionem, cui ipse subscribit (a). *Sed Aristoteles posuit quod solum intelligere inter opera animæ sine organo corporeo exercetur; sentire verò, & consequentes operationes animæ sensitivæ manifestè accidunt cum aliquà corporis immutatione . . . & sic manifestum est quod anima sensitiva non habet aliquam operationem propriam per se ipsam, sed omnis operatio sensitivæ animæ est conjuncti; ex quo relinquitur quod cum animæ brutorum animalium per se non operentur, non sint subsistentes*. Ex quibus liquet animam sensitivam & non esse materiam ut volebant antiqui, habet enim communicare corpori sensum, qui in materià secundùm se non invenitur; & non esse subsistentem sive spiritum, cum propriam non habeat operationem, sed omnis ejus operatio sit per se à materià dependens, proindeque ipsam inter hoc utrumque extremum, medium quoddam esse.

Ostendendum jam est falsum similiter esse ex D. Th. quod animæ brutorum desinant esse per annichilationem. Quærit ergo S. Doctor, postquam

(a) *Ibid.*

quam docuit ſuperiori articulo poſſe omnia creata à Deo annichilari, *utrum aliquid in nihilum redigatur* difficultatem reſolvit negativè & affert illud Eccleſiaſtici 3. (*a*) *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus, perſeverant in æternum*. Subjungens de ſuo. *Dicendum quod eorum quæ à Deo fiunt circa creaturam, quædam proveniunt ſecundùm naturalem curſum rerum, quædam verò miraculosè operatur præter ordinem naturalem creaturis inditum. Quæ autem facturus eſt Deus ſecundùm ordinem naturalem, conſiderari poſſunt ex ipſis rerum naturis, quæ verò miraculosè fiunt, ordinantur ad gratiæ manifeſtationem ... creaturarum autem naturæ hoc demonſtrant, ut nulla earum in nihilum redigatur*; audi Philadelphe *quia vel ſunt immateriales, & ſic in eis non eſt potentia ad non eſſe, vel ſunt materiales, & ſic ſaltem remanent ſecundùm materiam quæ incorruptibilis eſt ... unde ſimpliciter dicendum eſt, quod nihil omninò in nihilum redigitur*. Porrò ſi nihil teſte D. Th. redigitur in nihilum, quomodo ſtat animas brutorum per annichilationem deſinere?

Regredi demùm oportet ad id quod quarto loco ajebas, nimirùm brutorum animas vim habere intellectivam immaterialem limitatam tamen, ſed hoc pariter non minùs reliquis à mente D. Thomæ alienum eſſe probant quæ ex eodem adduxi contrà primum aſſertum ibi etenim cum dixiſſet animam rationalem & animam eſſe & ſpiritum, inquit de eadem rationali anima differens (*b*). *Sed ſpiritus dicitur ſecundùm illud quod eſt proprium ſibi & non aliis animabus, quod ſcilicet habeat*

(a) 1. *p. q.* 104. *art.* 4. (b) 1. *p. q.* 97. *art.* 3.

habeat virtutem intellectivam immaterialem per quæ probat Angelicus animam rationalem à cæteris, animabus contradistingui, quia hæc est spiritus non verò illæ, atque insuper hanc esse spiritum & non illas, quia proprium hujus animæ est, non cæterarum, habere vim intellectivam immaterialem, consequenter constat hoc etiam placitum tuum, quod aliàs scripturæ contrarium ostensum est, etiam à mente Doctoris Angelici aberrare quàm maximè.

Reliquum modò est ut aliquam textibus ex D. Th. à te laudatis, responsionem adhibeam; undè tamen promendum putas? Utique iis ipsis ex locis quæ attulisti; legamus unà D. Thomam; en quid inquiat (*a*). *Sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materià; & intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus est à materia & immistus, ut dicitur in* 3. *de anima*. Hæc sanè quid aliud important nisi diversum prorsùs esse cognoscendi modum qui per se competit sensui, ab eo qui per se convenit intellectui? Si enim magis cognoscit intellectus quàm sensus, quia ille magis isto separatus est per se à materià, sequitur hunc non satis separatum ab ipsà, neque satis immistum esse, ut vel sit, vel dici queat spiritus, quod & clarum fit ex superiùs dictis ex eodem D. Th. & ulteriùs patet ex diverso operandi modo quem idem S. D. animæ sensitivæ, ac rationali attribuit dicens (*b*). *Virtutes cognoscitivæ quæ non sunt subsistentes, sed actus aliquorum organorum, non cognoscunt se ipsas sicut patet in singulis sensibus, sed* virtu-

(a) *1. p. q. 14. art. 1.* (b) *ibid. art. 2. ad 1.*

virtutes cognoscitivæ per se subsistentes, *cognoscunt se ipsas*. Cum itaque modus operandi sequatur modum essendi, si operatio sensus, seu animæ sensitivæ sit per se alligata organo, atque non exercibilis ulla sine illo, palàm est & entitatem animæ sensitivæ à materia in suo esse dependere, quod certè entitati verè immateriali seu spirituali repugnans est ex ipsà ejus naturà, unde non ita immaterialis evadit anima brutorum, ut induat spiritualitatem.


Similiter autem ex suo contextu ruit quod secundo loco afferebas ex eodem Angelico ibid. enim ita prosequitur (a). *Et quantò magis proceditur in nobilitate formarum, tantò magis invenitur virtus formæ materiam elementarem excedere; Sicut anima vegetabilis plusquàm forma metalli, & sensibilis plusquam anima vegetabilis; anima autem humana est ultima in nobilitate formarum*. Atque hanc singularem præ cæteris formis in animà rationali sive humanà nobilitatem explicat immediatè subjungens. *Unde in tantùm suà virtute excedit materiam corporalem, quod habet aliquam operationem & virtutem, in qua nullo modo communicat materia corporalis; & hæc virtus dicitur intellectus* constat autem non esse aliquid aliis formis conveniens, id quod majorem præ reliquis, fundat rationalis animæ nobilitatem, proinde si anima humana vim habet intellectivam à materia prorsùs independentem, aliæ formæ hanc non habent, nec exinde spirituales sunt; Quod enim est supremum infimi, attingit infimum supremi, anima

(a) *1. p. q. 76. art. 1.*


ma autem rationalis eſt ſuprema inter cæteras formas vià aſcenſus progrediendo, eſt autem infima inter alias ſpirituales ſubſtantias, gradationem inſtituendo per viam deſcenſus. Quæ porrò cum ita ſint de mente Angelici Doctoris, deſine amabo Phil. vel nomen Divi Thomæ pro tua hac uſurpare ſententià, cæterum quoſcumque repperies vel leviter tanti Doctoris imbutos, aut tantùm etiam aſperſos doctrinà, ſenties non ſine pudore tuo, accerrimos è tàm turpi calumnià vindicatores.

Phil. Nè pergas ſuperbire Critophile, dum ad partes tuas, eas quæ poſſunt utrinque deflecti auctoritates, nimià verboſitate detorques, res etenim naturales, non auctoritate, ſed ratione, aut probandæ ſunt, aut oppugnandæ, ratio autem te multa dicentem deſerit, me ſequitur nimia ſufferentem. Audies craſtinà die nullum omninò adeſſe argumentum quod brutorum officiat ſpiritualitati. Vale

Crit. Ingenii quidem tui, non veræ rationis dabis momenta. Vale.



OPI-



OPINIO DE ANIMA' SPIRITUALI BRUTORUM

Absurdis sequelis subjecta probatur

DIALOGUS VII.

Philadelphus, & Critophilus.

PHil. Ex animà spirituali semel brutis attributà, absurdas ut video moliris inferre sequelas Crit. ast audi quomodo eas omnes dissolvo unico argumento.. Substantia immaterialis vel est intellectiva, vel libera vel capax meriti & demeriti &c. præcisè quia substantia est, vel quia immaterialis est? Neutrum dici potest; ergo &c. probo minorem quo ad primam partem. Non quia substantia est, aliàs omnis substantia esset cognoscitiva &c.; ergo &c. Remanet ergo

ergo quod sola immaterialitas sit caracter universalis, à quo intellectivitas, libertas &c. profluunt; nunc autem sic arguo. Vos Peripatetici admittitis entia immaterialia, nec tamen sunt per vos etiam intellectiva, libera &c.; Vos certè admittitis accidentia spiritualia, quæ sunt entitates immateriales, ut sunt Gratia sanctificans, caracter Sacramentorum, Lumen Gloriæ, Habitus infusi virtutum, Actus vitales, Intellectiones nempe & Volitiones, quæ nedùm non intelligunt & cognoscunt, sed passim destruuntur, corrumpuntur, & desinunt; ergo Immaterialitas ex naturà suà non est semper fundatrix intellectivitatis, libertatis &c. Cur ergo reprehendere nos audetis, dum substantiam immaterialem admittimus in brutis, sed tamen in suis cognitionibus limitatam?

Crit. Achillem tandem adduxisti tuum ad pugnam, sed ut video, non prudentem satis, dum ea ipse defendendo prodit, quæ nundùm ad sui defensionem coægeram persequendo, qualia certè sunt libertas, & capacitas meriti & demeriti in anima spirituali, & quoniam in arenam adducta sunt, intrepidus persequar, non modò tamen, nunc enim insurgere animos sentio ad ita prosternendum Achillem, ut non resurgat. Et primò quidem invalidum est argumentum tuum, non Sylogismus est, sed Paralogismus, cujus certè puderet Peripateticum; Quomodo non absonum arguendi genus est, ex quo prædicatum aliquod partibus sive physicis, sivè metaphysicis divisivè acceptis non conveniat

er;

inferre quod statim nec illis simul acceptis competat? Benè nè sic quispiam argueret ad probandum hominem esse incorruptibilem. Homo vel est corruptibilis ratione formæ, vel ratione materiæ; ex neutro capite; ergo ex nullo. Probatur minor. Non ex parte formæ, quia anima est immortalis; non ex parte materiæ quia hæc non non est corruptioni subjecta; ergo &c. Sic ad probandum quod anima humana nequeat discurrere, mereri &c. Vel anima hominis hæc omnia potest quia substantia est? Et hoc non, alias quævis substantia, eadem præstare posset, quod prorsùs falsum est. Vel quia spiritualis; & neque propter hoc, cæterùm omne spirituale esset intelligens merens &c., ergo &c. Idem argumentum contrà animæ humanæ immortalitatem urgeri potest, aliave plura. Quid adhæc diceres Phil.? Non aliam puto afferri posse responsionem nisi hanc, quod scilicet pessimè arguitur ex negatione præcisà prædicati de partibus divisis; concludere negationem ejusdem de iis collectim acceptis, certùm enim est aliqua convenire partibus simul sumptis, quæ non competunt divisis, hac tamen stante responsione, dilucidè cognoscis tui nullitatem argumenti, ea enim intellectivitas, immortalitas, capacitasque & meriti & demeriti quæ neque consequitur præcisam rationem substantiæ, neque præcisam spiritualitatis rationem, procedit, & procedere ostensum est sive ex substantià ut spirituali, sive ex spiritualitate substantiali.

Hinc nullius est roboris ratio quam adeò in

hac materià contrà Peripateticos sæpiùs ii inculcant qui tecum consentiunt, desumpta videlicet ex spiritualibus accidentibus qualia sunt Gratia sanctificans, & Caracter; hæc namque ex una parte nullus verè potest inficiari Catholicus, ex alià verò cum non sint substantiæ, non habent eam immaterialitatem quæ convenit enti per se subsistenti sicut est substantia spiritualis, nec propriam habent operationem in ratione causæ principalis, immò nec eam habere possunt, nam quod per se non est, nequit itidem operari per se, cujus tamen oppositum militat pro animà sive substantia spirituali, ista nempè semel ac sit, necessariò est vivens, vità proprià sibi, vita autem substantiæ spiritualis alia esse nequit nisi intellectiva, ut superiùs dictum est.

Ommisi datà operà Intellectionem & Volitionem rationalis animæ, ad quas etiam extendebatur allata probatio in argumento, ut de istis paulisper fusiùs tecum agerem. Intellectio itaque, inquis, & volitio hominis, spiritualis est, nec tamen intelligens, non ergo verum est omne spirituale esse intellectivum. Antequam huic argumento respondeam, amicè moneo tenè cum aliis differens simili utaris ratiocinio, eàdem siquidem destruis manu assumptum qua te putas fortiùs sustinere. Sanè non omne spirituale esse intelligens, ultrò concedo, ast quid inde? Vel relinquis hoc non obstante quod spiritualis brutorum anima sit intelligens? Et jam nil urget me quò ad hodiernam litem, argumentatio mox facta, immò à te ipso erit illa solvenda; vel

vel ex hoc negas eam animam esse intellectivam ? Et jam præterquamquod id negari meritò nequit, non ampliùs deserviet, ut superiùs dicebam, ad explicandam & salvandam miram brutorum in suis operationibus concinnitatem, non enim deservire ad hæc explicanda potest nisi saltem aliqualiter cognoscat, non potest autem sive multa sive pauca cognoscere anima spiritualis, nisi modo sibi proprio & connaturali, qui quidem alius non est, quàm cognoscere independenter ab organo corporeo tanquàm à conprincipio, & consequenter intelligere. Quomodo insuper non dubitas id denegare quod aliàs tu ipse asserebas cum urgerem te ex illo regii Psaltis. *Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus* ? Dial. 3.

Lubens ergo concedo sicut de præmemoratis, accidentibus, sic & de operationibus animæ rationalis, intellectione nempè & volitione quod eis non competat intelligere, ast malè inde infertur nec omnem substantiam spiritualem esse intellectivam; Quare enim intellectio non intelligit ? Porrò quia ipsa operatio quidem est, seu exercitium intelligentis, non verò principium intellectivum; porrò quia est ens inhærens alteri, non autem per se stans, unde denominatio intelligentis, animæ quidem convenit, quæ & principium elicitivum cognitionis est, & subjectum receptivum illius, non autem ipsi met intellectioni, unde communi effato dicitur. *Actiones sunt suppositorum*.

(a) *Psal. 31. v. 9.*

Neque verò est quod me fortè cum aliis derideas, quod animæ nostræ operationes accidentia, & quidem physica supponam ipsi de novo advenientia; aut enim operationes istas, ab animà & productas, & per consequens distinctas asseris, & mecum sentias necessè est; aut tanquam Monasticæ philosophiæ figmenta, realia quæ noviter producantur, abnuis accidentia, renuisque admittere operationes animæ distinctas ab illa? Hoc autem si dicas, nec valebis hominis veram salvare libertatem, & eandem quam Joannes de Mercurià damnationem subibis, hujus enim, tuæ similis inter 22. propositiones proscriptas, decima quinta damnata est, quæ sic ajebat (a). *Probabile est cognitionem vel volitionem non esse distinctas ab animà*. Fateri ergo debes (Catholicum enim alloquor) operationes animæ rationalis ab ipsà produci, ab ipsà distingui; Sed hoc posito, nova mihi, ex paritate rationis suggerit objectioni tuæ responsio, hæc videlicet. Licet non omne spirituale sit à Creaturà improducibile, tamen substantia spiritualis à nulla re creatà produci potest; ergo etsi non omne spirituale sit intellectivum, omnis tamen spiritualis substantia est intellectiva; immò sicuti non esset producibilis ab animà intellectio spiritualis, nisi esset accidens; ità è contrario intelligeret intellectio si foret substantia; tàm enim, & forsan magis repugnat accidenti spirituali intelligere, quàm spirituali substantiæ non esse intellectivam.

Sed hæc brutorum anima, quæ quatènus sub- stantia

(a) *Anno* 1347. *sub Clem. 6.*

ſtantia ſpiritualis, intellectiva pariter eſſe evincitur, foret itidem libera & proinde meriti, demeritique capax; quid enim eſt libertas in generali acceptione ſui? Niſi *Facultas agendi cum ratione*; ſi ergo bruta intelligunt, & agunt quia intelligunt, cur libera dicenda non erunt? Sanè ſubſtantia ſpiritualis intelligens, nequit ex naturà ſuà determinata eſſe aut potens, aliqua tantùm intelligere objecta, non verò omnia, aut hæc potiùs quàm illa, ſed nata eſt fieri intelligibiliter omnia, qua enim ratione poteſt aliqua, eàdem etiam poteſt quæcumque intelligere objecta. Nec eſt quod reponas quod quemadmodum Deus ita limitavit hominum cognitionem, ut in hac vità non poſſint cognoſcere intuitivè ſpiritum, ita cognitionem limitavit brutorum, ut non ad quaſcumque cognitiones valeant aſſurgere. Falſum enim eſt aſſumptum; cum non ideò anima noſtra nequeat intuitivè cognoſcere ſpiritum, quia ipſa ſecundùm ſe verè ad id ſit impotens, ſed per accidens tantùm, & ratione alligationis ad corpus, per cujus ſenſus, nonniſi materialibus receptis phantaſmatibus quæ repprefentando ſpiritui ſunt inepta, non eſt expeditè potens ſibi efformare Ideam ſpiritus, quod autem ita res ſe habeat, negari non poteſt, cum eadem met anima ſoluta à corpore, ſine novà ſuperadditá ſibi virtute clarè & perfectè ſemetipſam intueatur; atque inſuper, quamvis pro ſtatu vitæ nequeat cognoſcere ſpiritum quò ad quid eſt vià affirmationis, cognoſcit tamen illum vià, ut ajunt, remotionis, ea ſcilicet prædicata removendo à ſpiritu

quæ

quæ corporeitati attribuuntur, eosque cognoscit *quoad an est*; sic ergo non potest anima brutorum, cum veritate dici ad aliquas tantùm res cognoscendas coarctata in se; ergo poterit per se de quibusvis objectis, & de quibus malluerit objectorum proprietatibus cogitare, unum objectum comparare cum alio, unum eligere, aliud respuere, nullum enim bonum finitum, nullumque inævidens verum invenitur, quod necessariò, sui vel assensum vel amorem trahat è substantià spirituali atque intellectivà. Poteritve ex consequenti mereri vel demereri eligendo nimirùm vel respuendo, odiendo aut amando, objecta, juxtà, vel contrà id quod ratio naturalis docet.

Denique cur non etiam valebit anima bruti cognoscere existentiam Dei? Puto te cum communi Theologorum sentire, quod nequeat dari in homine invincibilis ignorantia de existentia Dei Authoris naturæ, modò homo aliquà saltim utatur ratione, hæc enim cognitio Dei facillima est tantisper suprà se reflectenti, se scilicet non esse à se, sed ab alio, de quo cum statim eadem occurrat animadversio, manuducitur ad cognoscendum aliquod suprà creata esse principium quod omni careat principio, proinde Deum; si verò, ut debes, ita sentias, quidni & bruta, Dei cognoscant existentiam? Suntnè, spiritualia licet quoad animam, ita stolida, ut ad semetipsa nequeant attendere, & primam causam facillimam cæteroqui detectu cognoscere? Sed si concedis; quod quæso præmium post mortem, quam quæso pœnam benè vel malè merentia bruta recipient?

Novus

Novus ne Providentiæ ordo pro novo ſpirituum genere inſtituendus ? Si autem negas ; quam porrò ſpiritualem ſubſtantiam facis ? Vide Phil. nè temerè debita deneges prædicata ſpirituali ſubſtantiæ, dum liberiùs calumniaris Peripateticos,quod nimium formæ tribuant materiali .. Sed neque inficiari debes eam abſurdiſſimam licet ſequelam quam concœſſere ſententiæ hujus tuæ Coriphæi ; certè Plutarcus in p rimà quæſtione Platonicà aſſerit quod animalia bruta cognoſcunt & adorant divinitatem, immò quod Elephantes, pietatis & venerationis gratià, Soli ſacrificant, ſe ſe madefaciendo in mari, atque ipſum versùs propoſcidem attollendo, mirum quod non dixerit animalia tam pia ac religioſa, in cœlos poſt mortem beanda transferri ? nec enim æquum eſt tantam ſine præmio religionem dimitti. Perge jam Philadelphe, & poſtquam tot abſurda, tuà ex Theſi ritè deducta admittere coactus es intrepidus tamen, ipſas etiam Æſopi fabellas hiſtoriarum loco habe, atque aliis vendita ; quod ſi quis credere id abnuat, ſuade ei quod Æſopi temporibus, & homines idioma belluinum, & humanum noverant belluæ ; hoc unum ſi ſuadeas rem totam confeciſti.

Phil.tot mihi obtudiſti dicteriis caput,ut planè oſtenderis noſſe te adverſarios, plus moleſtà verboſitate perſequi, quàm verà impugnare ratione. Cæterùm ex datà brutalis animæ ſpiritualitate, intentas à te non deſcendere ſequelas argumento ſit, illam hucuſque ab Eccleſià non fuiſſe damnatam, utique autem damnata jam pridem fuiſſet


si tàm absurdis verè foret ut putas subjecta sequelis.

Crit. Non is ipse sum, qui mihi non arridentia aliorum placita, temerè ac præcipiti judicio, aut hæretica, aut de hæresi suspecta inclamem; attamen, ut verum fatear ea quæ ex Scripturis, ex PP. & communi Theologorum sensu adducta sunt, non levem animo ingerunt meo suspicionem; nihil tamen super hac re modo proferam, *invito* enim *auditore*, *nemo libenter loquitur*. Cum primùm tibi ad me redire vacabit, aperiam candidè quid sentiam; parce si te diutiùs quàm par esset detinui, Vale.

Phil. Quanto citiùs potero te auditurus revisam, at quò majora aggeras argumenta, eò solidiora ostendes sententiæ meæ immotæ perstantis fundamenta. Vale.



OPI-



OPINIO DE ANIMA SPIRITUALI BRUTORUM

Conciliis adversa probatur

DIALOGUS VIII.

Critophilus, & Philadelphus.

CRit. Philadelphe mi, promptior advenis quàm putaveram, utinam melior quàm accesseris redeas; quantùm ex me est, si unquam ex corde effatus sum, hac vice loquar.

Phil. Cui certa est palma, nullus pugnandi timor. Tu quidem sincero loqueris corde, ast ego firma utar ratione; sed nec video, quid contrà brutorum animæ spiritualitatem, ex Ecclesiæ deffinitionibus, in medium valeas afferre; Certè hujus sententiæ patroni, Ecclesiæ monumenta per quàm exactè evolverunt, nec quidquam illi

repugnans hucusque invenere.

Crit. Ita sit ut ais, nulli sit vel indirectæ reprobationi subjecta sententia tua, ast in illâ ne persistere arridebit, si periculosam in fide ostendero?

Phil. Absit à me, ut vel latum unguem abscedam ab Ecclesiasticis sanctionibus, vel quid minimum malè olens in fide sentiam; Vincit in me Catholicus philosophum, & lubentissimè malo ignarus videri, quàm malè credens.

Crit. Non nova mihi tuæ isthæc pietatis sensa Philadelphe, sed hæc eadem promittunt haud dubiè controversæ te citò valedicturum sententiæ. Periculosam itaque in fide sententiam voco, quæ vel hæresibus ansam præbet ut oriantur, vel obortis præsidium ut roborentur, hujus autem notæ (modestè dicam) umbrâ saltem infici, spiritualis brutorum animæ Thesim, videtur manifestum; Periclitatur enim quàm maximè Catholica veritas de animæ humanæ naturali immortalitate, deque æternâ ejusdem duratione futurâ; Æquidem vel spirituales brutorum animæ ponuntur naturâ suâ corruptibiles & mortales; vel dicuntur immortales quidem, sed in morte brutorum annichilandæ à Deo? Si primum? Jam idem dici poterit de animà rationali hominis, nec vera hanc inter & illas disparitas invenietur; immò scelesti homines proprià excæcati malitià (quos utinam in hoc sæculo difficile foret invenire) hoc se se argumento, firmissimo tanquam vallo protegent: Anima brutorum est substantia spiritualis habens esse &

operari spirituale, & tamen est ex naturâ suâ corruptibilis & mortalis; ergo quamvis anima rationalis humana, substantia sit, & quidem spiritualis &c. est tamen naturaliter corruptibilis, atque mortalis; atque ex illo antecedenti, per legitimam consequentiam veram esse ostendent propositionem directè oppositam deffinitioni Ecclesiæ quæ sic habet (a). *Cum itaque diebus nostris.... de naturâ præsertim animæ rationalis quod mortalis sit, ... & nonnulli temerè philosophantes secundùm saltem philosophiam verum id esse asseverent, damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse &c.*

Si verò secundùm reponatur, quis non videat eandem in pluribus, de animâ rationali suboriri posse suspicionem, maximèque proinde nutare totius honestæ vitæ basim, nec parvum sanè fidei nostræ fundamentum? tolle animæ rationalis durationem post mortem, quocumque tandem ex capite cessatio ejus proveniat, jam commenti loco habebitur summum divinæ ergà nos pietatis opus, humani nimirùm generis per Jesum Christum redemptio; universalis extremo in Judicio resurrectio, Visio Beatifica Justorum in Cœlis, & in Gehennâ impiorum cruciatus. Quod sanè & mens cogitare, & lingua proferre perhorrescit.

Phil. Etsi possit suspicio hæc alicui innasci, esset tamen ista unicè ex suspicantis voluntate non ex antecedentis necessitate.

Crit. Concedo quod non ex antecedentis necessi-

(a) *Concil. Later.* 5. *sess.* 8. *anno* 1513.

necessitate suspicio talis proflueret, si enim ita foret, jam antecedens illud esset hæreticum, non tantùm periculosum in fide, quod contendo; attamen manuduceret ad suspicandum, aut jam pridem suspicantes, in concepto firmaret errore; manuduceret inquam, nimium enim cuilibet proclive est, ut dum de alterius animalis animæ naturà differit, comparativà cognitione reflectat in propriam animam, & dubitare saltem incipiat, num & suæ spirituali animæ idem accidat, quod de alià spirituali substantià, à Deo fieri intelligit.

Quod si cui putidæ hujus hæreseos fuerit jam suborta suspicio, quid ni maximè confirmetur in illà, audiens dari animas naturaliter immortales, quæ animali moriente, per annichilationem desinant? Quid ni ex hoc ipso animos sumat ad sibi certiùs suadendum, ipsos etiam hominum spiritus, eidem desitioni subesse? Res est impiis perjucunda, & grata nimis suadere sibi, quod nullæ eos post mortem maneant pœnæ; unde & de facili id ipsum pro vero habebunt, & exemplo animæ spiritualis brutorum; vel ex se, vel à Deo desinentium, aliis etiam venditabunt.

Ex capite insuper novitatis suspecta censenda est sententia hæc tua, cum à nullo Sancto Patre verè fuerit afferta, ut aliàs solidè, ni fallor ostendi, nec ab ullo rem hanc ex professo pertractante gravi Auctore edocta, nec in Scholis Catholicis hucusque, nisi fortè perpaucis, titubanti manu arrepta; Quod si nihil in ipsà falsitatis lateret, illam utique & SS. Patres & doctri-

nà

nà ac probitate qui magis excelluere Auctores facillimè cuique de animâ brutorum tractanti obviantem, excepissent libenter, & incunctanter asseruissent; opportunè itaque à D. Bernardo monemur quod (*a*). *Novitas semper suspecta, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis*.

Phil. Non noviter esse inventam opinionem hanc, usque ab initio ostendi pluribus, quæ si tibi occurrerent modo, non novitatis notam illi tàm imprudenter inureres.

Crit. Quæ à te vel ab exordio sermonis hujus adducta sunt, novi quàm optimè, sed & memini me cuncta refellisse, unde quam à me, eam ipse præteritorum memoriam, à te justiùs exigo; Probavi etenim Catholicos AA. in Causam hanc adductos, controversæ nequaquam adhæsisse sententiæ, quod si quis illi favere visus fuerit, pauca tamen ejus umbra est, ut hanc queat in tutò ponere; Antiqui autem Gentiles si verè in tuà fuere sententià, non exinde illam tutiorem faciunt, vel enim in ipsis opinio hæc ex animarum metempsychosi descendit, vel ut rationalis animæ naturalem interitum suaderent, excogitata est.

Sed vide quantùm causæ meæ fidam; Do tibi alios prioribus Ecclesiæ sæculis præambulos brutorum fautores; fuerunt in hac sententià Thnetopsychitæ, fuerunt Manichæi, fuerunt Gnostici an dubitas? Audi Nicetam de primis ajentem (*b*) *Thnetopsychitæ, hominum animam animæ brutorum. simi-*

(a) *Ber. ep.* 174. (b) *Lib.* 4. *Thesau. c.* 40.

similem esse, *atque*. Ecce error secundus, cognatus primo. *Unà cum corpore interire asserunt*. Audi Paschasium Ratbertum contra Manicheos loquentem (a). *Neque ut Manichæus somniat, omnium animalium æqualis est anima, cum propter istos*, intellige homines, *quorum erat immortalis, tot animæ pariter cum morte datæ sunt ut perirent*. Audire denique non pigeat S. Philastrium Brixiæ Episcopum opinionem hanc & carpentem tanquam hæresim, & de illà Gnosticos notantem, ait enim (b). *Est hæresis quæ pecudes & serpentes, & aves rationabiles arbitratur esse, ut homines, sicut Manichæi & Gnostici perditi &c.* Quid sanè in causà est quod hosce commilitones tuos in propugnatæ opinionis præsidium non adsciveris? An quod istos ignorares, an quod non approbares? hoc secundùm, de homine cæteroqui docto verius reputo; at si displicent Auctores quia hæretici, multò minùs arridere debet sententia, quæ ut ab aliquibus audita PP., pro hæresi reputata est atque damnata.

Phil. Extrà stadium curris Crit. dum ex quo hæretica dicatur opinio docens bruta rationabilia esse sicut homines, concludis eàdem notà meam pariter inurendam, cum tamen non ego cum illis bruta æqualiter homini rationalia, sed illo longè statuam inferiora in intelligendo.

Crit. Non de hæresi damno sententiam tuam, sed unicè periculosam in fide demonstrare contendens, aliam tuæ similem, ni fortè cum tuà

(a) *Lib. 5. in Evang. Matt.*
(b) *Lib. de Hæres. hæresi 52.*

tuà eandem , hæreticam PP. visam esse commemoro . Cæterùm si illam ego hæreticam nuncuparem , non tu illam ab hac notà subduceres , ut ut enim dicas bruta longè minùs homine intellectiva , vel ut meliùs loquaris , intelligentia , talis tamen est anima bruti , ut humano infusa corpori , hominem constitueret , talisve è contrà anima hominis , ut belluino communicata corpori , faceret brutum , ex quo palam est brutalem , atque humanam animas , in veritate rei æqualiter fore rationales , semel ac illa sit , ut sustines spiritualis .

Phil. Gratis omninò ais talem fore spiritualem brutorum animam , ut humano infusa corpori hominem faceret , meritò enim respondetur eam animam non convenire in perfectione cum animà hominis , est enim substantiola quædam in lineà substantiarum spiritualium minima & miserrima., nihil valens intelligere nisi dependenter à corpore , neque subsistere potens absque illo .

Crit. Res sanè perridicula est tanta congerere contrà formam materialem quæ non sit materià , & posteà tàm facilè absorbere substantiam spiritualem quæ non sit spiritus ; porrò si tibi suasum est materiam non posse esse cognoscitivam aut generabilem , & aliis meritò impressum est, spiritum de necessè esse incorruptibilem atque intellectivum , si omne quod est & non est spiritus est materia ; ergo omne quod est & non est materia erit spiritus ; & si materia ejusdem est essentialis naturæ in omnibus ; quid ni & omnis verus spiritus , ejusdem naturæ pariter existat ?

Quò

Quò ad prædicata saltem intellectivitatis atque incorruptibililatis. Si autem anima bruti & est spiritualis, & est intellectiva, & incorruptibilis, cur hominem nequibit constituere, si humanum corpus informet?

Sed alia duo mihi supersunt momenta, quæ nec ingenuitas mea, nec tuæ in meliora resipiscentiæ desiderium præterire permittit. Unum scilicet ex citato aliàs libro de dogmatibus Ecclesiasticis, aliud verò ex Concilio Lateranensi (*a*) c. *Firmiter*. In primo etenim hæc habentur: *Solum hominem credimus habere animam substantivam animalium vero animæ non sunt substantivæ*; Est ergo Ecclesiæ dogma, brutorum animalium animas non esse substantivas; sed si substantiæ spirituales forent, forent itidem substantivæ, ut patet tum ex naturà substantiæ spiritualis, tum exemplo animæ rationalis humanæ; ergo animæ brutorum animalium non sunt substantiæ spirituales.

Phil. Non est cur me ex libro de dogmatibus Ecclesiasticis (*b*) perstringas Crit. nosse enim debes ipsum nullius aut saltem parvæ fidei esse.

Crit. Scio quidem non deesse qui de libri hujus authenticitate vel Auctore plurimum dubitent, quos inter P. N. Sallier (*c*), at cum teste Sirmondo viro doctissimo, liber hic à S. Patiente Lugduni Episcopo Patribus in Concilio Lugdunensi adunatis oblatus fuerit, & ab illis receptus & ap-

(a) *Concil. Lateran.* 4. *c.* 1. *Celeb. anno* 1215.
(b) *Possevi. To.* 1. *appar. sacri Verbo Gennadius.*
(c) *Hist. Scolast. de spec. Euchar. t.* 2.

& approbatus, ut colligitur ex pervetusto Conciliorum Codice in quo hæc leguntur. *De libro Ecclesiasticorum dogmatum quem S. Patiens protulit*, non video qua ratione, eà qua aliàs auctoritate polluit, spoliari facilè queat maximè cum plurimum ei deferat Angelicus; Doctor, eum pro suis resolutionibus citans non infrequenter; Sed modicæ nè apud te fidei, vel legitimi œcumenici Concilii deffinitio?

Phil. Si aliquid asserto meo contrarium, ex cujusvis approbati Concilii deffinitione protuleris, tibi palmam obsequentissimè cedo.

Crit. Audi ergo Phil. & ita promissis Concilium Lateranense IV. hæc habet. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus & unum universorum principium, Creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium qui suà omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nibilo condidit Creaturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam*. His itaque Sancta Synodus tres errores debellat; Primus, eorum est, qui animam humanam negabant esse spiritum quos inter fuit Tertullianus teste D. Th. his verbis. *Fuit autem alius error Tertulliani ponentis animam humanam corpoream esse, cum tamen Apostolus dicat 1. ad Thess. 5. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima & corpus sine querela in adventu Domini Nostri Jesu Christi servetur, ubi manifestè*

animam à corpore distinguit, & ad hoc excludendum subdit. Deinde condidit Deus humanam naturam, quasi communem, scilicet ex corpore & spiritu constructam &c. Secundus error fuit cujusdam Davidis Dinatii impiè asserentis Deum esse materiam primam, nec ipsum proinde cognoscentis omnipotentem creatorem rerum corporalium, ut testatur Glossator c. 2. inquiens (a) *David Dinatius Discipulus Almarici teste Sandero lib. 7. de Visibili Monarchia, dicebat Deum esse materiam primam, quare suprà c. 1. Concilii Lateranensis Patres haud dubiè contrà eundem Dinatium asseruerunt Deum simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidisse Creaturam spiritualem & corporalem.* Tertius denique Manicheorum duo admittentium Principia, unum quidem bonum, boni, rerum nempe spiritualium, aliud verò malum, Authorem mali, rerum nimirùm corporalium.

Contrà quos errores tria, statuit Fidei dogmata. Primum, unicum esse Deum principium & causam universorum contrà Manichæos. Secundum, Deum ex nihilo omnia condidisse contra David Dinatium. Tertium, Hominem esse medium quoddam, Angelos inter & res corporeas, utpotè ex spiritu constantem & corpore contra Tertullianum aliosve; jam verò quod ad præsens attinet, hoc postremum dogma perpendamus. Deffinit Concilium Deum de nihilo condidisse & spiritualem Creaturam, qualis est Angelus, & corporalem seu mundanam, quales sunt res cœteræ, & ulteriùs aliam creaturam nimirùm

(a) *Gloss. c. 2.*

mirùm humanam, neque adæquatè ſpiritualem, neque adæquatè corporalem, ſed tanquam mediam, inter utramque & utrique communem, partim videlicet ſpiritualem, partim corpoream, ex ſpiritu nimirùm & corpore conſtitutam; conſequenter, quemadmodum nomine ſpiritualium ſubſtantiarum atque corporalium, rerum omnium à Deo creatarum univerſitatem complectitur, ita unicè naturam humanam pro medio de utroque ex dictis extremis participante aſſignat, ita quod ſicut nulla alia eſt ſubſtantia præter ſpiritualem, & materialem, ita nullum aliud ſit medium, utrique naturæ commune, præter naturam humanam; ex hac autem Concilii deffinitione, ſic

Verum eſt deffiniente Concilio naturam humanam, & quidem ſolam, de natu r à ſpirituali participare, quatenùs eſt conſtans ſpiritu, & de materiali, prout ſimul eſt etiam corpore conſtituta; atqui ſi bruta pariter animà gaudent ſpirituali, jam falſum eſt ſolam naturam humanam eſſe ex ſpiritu & corpore compactam, illa ſiquidem non minùs ac homo naturam habebunt Spirituali & Materiali communem, ut evidens eſt; ergo &c. Major continet deffinitionem Concilii; minor eſt ipſa ſententia tua, conſequentia legitima eſt.

Quid ad hæc Phil.? Dices fortè Concilium deffiniiſſe quidem quod homo ex ſpiritu conſtet & corpore, non tamen quod ipſe ſolus ita ſit conſtitutus? Aſt attende Concilii verba. *Utram-*

que de nihilo condidit Creaturam Spiritualem, & Corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Nomine Creaturæ spiritualis intelligit spiritualem substantiam carentem corpore; nomine Creaturæ corporalis, intelligit omnem substantiam materialem carentem spiritu; sub primà classi omnes Angelos comprehendit, sub secundà res omnes reliquas claudit, sivè vivant, sive non, sive etiam vivant simul & sentiant; solum posteà hominem excipit, hunc tantummodo volens ita contineri sub secundà ut etiam sub primà claudatur, non quidem totaliter sub utràque, sed partialiter respectivè; solum ergo hominem ex spiritu & corpore constitui, docet apertè Sancta Synodus; nec immeritò ponit ly *deinde*, innuit enim se ultimo loco loqui de homine, ut loquatur juxtà ordinem creationis ejusdem, cum post spirituales & corporales alias creaturas conditus fuerit; Cum itaque loquatur de homine tanquam post res cæteras creato, bruta animalia cum ante illum fuerint creata, neque sint merè spiritualia, neque à Concilio ponantur inter aliquod communicans cum spirituali & corporeo, cum mundanà seu materiali creaturà confunduntur, proindè homo, tanquam qui solus nec unicè spiritualis, nec integrè materialis sit, tanquam unicum ens medians inter utrumque statuitur, ac deffinitur à Concilio.

Hæc cum ita sint, sentis porrò Phil. sententiam de animà brutorum spirituali conciliis adver-

adversam, sanæ fidei non consonam, ac meritò proin à te, aliisque abjiciendam; ecquid? Fortè ne ex iis eris, qui insipienter æquè & audacter dicere non erubescant cum P. Lamy, in Academiâ Andegavensi Philosophiæ olim professore (a). *Philosophi solam rationem sequuntur, nam illius solo lumine rerum naturam scrutantur; quapropter etsi res aliter se habere Religio ipsa doceret, non inde sequeretur eorum placita esse reprobanda?* Absit, ut talia proferas, altè enim intelligis Verum Vero non contradicere, veram fidem rectæ rationi, superiorem quidem, non adversam, neque ratione nostrà metiendam fidem, sed fide potiùs instruendam, corrigendamque rationem.

Phil. Utique lubens rationem corrigo, cum fidei deffinitionibus fuerit vel opposita, vel non exactè consentiens; at non est quod ablegem animæ spiritualis brutorum sententiam, ex hujus modo perpensi Concilii dogmate; nec enim ibi scholasticas intendit dirimere lites, sed quod ad suum pertinebat institutum, definit animam hominis esse spiritualem, quod & ipse concedo & profiteor, & adhuc inconcussum integrè manet, & si dicatur itidem spiritualis anima brutorum.

Crit. Nequidquàm in tutò te conaris recipere Phil. in Bivio es, aut hinc, aut inde transeas necessè est; Aut opus est sententiam de spirituali brutorum animâ, falsam fatearis, aut falsam concedas Concilii deffinitionem, quod sic ostendo iterum. Concilium allato in capite nèdum statuit hominem, ex spiritu & corpore esse, consti-

(a) *P. Lamy in regesto Acad. Andeg.*

constitutum, sed ulteriùs ipsum esse contrapositivè ad omnes alias creaturas vel purè spirituales, vel merè corporeas, medium quodam à reliquis omnibus creaturis in hoc discrepans, quod neque unicè spiritualis sit, neque tantùm materialis, sed duplici ex parte compositus, unà spirituali, materiali alterà; atqui esto verum adhuc maneat hominem componi ex spiritu & corpore, licet bruta similiter dicantur constitui, falsum tamen est, ipsum hominem contrapositivè ad reliquas creaturas, habere naturam communicantem spirituali & corporeo, si pariformiter bruta spiritu constituantur & corpore; & aliunde ad asserti alicujus veritatem requiritur, quod nulla pars illius sit falsa, nam unà ejus parte falsà existente, etsi alia vera sit, est simpliciter falsum; ergo si verum est bruta prædita esse animà spirituali, falsa est deffinitio Concilii. Hoc consequens admittere detrectas, ut debes; ergo concedere teneris, brutorum animas minimè esse spirituales.

Ex his autem intellige Phil. sententiam de spirituali brutorum animà, neque in vera ratione, neque in Scripturis, neque in PP. auctoritate fundari, nam PP. in œcumenicà synodo adunati, & Scripturas noverant, & SS. PP. scripta evolverant, & tamen res omnes, in spirituales, & corporales divisere adæquata divisione, atque unicam & specialem hominis asseruere naturam, ex Spiritu & Corpore constitutam; ac proindè certè & verissimè spiritu seu animà spirituali bruta non esse instructa senserunt, atque docuerunt.

runt. Unde non solum negativè circa brutorum animas se habuerunt, sed positivè, nam ut communi efato dicitur. *Exceptio firmat legem in contrarium*.

Quibus omnibus ritè perpensis, quæ tuam omninò perimunt sententiam, hoc etiam accipe argumentum te jam devicto, pro Peripateticis, quos in admissione formarum materialium à materià distinctarum pro stultis habebas, ac somniantibus, ac pro iis qui pecudum more sequantur prædecessores suos, quia ita dixerunt, non examinantes an vera dixerint; accipe inquam ab his somniantibus, atque brutorum dignitati & spiritualitati, ut par est inimicis, solidum & apud veritatis amatorem inconcussum. Bruta non sunt te etiam fatente pura, & mera authomata, hoc enim ipsi naturæ sensui, communi omnium persuasioni, adversum noscis. Ergo prædita sunt anima quæ sit materialis forma in sensu peripatetico. Probatur c. Si bruta non sunt pura authomata, sunt verè viventia ac sensitiva; Si viventia & sensitiva sunt, aliquà animà instructa sunt quæ non sit formaliter materia ex una parte, (nam si hæc eorum anima foret materia jam bruta non aliud, essent nisi materia, adeòque authomata) ex alià, hæc anima non est spiritualis neque spiritus, ut abundè hucusque ostensum est; ergo est materialis non tamen materia, nihil enim aliud excogitari potest aut dici. Scio quod multa contrà hanc formam objiciuntur, tanquam aliquod commentitium & in solà Peripateticorum ideà existentiam habens, sed hæc

omnia

omnia præterquàm quod validis responsionibus refelluntur, corruunt etiam spontè suà, illud enim quid commentitium esse non potest, cujus admittendi necessitas in naturà comprobatur.

Phil. Vicisses equidem Crit. si non & tu eàdem concilii premereris deffinitione; sed certè eodem ictu quo meam de animà in brutis spirituali, & tuam de animà in iisdem materiali confodis sententiam; en tibi. Sicut Concilium statuit solùm hominem esse ex spiritu & corpore constitutum, ita anteà diviserat creata omnia in spiritum & corpus, ita ut quidquid est non Deus, sit eo ipso vel spirituale, vel corporale, spirituale inquàm quia spiritus, corporale autem quia corpus; nam si corporale, quamvis non corpus, igitur contrà (a) Concilium, quod in Creaturà humana non agnoscit nisi naturam, communem ex spiritu & corpore, & per consequens, nihil in eà corporale admittit nisi corpus, nihil spirituale, nisi spiritum; ex quibus certè constat manere conciliari gladio peremptam formam materialem, quæ non sit materia.

Crit. Subtiliter arguis Phil., & si id quod conaris ex Concilio deducere, ex illo legitimè consequeretur, sicut animam spiritualem in brutis, absolutè rejicio, ita animam quoque materialem quæ materia non sit, illis inesse negarem, mallemque fateri ingenuè me nescire quomodo bruta vivant, quàm vità à Conciliis damnatà ea viventia apellare; ast deciperis Phil. neque enim officit Concilium formæ materiali, dum animam

(a) *P. Sallier Ord. minim. T. 2. Hist. Schol. de Spec. Euch,*

mam spiritualem brutorum interimit ; aliud ergo est quod Concilium, formam materialem positivè non adstruat, aliud quod eam positivè rejiciat. Primum concedo, sed nihil inde ad intentum tuum ; secundum, quod velles, prorsùs inficior, nec unquam valebis ostendere. Utique Concilium cum ait. *Ac deind e humanam quasi communem ex corpore & spiritu constitutam*, vult ac docet, nullum aliud ens præter hominem, compositum esse ex spiritu & corpore, unde & tuam de vero in brutis spiritu, sententiam jugulat ; at verò cum ait *utramque de nihilo condidit Creaturam Spiritualem, & Corporalem, Angelicam videlicet & mundanam*, accipit tò spiritualem, & corporalem, in sensu eorum universaliori, & magis noto, in quo utique nomine spiritualis Creaturæ, venit verus spiritus, & nomine creaturæ corporalis, venit verum corpus ; cum hoc tamen relinquit quod sub nomine creaturæ spiritualis, veniat etiam spirituale aliquod quod non sit spiritus, ut sunt Accidentia spiritualia, atque similiter permittit, quod sub nomine Creaturæ corporalis veniat etiam entitas, quæ licet materialis sit quatenùs à materià seu corpore omninò pendens, corpus tamen non sit ; permittit inquam, quia non positivè dicit. *Omne ens quod non est spiritus, est materia* sicut hominem, & quidem solum, ait habere naturam communem ex spiritu & corpore constitutam, sed saltim æquivalenter dicit. *Omne ens vel Spirituale est, vel Corporale* Spirituale autem & Corporale convenire alicui potest vel substantivè, vel adjectivè ; si substantivè

sit spiritus, sit corpus, secus verò si tantùm adjectivè.

Insuper cum Creaturam Spiritualem explicat per tò *Angelicam*, non eam explicat in sensu exclusivo vel alterius spiritualis substantiæ, qualis est anima hominis, vel alterius Creaturæ Spiritualis, quæ non sit Spiritus, licet enim positivè non adstruat, non denegat certè accidentia spiritualia, qualia sunt in conformiori Conciliis sententià, Gratia Sanctificans & Caracter; ità cum Creaturam Corporalem explicat per tò *mundanam*, non debet intelligi loqutum, in sensu exclusivo aliarum entitatum, quæ corporales quidem sint & mundanæ quamvis materia non sint.

Denique, ex quo admittantur formæ materiales, quæ non sint materia, non admittitur contrà mentem Concilii medium aliquod, inter Creaturam Spiritualem, & Corporalem, nam & ipsæ corporales sunt & materiales, unde intacta relinquitur adequata generalis divisio, entis creati à Concilio facta in Creaturam Spiritualem, & Corporalem; Ast verò ex quo verus spiritus in brutis asseratur, jam asseritur, etiam bruta naturam habere communem spirituali & corporeo, consequenter, non solam naturam humanam esse ex spiritu simul & corpore constitutam, quod est contra claram, ac manifestam mentem Concilii, ut præcedenter ostendi; quare vides Phil. tuæ quidem, non Peripateticorum sententiæ, Concilium planè adversari; Cæterùm dato & non concesso, quod etiam materialis forma ex Concilii

lii

lii Canone colligeretur non admittenda, ſicut ex illo conſtat non agnoſcendam animam ſpiritualem in brutis, nihil inde tibi; nec enim meliorem cauſam facit, damnatæ communitas cauſæ; Neque ego in præſentiarum, quænam ſit anima in brutis quero, ſed potiùs quid ipſa non ſit oſtendo, aptis ni fallor momentis evincens, eam ſpiritualem dici, nec cum veritate poſſe, nec cum rectà fide debere.

Phil. Fortiter urges me Critoph. ſed mihi negotium valdè faceſſunt plura, eaque omni digna admiratione opera, quæ in brutis obſervàmus, vel quæ ab ipſis præſtita legimus; videmus Araneas, miro quodam artificio ſibi telas contexere, ut aucupes fiant; ingenioſo Apes labore ſua mella conficere. Sagaciſſimas vulpes ſtruere aliis animalibus inſidias, ſibi paratas declinare; Canes inſtrui ad venationem, Equos ad curſum; Legimus perſæpè Elephantos ſimiaſque, receptæ & memores, & vindices injuriæ, aliaque in aliis, tàm pulchra, tàm mirabilia, ut imperceptibile prorsùs ſit, ea fieri ſine diſcurſu, & per conſequens à principio ſpirituali, brutis ipſis inexiſtente, non procedere.

Crit. Debilius eſt quàm fortè putes argumentum hoc mi Phil. In primis etenim Concilium (ut oſtenſum eſt) ſoli homini concedit compoſitionem ex corpore & ſpiritu; non poteſt ergo eſſe rita, & vera conſequentia, qua ex brutorum operationibus, animam in iiſdem ſpiritualem deducis; Deinde ſi ex operibus brutorum, verè inferretur anima ſpiritualis in ipſis, non in

infimo, ut dictitas, spiritualitatis gradu esset ea reponenda, sed animæ humanæ vel æqualis, vel superior, cum multa brutorum opera æquent, immò & omnem superent hominum industriam. Denique mirabiles istæ brutorum operationes quas percenses, & quæ percenseri possent, non tuis cœpere temporibus à brutis præstari; non erant illæ vel Sanctis PP. vel Catholicis Philosophis absconditæ, & tamen nullus Sanctus Pater, nullus Catholicus, paucis junioribus exceptis, verum in brutis intulit inde spirituale principium. Audi itaque Augustinum, audi D. Thomam quid denegent, quid tribuant brutis, & acquiesce veritati (a). *Jam verò causæ voluntariæ aut Dei sunt, aut Angelorum, aut hominum, aut quorumcumque animalium, si tamen appellandæ sunt voluntates animalium rationis expertium, motus illi quibus aliqua faciunt secundùm naturam suam, cum quid boni malive vel appetunt, vel evitant* & rursùs (b). *Si quid in pecore simile apparet, non est perturbatio, quia non est contrà rationem, qua pecora carent.* Angelicus autem Doctor, ulterioribus instantiis & dubietatibus, sic aditum præcludit. (c) *In operibus brutorum animalium, apparent quædam sagacitates in quantùm habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, utpotè à summâ arte ordinatos, & propter hoc etiam quædam animalia dicuntur prudentia vel sagacia, non quod in eis sit aliqua ratio vel, electio, quod ex hoc appa-*

(a) *Aug. lib. 5. de Civit. Dei c. 9.*
(b) *Lib. 8. de Civit. Dei c. 16. ad Marcellinum.*
(c) *D. Th. prima secundæ q. 13. art. 2. ad 3.*

apparet, quod omnia quæ ſunt unius naturæ, ſimiliter operantur.

Phil. Candidè fateor, me penè victum ſentio, & ni poſt aliquod examen, quod mecum ipſo adhuc inſtituere decerno (nè præceps ſim in abdicandà mihi alias acceptiſſimà opinione) alicujus ponderis momentum occurrat, promiſſis utique ſtabo, ipſam rejiciens, ac omnibus pro erroneà, & periculoſa in fide prædicans; interim de eà quam mihi luce attuliſti ex corde gratias referens, me tibi ſemper devinctiſſimum profitebor.

Crit. Pro veritate me pugnaſſe opinor Phil., non pro pruritu aliis contradicendi; ſummoperè lætor, quod rationi tandem conſentiens, ſis proximè priori ſententiæ valedicturus, & ſi quid fortè inter diſceptandum minùs cautè exciderit, veniam petens, unum hoc ergà me tuæ pignus benevolentiæ expeto, promptam nimirùm ac ingenuam, de animà in brutis ſpirituali, ſententiæ retractationem; Quod cum præſtiteris, non mihi, ſed Scripturis Sacris, SS. Patribus, legitimiſque Conciliis, eris ut decet obſequtus. Vale.

FINIS.

IN-

INDEX

Rerum notabilium quæ in hoc Opuſculo continentur, Ordine Alphabetico diſpoſitus. Prior numerus denotat Dialogum, Poſterior paginam.

Gno-

S Dei

nalium:

ER:

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 4. Pitagoras	Pythagoras
Pag. 18. oſtendidiſti	oſtendiſti
Pag. 20. illa	ille
Pag. 26. falsà	falſa
Pag. 27. anctoritatis	auctoritatis
Pag. 29. ſpiritus, iſte	ſpiritus iſte
Pag. 45. impervià	impervia
Pag. 56. ſpiritum	ſpiritus
Pag. 61. chaldaicè	chaldaicà
Ibid 61. clariſſimà	clariſſimè
Pag. 62 materialem	naturalem
Pag. 70. inſignè	inſigne
Pag. 74. contrariariatur	contrariatur
Pag. 78. ſpiritum hoc	ſpiritum, hoc
Pag 90. ſenſu	ſenſui
Pag. 91. iſpiritualia	ſpiritualia
Pag. 136. imporcat	importat
Ibid. Epicureiae	Epicurei ac

DISSERTATIO
CONTRA
ANIMAM SPIRITUALEM BRUTORUM
Ab objectis
VINCENTII PHOCÆ VINDICATUR
DIALOGUS IX.
Critophilus, & Philadelphus.

Crit. QUæ te mihi, diuturna post desideria, fors reducem ostendit Phil.? aliquod ne super præterito anno habitamConcertationem vel tecum ipso reflectens, vel typis editam relegens, dubium fortè insurrexit, quo rem maturiùs discuti peroptes?

Phil Haud equidem; sed legi ipse quandam Opusculi tui censoriam Relationem, quæ si tibi foret perspecta, Dissertationis tuæ exemplaria omnia quanto citiùs ad te revocare festinares.

Crit. Magna refers Phil., & vehementer nosse sollicitas, cujus illa sit, ubi edita, & quid singillatim in me reprehendat.

Phil. Quod attinet ad Authoris, locique nomen, lubens dicam. Author inscriptus, est VINCENTIUS PHOCA, data verò est relatio ex INSULA SARDINIÆ, sed quò ad ea, quæ continet, loqui vetor, nam Relationem ipsam ad amicum suum Author transmisit, alteri tamen non tradendam, & Author ipse inquit (1). „ Si „ enim quidpiam ad meas aures perveniet; tunc rigidum examen & „ libri, & defendentis illum institutam, & urbanitas illa, ac comitas, „ quæ in meis scriptis semper eluxerunt, jura dabunt severitati „.

(1) *Pag.* 14.

Crit. Nomen, & locum e mentitum non immeritò dixerim

 atque

atque exinde censuerim à me omninò excutiendum, quem tu conaris timorem ingerere. *Neque enim*. Verba sunt D. Hieron. (a) *magnopere formidandi sunt libri quos metuit suus author prodere, & tantùm confœderatis legendos esse decrevit*. Nec est quo verè prohibearis, candidè referre mihi quid in illa contineatur, tum quia æquum est ut si ego impetor, sciam qua me parte defendam; tum quia si Relatio ipsa secretò alteri commissa, amicitiæ, ac fidelitatis juribus minimè violatis, ad te potuit pervenire, non apparet quomodo sine utriusque præjudicio, nequeat eadem mihi à te quanta est aperiri; Quod si timeas ea verba; ,, Jura dabunt severitati, noveris ea porrò non formidinem incutere, sed animos addere; non retrahunt hæc, sed magis invitant & alliciunt ad pugnam, & fortè ut non segniùs excitarer apposita sunt; Sanè quid metuam? num rationum acumen? nihil magis in votis fuit, quàm hisce instrui; num dicteria aut jurgia? Ast hæc ab oppositoris doctrinà ac comitate expectare prohibeor; Quod si etiam forent in me talia jacienda, contemnerem, sufferrem, silerem, offendi mallens, quàm offendere; Vides ergo Phil. maximè consonum æquitati quod contrà me dicitur referre, ut quod relatum fuerit, vel approbem, vel refellam.

Phil. Quoniã tam cupidum ea te nosse cognosco, quæ contrà Opusculum tuum dicta sunt, confidenter enarrare incipiam. Dissertationem
Pag. 3 itaquam primitùs (3) ex eo improbat Oppositor quod Auctoritatibus abundet, seseque fatetur molestè eos ferre qui philosophicas quæ-
Pag. 4. stiones auctoritate pertractant, ac dirimunt; subdit posteà (4) occasionem scribendi fecisse tibi Appendicem quamdam pro Spiritualitate Animæ brutorum exaratam, quam impugnandam assumpseras.

Crit. Equidem miror quod Censor eruditus fateatur me impugnandam suscepisse præfatam appendicem, & simul reprehendat quasi Auctoritatibus innixam & redundantem Dissertationem meam. Gratulor ipse mihi quod initio Opusculi mei Appendicem ipsam apposuerim, unusquisque enim in illà legere poterit Auctoritates ex Scripturis, ex D. Bern., ex D. Th. depromptas, ex quibus Animæ brutorum Spiritualitas, adstrui asserebatur; Porrò Appendicem ipsam improbabit ne Censor, quia hisce auctoritatibus referta est? Ut quid ergo Opusculum meum ex hoc capite arguere incipit? Quantum ex me est, quemadmodum rationes in Appendice adductas, rationibus retundere studui, ita Auctoritates, Auctoritatibus, refellere debui; Et si res philosophicas Auctoritate dirimere culpa est, non hæc in Dissertationis, sed potiùs in Appendicis Authorem est refundenda, iste enim sciens & volens Auctoritatibus usus est ad evincendam Ani-

(a) *Apolog. adversus Rufinum fol.* 134.

Animam in brutis Spiritualem, ille verò semel ac respondere susceperat, non poterat Adversarium alià aggredi vià, nisi qua Adversarius ipse occurrebat; hoc autem & præstiti, & fideliter præstiti, ut enim legenti Opusculum meum constare liquidò potest, Scripturas Scripturis, Divo Bern. D. Bernardum, Divum Thomam D. Thomæ opposui; Equidem ab Opponente instrui cuperem, num meliori methodo ab Adversariis adductæ Auctoritates retundi possint, & non ad intentum ostendi.

Phil. Notam hanc fœliciter à te excussisse videris, sed nescio an pari sorte valebis sequentia refellere? Itaque postquam per præcedentia, generalem Opusculi tui notionem dedit, pergit singillatim de eodem quò ad omnes partes ferre judicium; Et ut agnoscas eruditum Censorem sedulam in eodem ferendo navasse operam, à Prefatione Opusculi tui exorditur, & in ipsà tria animadvertit reprehendenda. Primum est, quod usurpas illud Augustini. *Non timeamus grammaticorum ferulas, dummodo ad veritatem solidam, & certiorem perveniamus*, hocque dicit non satis aptè usurpatum, quia neque centum Dialogis, ad veritatem solidam & certiorem, in hac perdifficili quæstione pervenies. Alterum est, quod cum dixeris nullam ex reliquis sententiis tibi arridere, sparsim & in Dialogis IV. præsertim & VIII. nimis Peripateticum sapis. Tertium denique est quod dicis te primum (quod scias) *de hac materia ex professo* pertractare; Hoc autem inquit Eximius Censor, non multum laudari posse videtur, nam ipsemet plures legit Authores, qui de Brutorum Animà ex professo disserunt, si vox *ex professo* eo sensu sumenda est, quo illam (ut ipse opinatur) in tua disputatione usurpas, idest quando quis de Animà Brutorum disserens, unam potiùs, quàm aliam partem tuetur, vel neutram, vel utramque defendit. Legit autem ipse opus P. Pardies, le Voyage par le Monde de Descartes, M. de la Chambre; Dissertationem Antonii le Grand., Librum Gomesii Pereiræ Medici Hispani, cui Titulus. *Antoniana Margarita*, Entelechiam Sbaragli, Epistolas C. Magalotti, Opusculum Danielis Sennerti, aliosve quorum non meminit.

Crit. Video quidem oculatissimum Censorem, qui nihil non discussum transire patitur, atque ipse sibi vias aperit, queis reprehensioni aditus pateat, attamen bonà cum venià, immeritò hæc tria in me carpi censuerim. Primum quidem, quod de styli inconcinnitate veniam cum petierim, adduxerim posteà illud Augustini. *Non timeamus* &c. non satis aptè ex eo reprehendor, quod neque centum Dialogis, in præsenti quæstione possim veritatem comparare. In primis etenim Auctoritas illa adducta est unicè (ut legenti patebit) ne quis plus æquo carperet stylum; unde abs re, & violenter traducitur ab

 eru-

erudito Censore ad meritum quæstionis controversæ; Nec inibi Augustinus ipse ait se ad veritatem solidam & certiorem pervenisse, sed *dummodo pervenimus*, sive quod pro eodem facilè intellexerim contendamus pervenire; Quod sanè non importat veritatis quæ quærebatur assequutionem, sed assequendæ contentionem; eo modo quo si dicat quispiam. *Non timemus libertinorum lictera, dummodo ad Patriam, ad quam creati sumus, perveniamus*. Vel miles ad militem. *Non timeamus ignavorum irrisiones, dummodo ad victoriam perveniamus*. Certè neutra harum propositionum, animum significat quasi præsumentem vel Patriæ vel Victoriæ possessionem, sed solùm & hanc sperantem & illam, & utrique inhiantem; Ulteriùs si aliquam vel veritatem, vel veritatis probabilitatem, Appendicis Autor se pro parte affirmativà assequutum censuerit, non video cur mihi nedum octo Dialogis non assequuta, sed neque centum assequenda pro parte negativà, tantà cum securitate pronuncietur. Hisce addo quod propositio illa ex Aug. deprompta hunc reddit sensum, & in hoc fuerat usurpata. Non debere scilicet de politiori stylo esse sollicitum, eum qui de acquirenda sollicitus est veritate; Contrà quam proinde omninò extrà rem obiicitur, quod nec centum Dialogis ad veritatem perveniam; Aliud enim est quærere, aliud consequi veritatem; Sed jam contrà frivolam vellicationem, nimis multa

Quò ad secundum, gratias agens de laudibus quibus vellet me excipere, si nulli quò ad controversiam de Animà brutorum, sententiæ forem addictus, breviter me expedio, Oppositorem amicè monens ut alia etiam vice non pigeat præfationem meam attentiùs excurrere, inveniet enim quod non asserui, me nulli adhærere sententiæ; sed hoc unum. *Nec necessè est ut qui unam opinionem, reprobat, aliam positivè approbet & concludat, fieri enim potest, ut inter illas aliqua quidem tanquam periculosior, & manifestiùs falsa displiceat (sicut mihi in præsentiarum accidit) & tamen nulla etiam ex reliquis positivè arrideat*; Cum itaque dixerim non esse necessè una opinione rejecta aliam amplecti; Cùm dixerim fieri posse ut una quidem Opinio magis displiceat, nulla tamen ex reliquis arrideat, nonnisi gratis ac voluntariè asseritur me profiteri, quod nulli adhæream sententiæ; valdè enim diversa sunt *fieri posse*; & *factum esse*. Neque opponat Sapientissimus Censor verba illa *sicut mihi in præsentiarum accidit*, neque enim, ut patet legenti, connectuntur cum sequentibus, *& tamen nulla etiam ex reliquis positivè arrideat*, sed cum præcedentibus, nimirum, *fieri enim potest ut inter illas aliqua quidem tanquam periculosior & manifestiùs falsa displiceat*: Quod itaque mihi in præsentiarum accidit, hoc est, quod scilicet una opinio

nio

nio ex tribus supra recensitis tanquam manifestiùs falsa displiceat, non verò accidit mihi, quod nulla earum positivè arrideat, sed unicè dixi, id secundùm se & generaliter loquendo fieri posse; Quare non est, unde quasi vel de mendacio arguar, vel de inchoerentià ex quo in progressu operis Peripateticum redoleam.

Ad tertium dico, materiam de qua pertractare assumpsi, non esse simpliciter quæstionem de Animà brutorum an sit in ipsis, & quænam sit; sed unicè ostendere & Authoritate & Ratione, Brutorum Animam non esse spiritualem, quod ab aliis hucusque (non obstantibus AA. quos Oppositor legit) non præstitum puto. Cæterùm non dixi absolutè Primus, sed consultò apposui (quod sciam) ut si fortè quis alter mihi non cognitus, de eàdem materià scripsisset, indebitam mihi laudem non vindicarem. Ut quid ergo de eo quod non asseveranter dictum est, quasi de absolutè prolato redarguor?

Phil. Transit jam à præfatione ad 1. Dialogum (5) atque in isto notat quod auditâ ab amico sententià de Animà in brutis Spirituali, ipsum leniter increpans dixisti. *Bone Deus! & hæc audio à te? quid hac opinione Homini injuriosius? quid Philosopho indignius?* Cætera autem quæ ibi subjunxisti, referre ipse ait se nolle, ne te carpere videatur. Pag 5.

Crit. Equidem veraciter posuit ea verba, *ne carpere videar;* non enim piget erudito Censori me carpere, sed piget carpere videri; & certè non poterat pejus carpere, quam testando se omittere quæ sequuntur, nè carpere videatur; Quantum ex me est, candidè fateor, malluissem ea ab opponente afferri, quàm cum nimiæ suspicionis præjudicio omitti. Cæterum etsi aliquantulum excessissem, non inde damnandus venirem; Cum enim ibi exordium sumat Concertatio æquum erat, ut animi utrinque accensi ostenderentur ad pugnam; atque ulterius ipse met quasi qui tantisper excesserim, lubens in ore Philadelphi ea verba posui. *Video te nimio abreptum zelo Critophile,* quæ quasi contrà me jure dicta, sine ullà vel responsione, vel reprehensione præterire permisi. Sed prosequere Phil.

Phil. In secundo Dialogo observat optimus Censor quod niteris ostendere opinionem de Animà in brutis Spirituali, non habere à Veterum, aliorumve Auctoritate præsidium, & scribit „. Vides „ Amice Auctorem multum facere Auctoritatem humanam quam „ ipse sentio non curandam „. Subditque se facilè dimittere Cartesium, dum profert leges motus experientiæ oppositas, vel docet calore subterraneo aquam philtrari, &c.

Crit. Quid ad hæc expectas Phil.? Video hominem qui & SS. PP. & Doctorum hominum Auctoritatem vel molestè fert, vel non

4 curan-

curandam sentit, nimium proinde proprio confidit ingenio, ei autem, qui nulli se credit, quis se facilè credat? *Væ soli*, inquit (a) *quis cum ceciderit, non habet sublevantem se*. Ast dicet „ Ipse ea tantùm „ amplector in naturalibus quæstionibus, quæ vel ratio, vel geome- „ trica demonstratio, vel experientia comprobant„ benè est; At sibi nè uni, talibus ritè uti datum est? Aerem ne verberant Sancti PP. & quotquot erudito Oppositori contraria scripsere Authores? Verum quid plura? Licuit in Appendice AA. cum Veteres, tum Recentiores controversæ velut Patronos sententiæ adducere; non licuit mihi, eos eidem minimè patrocinatos ostendere? Viam hanc necessitate cucurri ad objecta respondens, non voluntate elegi quasi pergens per illam; Perperam itaque ejus in me accusatur positio, cujus justè reprehendenda fuisset ommissio. Transeamus ad alia.

Pag. 6. *Phil.* Prosequitur eruditus Censor (6) inquiens, quod tu ostendere credas opinionem de Animà in brutis Spirituali non habere à Scripturis Sacris Patrocinium, subditque „ Sed quem locum de- „ beant habere Scripturæ Sacræ in hisce quæstionibus, patet ex San- „ ctis Patribus, qui nos docent, quod in rebus naturalibus Philoso- „ phi debent investigare, & si quid ab istis, fuerit inventum & de- „ monstratum, quod contingat contrarium apparere Scripturis, „ quum Scripturæ Sacræ multiplicem sensum habeant, istæ sunt ex- „ plicandæ, & inventis accommodandæ „. Affert posteà hanc regulam ex D. Aug. (b) *Ut quidquid illi veracibus documentis de natura rerum demonstrare potuerunt, ostendamus, nostris libris non esse contrarium*. Affert D. Hieron. affirmantem Scripturas, quandoque non prout res se habet, rem dicere, sed prout fertur. *Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multarum rerum sic narret Historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur*, tum sic addere pergit „ Notum sanè est omnibus, quod Luna in Scripturis Luminare vo- „ catur, & tamen quia Sapientes hujus Mundi ostenderunt non pro- „ prio lucere lumine, sed illud Solis reflectere, exponitur Scriptura „ dicendo, quod ita protulit, quomodo Vulgus credebat; Spiritus enim „ Dei noluit ista docere homines nulli saluti profutura„ Addit denique ex Augustino (c). *In rebus obscuris, atque à nostris oculis remotissimis si quæ inde scripta etiam divina legerimus, quæ possint salva fide, qua imbuimur, aliis atque aliis parere sententiis, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut si fortè discussa veritas eam rectè labefactaverit, corruamus, non pro sententia Divinarum Scripturarum, sed pro nostrâ ita dimicantes, ut eam velimus*

(a) *Eccl. c. 4. v. 10.* (b) *De Genesi ad lit. lib. 1.* (c) *Lib. 1. §. 37.*

limus Scripturarum esse quæ nostra est, quum potius eam quæ Scripturarum est, nostram esse, velle debeamus. Concludit denique Opponens„ Discutienda itaque in rebus obscuris veritas, antequam Scripturas, quæ duplici sententiæ (ut in casu) favere possunt, unicam „ tantùm respicere stabiliamus „

Crit. Nunquam putaveram Rationem humanam lydium lapidem esse, ad quem Divini Verbi sensuum veritas referenda foret; immò hucusque crediderám Scripturam ipsam Regulam esse infallibilem ad quam humana maximèque fallibilis ratio, in obscuris præsertim ac difficilioribus confugere, eique se se humiliter instruendam deberet subjicere; Unde non sine admiratione audio modo ab erudito Oppositore, consulendam esse rationem nostram, ut ex ista genuinos Scripturæ sensus certò assequamur. Altè enim Sapienti cuiquam suasum esse debet, id quod superius est regulam esse inferioris, non è contrà. Hinc Sacra Congregatio contrà Sapientissimi Censoris canonem de Scripturis Sacris Philosophorum placito sive inventis accomodandis, proscripsit Thesim de Motu annuo Terræ. Cæterùm in rem præsentem haud bene traducitur Aug. quum primo cit. loco Oppositori non faveat, contrarietur, autem in secundo; Inquit enim primo loco. *Quidquid illi veracibus documentis... demonstrare potuerunt &c.* Quæ sunt autem veracia documenta Spiritualem in Brutis animam convincentia, cum potiùs multa eaque probabiliora saltem, oppositum doceant? Ubi sunt demonstrationes quæ hanc sententiam evincant, cum tot, & quidem (modestè dicam) non infirma contrà illam militent argumenta, & Probationes omnes in Appendice allatæ satis fuerint in mea Dissertatione confutatæ? Contrariatur autem in secundo loco Aug. Oppositori meo, inquiens non æquum esse *ut eam velimus sententiam scripturarum esse quæ nostra est, quum potiùs eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Quibus clarissimè docemur, non ingenio nostro Scripturas, sed nostrum Scripturis ingenium accomodari debere. Neque verò opportuniùs adducitur illud D. Hieron. *Consuetudinis Scriturarum est &c.* nam quemadmodum vellet Oculatus Censor ex hoc infirmare ea quæ in Opusculo meo ex Scripturis adduxi; quis non videat omnem similiter vim amittere ea quæ pro parte affirmativà mihi ex Scripturis objiciebantur in Appendice? Attamen ni fallor, non sumus in rerum paritate, quippe qui non ego, sicut Adversarius, Rationem meam Scripturarum interpretem constitui, sed loca cum locis ejusdem Scripturæ comparavi, & juxtà Sanctorum Patrum interpretationem intellexi, atque adeo ejusdem D. Hieron. (a) eam efugi quærimoniam

(a) *In Prologo Galeato*.

niam à qua se subducere non posse videtur eruditissimus cæteroqui meus Oppositor. *Vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.* Mitto quod controversia præsens de Animà Spirituali in Brutis, non parvam habet cum Animà hominis relationem, atque propinquitatem, quæ proinde non naturali tantùm lumine, sed superiori etiam venit auctoritate discutienda; Mitto quod Doctrina Oppositoris quo ad Scripturarum intellectionem, si Philosophis Catholicis, in ordine ad veritates naturales, etiam Hæreticis ad Spiritum privatum Scripturarum interpretem constituendum, aliave eorum prava dogmata sustinenda æquale præbet effugium ut reflectenti patebit. Hisce succinctè attactis cum doctissimo Cornel. à lap. (a) concludam: *Philosophia & Physica adaptandæ sunt Sacræ Scripturæ & verbo Dei à quo omnis existit naturæ numerus, ordo & modus, ait S. Aug. Non ergo è contrario torquenda est Sacra Scriptura ad sensa Philosophorum, aut ad Lumen & dictamen naturæ.*

Phil. Si reliqua audire placet, in expositione relationis progrediar. Dicit itaque (7) te in Quinto Dialogo totum esse ut D. Bernardum, in Sexto, ut D. Th. Spirituali brutorum animæ non favere ostendas, & ad amicum sic fatur „. Sed tu nosti quod isti Sancti Viri, „ hominum quidem ad bonam frugem redeuntium, & ad perfectio- „ nis apicem tendentium, non verò simplicium philosophorum du- „ ces se futuros crediderunt. Tum sic prosequitur „. Unum obser- „ vatu dignum est in V. quando nempè, ut ostendat D. Bern. enume- „ rantem Spiritum pecoris cum aliis spiritibus noluisse intelligi de vero „ Spiritu, pulcherrimam adhibet paritatem ex eo desumptam quod „ sermone in Cœnà Domini Ablutionem pedum inter vera Sacra- „ menta recenseat, ex quo hæc deducit. Si ergo ex quo cum veris Spi- „ ritibus recenseatur Spiritus pecoris, legitimè per te deducitur ex „ mente Sancti Doctoris Animam pecudis verum esse Spiritum, non „ minùs ac veri sint Spiritus Anima rationalis, Angelus & Deus „ ipse; quomodo negare poteris ablutionem pedum, juxtà eumdem „ verum, esse Sacramentum non minùs ac Eucharistia & Baptis- „ mus, cum illa inter hæc enumeretur? Paritatem hanc silentio „ pressam libentiùs vidissem, si enim utrobique de Spiritibus sermo „ esset, tunc ex collatione textuum mens Auctoris deduci, posset; „ at verò quia in uno loco Bernardus inter Sacramenta, idest inter ea „ signa, quibus appropinquans Passioni Dominus gratiam contulit „ sic enim memini me legisse in eo sermone) lotionem pedum enu- „ merat quæ non est ex septem Sacramentis, deducere, ergo quan- „ do

Pag. 7.

(a) *Can. 2. in Pentateu.*

„ do inter Spiritus nominat Spiritum pecoris, non intelligit ve„ rum Spiritum, fateor in hac intelligendà consequentià, est mihi„ curta supellex. „

Crit. Audistin' unquam Phil. fabellam de Vulpe & Gallo? narrabo illam recreationis gratià. Quadam die esuriebat Vulpes, Gallum vidit rubei coloris, insectata est asse quicupiens; quoad usque Gallus currendo fugiebat, placebat ille Vulpi, eique fiebat in desiderium; post modicum temporis,gallus celeri volatu se alta super arbore statuit; tunc Vulpes desiderio se suo frustratam sentiens, quasi spontè dimittens, quem relinquebat invita, ad Gallum conversa inquit. Quousque placuerit volita, quid ad me? Non placent mihi Galli coloris rubri: Quod fabulosè narratum est, verè accidere in præsentiarum observo. Afferuntur pro adstruenda Animà in brutis Spirituali D. Bern. ac D.Th. auctoritates, & quandiu Asserto favere creduntur, pro maximis etiam in re philosophica, ac præstantissimis prædicantur, cum autem ostenditur eos præfatæ sententiæ nullatenùs favere, tunc securè pronunciatur quid ad nos? D.Ber. & D.Th non se credidere futuros simplicium Philosophorum duces, non erudiunt Philosophos, sed homines ad bonam frugem instruunt. Sed mittamus ista,veniamus ad paritatem à me exBern.adductam de pedum Lotione.

Dicit itaque Sapientissimus Censor,quod paritatem, hanc silentio pressam libentiùs vidisset, & utique credo, quia mirum in modum infringit vim argumenti, quod ex D. Bern. auctoritate serm. 5. in Cantica efformabatur. Atque ut bene percipiat id quod ait se non intelligere, suggeram eidem, ut discat distinguere Rem de qua dicitur, à Modo quo de illa re dicitur; hac enim distinctione cognità, percipiet instantiam à me adductam de Lotione, pedum, non esse de re ad rem, sed de modo dicendi cum modo dicendi; Nam sicuti D. Bernardus Animam pecoris vocat Spiritum, & Spiritum pecoris annumerat cum veris Spiritibus, ita idem Bern. Lotionem pedum vocat; non signum (ut testatur Censor se legisse) sed Sacramentum, eamque cum Sacramentis propriè ac verè talibus accenset; & quoniam Spiritualis Animæ in brutis Assertores, in primo dicendi modo D.Bern.non parvam faciebant vim,hinc meritò ex simili dicendi modo ejusdem Sancti Doctoris, ut ut non in simili materià, ostendi, non posse de mente Bernardi verum in brutis adstrui Spiritum, ex præciso loquendi modo D. Bernardi; Quod autem instantia illa de Lotione pedum, unicè adducta fuerit ad infringendam vim, quam in dicendi modo D. Bern. faciebant Adversarii, patet legenti Dialogum V. pag. 79. ubi addidi. *Quoniam tamen instantia, indirecta est dumtaxat objectionis solutio, videamus num verè textus ex Bern. allatus*

com-

comprobet verum brutis spiritum inesse. Atque usque ad pag. 92. prosequtus sum agens de Re, sive de Spiritu pecoris, ostendens talia prædicata huic Spiritu à D. Bern. apponi, talia negari, ut nisi pessimè D. Bernardus senserit de naturâ Spiritus, omninò intelligi nequeat de vero loqutus Spiritu, cum nomen Spiritus, brutorum Animæ attribuit. Serm. 5. in Cantica

Phil. Nè putes Crit. te palmam retulisse; majora supersunt, quibus illaqueatum te manere necesse est. Pergit ergo ingeniosissimus Opponens ad septimum Dial. aitque se opus habere ut te consulat, plurium postulaturus terminorum explicationem; Inter alia non intelligit id quod dixisti in hoc Dialogo, videlicet „ Accidentia „ spiritualia, quæ sunt entitates materiales „. Insuper non est ei perspecta satis libertatis deffinitio quæ à te dicitur. *Facultas agendi cum ratione*, ipse enim firmis rationibus ductus credit *Libertatem esse facultatem ad opposita*.

Crit. Si placet, ab hoc ultimo respondere incipiam. In primis itaque non strictam professus sum me afferre libertatis deffinitionem, unde præmisi. *Quid enim est libertas in generali acceptione sui, nisi &c.* Illam videre poterit in P. Pardies, quem dicit Censor egregius se legisse; Illam ego in generali acceptione verissimam putò; ipsa enim est alterius causa & fundamentum; Unde enim procedit facultas ad opposita, nisi ex facultate agendi cum ratione? tolle ab homine facultatem agendi cum ratione, & abstulisti facultatem ad opposita; Quod si à me instrui doctissimus Censor erubescat, non dedignetur saltem quo ad hoc punctum, & hac vice tantùm à D. Th. erudiri; Nec enim Doctor verè Angelicus ad solam perfectionem homines ducit, sed vel invitè fatendum est, quod ad veram sententiam Philosophos, ad verum Theologos adducit Doctrinam (a). *Ex hoc voluntas liberè potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni, & ideo Philosophi deffiniunt liberum arbitrium. Quod est liberum de ratione judicium, quasi ratio sit causa libertatis.*

Vellem modo regredi ad id quod primò retulisti, sed vereor ne tu Relationem Vincentii Phocæ relegendo, allucinatus sis, & penè suspicarer quod ipsum calumnieris, ni aliunde tua mihi perspecta foret probitas, ac honestas.

Phil. Nec decipior, nec quod multò pejus esset, calumnior quemquam; Si mihi non adhibes fidem, habeo hìc mecum relationem ipsam, en, lege pag. 8.

Crit. verè lego *Accidentia spiritualia, quæ sunt entitates materia-*

(a) 1 2 q. 17. art. 1. ad 2.

teriales, sed vix oculis ipse meis credo; Quid dicam nescio, nam Oppositorem talia mihi appingentem, Veracem non possum, Mendacem non debeo, Deceptum appellare prohibeor; succinctè reponam; tam grossè ne dum in Dialogo VII., sed nec in tota Dissertatione, non erravi; nè dum talia non dixi, sed neque quæ umbratenus ad talia accedant; Dissertatio mea typis edita est, qui legerit Relationem Vincentii Phocæ, precor judicium suspendat, Dissertationem, legat, fidem Relatoris probet; nihil enim vel tale, vel ei simile reperiet, pubblicam obtestor fidem; Interim habeo, unde gaudeam, nam excidit è causà, qui causam falsitate defendit.

Phil. Recordaberis de titulo, quo inscripsisti Dialogum VIII. nempè. *Opinio de Animà Spirituali brutorum Conciliis adversa probatur*. Audi ergo quid de illo dicat eximius Oppositor „. Quum primum titulum hunc inspexi, fateor, obstupui, nusquam enim crediderama Concilia se hisce immiscuisse quæstionibus; desiderio tamen urgente novas acquirendi cognitiones, integrum lustravi, modicam verò ex hoc voluptatem concepi, quum unicum relatum Concilium inveni, Lateranense nimirum IV. in quo PP. Confessionem fidei exponentes, dicunt. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est Deus*... *qui sua potenti virtute simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit Creaturam Spiritualem & Corporalem, Angelicam, videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex corpore & Spiritu constitutam* „. Hoc in textu vides, quod nullam agitant quæstionem; sed „ Dei attributa ipsis nota recensentes, distinguunt Creaturas, in materiales, & Spirituales, neutras tamen specificè enumerant; deinde dicunt humanam ex corpore & spiritu constare, & nullum de Brutis verbum faciunt, unde nihil positivi inferri inde posse putarem. Quando sanè Ecclesia, aliquid vult definire, clarè & apertè loquitur, nec eò tendit, ut ea, quæ reticet, negativè ut dicitur, statuta censeantur. Quoad usque ergo Ecclesia apertè non loquatur, possum indubitanter asserere eam nulli sectæ nomen dedisse.

Crit. Nihil mea refert, quod Exquisitissimus Censor modicam in legendo præfato Dialogo voluptatem conceperit, nec enim ego voluptati inhio, sed veritati; Animadversione tamen dignum est, quod subjungit. „ Quum unicum relatum Concilium inveni „ Forte ne ly Unicum, opponit vocabulo plurali, quod in titulo apposui. *Conciliis*? at non crediderim doctissimum Oppositorem nescisse, quod nonnunquam licet plurale pro singulari usurpare. Fortè ne ei satis non est Unici Concilii Auctoritas? *Unicum Concilium*? Putatne Concilia Ca-

stanea-

ftanearum inftar fe habere, ut ficut iftarum plures ad fedandam famem, ita illorum multa, ad faciendam fidem requirantur? *Unicum Concilium*? Quid eft unicum Concilium, nifi Ecclefia in Spiritu Sancto Congregata, cujus proinde doctrina, cujus deffinitiones, infallibilem nequeunt non continere veritatem? Non habet ergo Opponens unde jure me redarguat, ex quo Unicum relatum Concilium invenerit.

Sed videamus num hoc Concilium, ad intentum fufficiat. Concedo itaque quod hujus Concilii PP. præfentem non agitent quæftionem; Concedo quod non enumerent fpecificè Creaturas; Concedo quod nullum de Brutis verbum exprefsè faciant; Aft hifce omnibus conceffis, ex Concilii Doctrinà Spiritualem in brutis Animam non adeffe, ritè deducitur; Nam ficut nomine Creaturæ Spiritualis citrà dubium omne, intelligit Concilium Creaturam carentem corpore, ita nomine Creaturæ Corporalis, intelligit Creaturam carentem Spiritu, & fub hac bimembri partitione, omnes & quafcumque Creaturas, omnes & quafcumque Creaturarum fpecies, folo homine excepto, comprehendit, hunc folum dicens effe Creaturam quafi communem, Spirituali (intellige) & Corporali, ex Spiritu & Corpore conftitutam. Cum itaque Bruta nequeant accenferi primo membro Partitionis, nempè fub ly *Spiritualem*, neque fub aliquo communi Spirituali, & Corporali à Concilio reponantur; quis non videat ea fub fecundo partitionis membro, fub ly nimirum *Corporalem* relinqui, confequenter cum ly *Corporalem* affumatur à Concilio, ut adæquatè oppofitum Spirituali, & inadæquatè oppofitum Soli Homini, affumitur tanquam folam corporalitatem importans, nihil de fpiritualitate admifcens, nihilque de eàdem Creaturis fub fe uno contentis communicans; Eft ergo adverfum menti Concilii, dicere Bruta naturam habere communem Spirituali & Corporeo, ex Spiritu nimirum & Corpore conftitutam. Sed non eft opus me hìc tibi plura repetere Phil, fat enim eft fi ea recolas, quæ in Dialogo VIII. fufiùs profequutus fum. Unum monebo Cenforem meum, quod aliud eft Propofitionem aliquam effe à Concilio exprefsè deffinitam; aliud eft Propofitionem aliquam effe Concilio adverfam. Ad primum opus eft quod Concilium fingillatim & in terminis de illa mentionem faciat; Ad fecundum fufficit, quod propofitio aliqua cum iis quæ Concilium credenda proponit, non cohærere oftendatur; Propofitionem à Concilio expreffè reprobatam, defendere, hæreticum eft; Propofitionem Concilio adverfam fuftinere, temerarium faltem; Ego autem Opinionem de Animà in brutis Spirituali, non à Concilio pofitivè reprobatam dixi, fed Concilio adverfam oftendere fufcepi. Catholico autem indi-

indignum Philosopho judicaverim, Opinionem Concilio adversam sustinere, quia nundum est expressè reprobata. Sed hæc nè tantùm carpenda reperit in VIII. Dial. Eruditus Censor?

Phil. Handquaquam; pergit enim (*pag.* 9. *&* 10.) judicium ferre de Argumento quod sub Dialogi finem, pro Peripateticis confecisti, in quo scilicet, ex quo Bruta non sint pura Authomata, ut concedebam tibi, neque possint habere Animam Spiritualem, ut ostendisse authumas, intulisti admittendam in brutis Animam materialem quæ materia non sit; hoc itaque per extensum relato, amicum ita alloquitur „. Si hoc argumentandi genere, persuaderi homines possent, jam & te, & me pœnitere licet Geometricis & Algebricis „ Elementis assequendis insudasse, cum claritas & perspicuitas quæ „ illis obtinetur, jam reddatur inutilis „ Sed ne prolixus sim, reliqua summatim dicam. Inquit ergo in dilemmate primò Argumenti tui supponi disiunctivam, quæ parùm accurata videtur. Inquit explicandos esse hos terminos „ Viventia, ac Sensitiva. Anima quæ non sit „ formaliter materia, & maximas sibi offundi tenebras ex ea consequentia; ergo est materialis, non tamen materia subdens ex Melchiore Cano. *Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent qui hæc tractarunt.* Quæ sequuntur opus est referam de verbo ad verbum ut eorum vim percipias. Ait ergo quasi repetens argumentum tuum „. Fatentur in argumento actiones brutorum, à sola „ mechanica dispositione derivare non posse; sed neque Spiritus, „ inquiunt, admitti potest; ergo medium quid est admittendum, „ quo suprà materiam puram eorum anima constituatur, nec tamen „ puris spiritibus coæquetur. Lepidum fanè argumentum, cui si „ meum esset respondere, minorem negarem... quid enim quæso „ prohibet Spiritum brutis concedere? Numquid pulcherrima illa „ gradatio perfectionum, quæ in rebus materialibus deprehenditur, „ Spiritibus erit deneganda? Numquid infimus Spiritus debet habere omnes perfectiones, quæ in superioribus reperiuntur? Numquid quia substantias ex se in nihilum abire non posse cognoscimus, „ ita Creatoris potentiæ limites figemus, ut nulli illarum conservantis manum subtrahere possit? Qui hæc & similia, etiam affirmando „ assereret, nullà esset censurà notandus „. Denique concludit pag. 11. quod qui admittunt in brutis cognitionem, debent & illis Spiritualem animam concedere.

Crit. Gratulor Censori meo quàm maximè quod Geometriæ studuerit, atque Algebræ, eidem tamen suggeram, perperam deduci inutilem, vel Geometriam esse, vel Algebram, ex quo sine unius, vel utriusque usu perspicua fiat demonstratio, cum non osten-

ostendatur aliquod inutile, ob hoc quod non sit ad omnia necessarium, vel multa possint sine illo præstari. De Dilemmate nil dicam, cum enim determinatum in illo non assignet errorem, nec illum confiteri, nec ab ipso me vindicare valeo. Petitam terminorum explicationem, intelligere vel non volenti, vel non valenti afferre non debeo, maximè quia, cum hi in Peripateticorum libris passim inveniantur explicati, non expedit, ut in Præfatione præmisi, coctum recoquere.

Ad argumentum *Fatentur &c.* quod tanquam meum profert, lepidum esse concedo, sed lepidum utique facit, qui illud ita proponit; Sed ego nunquam tam insulsè argumentatus sum, & possem meritò retorquere illud Melchioris Cani. *Puderet me dicere non intelligere*. Hanc formam silogizandi, *si ipse intelligeret*, qui ita arguit. Dignum tamen observatu est, quod subjungit „; nimirum, cui si meum esset respondere, negarem minorem) meliùs dixisset, *secundam partem antecedentis*. Magna tamen in negando securitas! perinde ac si in ejus probationem nihil omninò dictum sit, aut ipse liquidò solverit quæcumque ad illam probandam adducta sunt; Faxit Deus, quod qui hoc modo negat, nunquam incidat in errorem, cæterum insanabilis erit casus ejus in mortem....

Neque verò feliciùs est, quod adducitur de gradatione perfectionum, sicut in Materialibus deprehensà, sic in Spiritibus admittenda. Nam hoc argumentum ab extrinseco est, relinquens adhuc examini subjiciendum, num fortè similis gradatio repugnans sit Spirituum naturæ intrinsecùs inspectæ, atque ad summum de possibili concludens, non de facto, cum non omne factibile à Deo factum sit, vel factum esse, queat ostendi. Repetat verò, quò usque ei placuerit „ „ Numquid infimus Spiritus debet habere omnes perfectiones quæ „ in superioribus reperiuntur? „ Semper respondebo affirmativè, de iis loquendo perfectionibus, quæ generaliter veri Spiritus naturam constituunt, vel ad illam naturaliter consequuntur, uti sunt Immortalitas; Intellectivas, Libertas &c. Quod si hisce non acquiescat, faveat recurrere, quæ dixi Dial. 3. pag. 47. & seqq. & Dial. 4. pag. 62. & seqq.. Frustraneum denique est, quod postremò addit, Creaturas scilicet posse à Deo in nihilum redigi; quis enim hoc negat? Quid verò ei prodest ad intentum? Ego ipse idem asserui Dial. V. ex hoc ipso ostendens, D. Bern. de vero Spiritu in Brutis non esse loquutum; & Dial. VI. pag. 99. probavi auctoritate D. Th. non in Aristotele, sed in Sacris fundatà Scripturis, Brutorum animas de facto dici non posse per annihilationem desinere.

Phil. Videris mihi non incongruè hucusque cuncta refellisse,

aft

aſt neſcio quomodo te expedies ab iis quæ eruditiſſimus Cenſor opponit à pag. 11. uſque ad 13 incluſivè, ibi enim fuſiùs inſtat oſtenſtendo pluribus, quod materia nequit ad cognoſcendum aſſurgere, etiam attentà Omnipotentià Dei. Cumque Forma materialis Peripateticorum, ſolùm nomine tenùs non ſit materia, conſequens eſt eandem, utpotè quæ verè & realiter materia eſt, eſſe non poſſe cognoſcitivam, concluditque eos qui bruta cognitione donant, illis etiam concedere teneri Spiritum cognitionis capacem. Si placet, cuncta ſingillatim referam ut jacent.

Crit. Haud quidem te abſque causà fatigari ſinam Phil. Hæc etenim, etſi veram Formæ materialis in ſenſu Peripatetico repugnantiam demonſtrare concederentur, adhuc verè de Cenſore dici poſſet. Benè currit, ſed extrà viam. Benè ſaltat, ſed extrà chorum. Numquid nos inter concertatio fuit, de Formà materiali in Brutis admittenda vel non? An non potiùs tota huc collimavit, ut Anima Spiritualis, non adſtrueretur in ipſis? An non hoc idem in ipſo Diſſertationis titulo cuiquam patet? Cum itaque lis ſit de Rure, cur reſpondet per quæſtionem de Domo? Videat egregius Opponens quod propoſita difficultas, non enervatur per alterius difficultatis propoſitionem, unde veriſſimè dictum eſt.

Non litem ſolvit, qui litem lite reſolvit.

quidquid ergo contrà Formam materialem inculcet, non curo; cum non hàc inceſſerim vià, non debeo à cepto deflectere tramite, ut extrà viam currentem ſequar. Perge itaque ad alia ſi quæ habes Phil.

Phil. Pauca ſuperſunt, quæ paucis expediam. Inquit ergo pereximius Cenſor (14.) de tuà in textibus citandis fidelitate, ſe nihil dicere poſſe, quia ruri degens, non habet libros quos conſulat. Subdit denique confidentiſſimè alloquens amicum ſuum; Diſplicuiſſe ſibi audire hominem, obſcuriſſimam Philoſophiæ quæſtionem, quaſi ſola Auctoritate ſin minùs dirimere, unius ſaltem partis ſe judicem exhibere. Diſplicuiſſe inſuper cognoſcere hominem, in quo ea vis ingenii elucet, quæ ſeverioribus Muſis donanda eſſet, obſcuris retiaculis detentum, & à geometricà methodo & perſpicuitate, ac etiam ab Oratione concinnà diſtantem. Denique multùm ait doctrinæ in tua Diſſertatione elucere, in qua tamen acquirenda multùm inſudare debuiſti, tales enim videris habuiſſe inſtitutiones, quas neque Magiſter tuus clarè valuit percipere, plerumque enim contingit, ut Seniores nolint aditum junioribus dare, ad novas comparandas cognitiones *Pag. 14.*

Vel quia nil rectum niſi quod placuit ſibi, ducunt

Vel-

Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Crit. Gratias primitùs opus est referam Censori meo, qui me in textibus citandis, de infidelitate carpere non valens, noluit saltem ab infidelitatis suspicione liberare; & nè putet verè me severioribus Musis donandum (relicto quod de scurrilibus, aut mollioribus, aut procacibus, utique erubescerem) dicam lepidè, quod ea comitas, quam semper sibi sociam ubique prædicat, cum in ejus fronte non appareat, oportet, quod ipsum fortè sequatur à tergo. Primum quod eruditissimo semper Censori displicuit, sanè displicere non debuit; Obscurissima etenim (ut ipse ait) Philosophiæ quæstio, & quæstio (addam ego) valdè proximè communicans Animæ hominis, non nostri tantùm tenuitate ingenii, sed superiori etiam fuerat investiganda lumine, & discutienda auctoritate; Quod si hoc ipsum, quod agere debueram, feci, jam non me unius partis judicem constitui, sed Scripturis Sacris, SS. Patribus, atque legitimis Conciliis judicium reliqui, hocque in fine Dissertationis testatus sum; undè contrà me nonnisi carpendi libidine id dictum esse, quisque facilè perspiciet.

Alterum, quod ommissis obscuris retiaculis, quibus ait me detineri (hæc enim non sunt nisi verba) perbellè dicitur, est, me distare à Geometrica methodo; doceri sanè cuperem, quis mihi occurrerit in tota Dissertatione locus, in quo vel Geometrià vel Geometrica methodo strictè tali opus esset, ut valeam percipere, qua ratione mihi in probrum vertatur, geometricè non processisse. Subjungit me distare à perspicuitate, sed hoc invidè dictum non diffitebitur, qui meam legerit Dissertationem, in qua nihil fortè melius invenitur, quàm claritas in conceptibus meis explicandis. Postremum quod addit, me distare ab Oratione concinnà, fortè à te Philadelphe illud extorqueret; *Dicebat cacabus ollæ*, aut illud D. Hieron. (a) *Dum alienam imperitiam volunt coarguere, suam produnt*. Absit tamen à me, ut talia reponam, immò sicut in operis præfatione confessus sum, sic in ejusdem defensione confiteor, me humili familiarique stylo scripsisse; Sed hoc ipsum mihi appingi minimè debuisse, hisce discat Optimus Oppositor. (b) *Granditati Philosophiæ, rerumque retrusarum difficultatibus, humilis, ac penè dixerim prostratus dicendi modus convenit*.

Ut ad ultima demùm faciam satis, uno verbo dicam; in Dissertatione conflanda sive insudarim, sive non, quid ipsi interest? quod tamen insudare non debuerim, neque quales egregius Censor arbitratur, habuerim Magistros, vel ex hoc cognoscat, quod tanti est discipulus,

(a) *Ep. Cl. ad Pammach.* (b) *Apud* Kirchof. *de Kirchof. in præfat.*


scipulus, ut sicut anteà Appendicem, ita modo Dissertationis, Relationem, brevi temporis intervallo, ad alia licet distractus plenè noverit confutare, majora scripturus, si meliora compellant. Neque verò cum veritate dictum est, quod Seniores (de nostris loquor) aditum junioribus negent ad novas cognitiones; Quum potiùs systemata Modernorum, exagitanda tradi junioribus velint; quod autem eadem integrè sustinenda non proponant, in caussa est, quod cum in pluribus Generalibus Ordinis nostri Capitulis, sicut & in omnibus penè Universitatibus, Academiis, ac Regularibus Ordinibus statutum invenitur, sancitum sit, ut D. Th. Doctrina nostris in Scholis doceatur, malunt (ut religiosos viros omninò decet) obtinere obedientiæ meritum, quàm captare scientiæ auram inflantis .. Horatianum verò illud. *Vel quia nil rectum &c.* quod jam centies in Thesibus publicis hìc Mediolani relegi, nihil evincit; aliunde enim examinandum est, num jure, an immeritò nolint Senes Juniorum Doctrinis acquiescere; & quemadmodum à Recentioribus contrà Peripateticos usurpatur, ita si antiquior foret recentiorum Doctrina, recentior autem illa Peripateticorum, simili prorsùs modo in antiquioris Doctrinæ sectatores, à recentioribus (in suppositione factà) Peripateticis intorqueri posset; ego tamen hic repetam quæ attuli in Dial. 1.

Stulta hæc invidia est, cui cuncta recentia sordent.
Invida stultitia est, cui nova sola placent.

Longiùs nolo te detinere Phil. debeo tamen quid de hac Relatione sentiam, tibi secretò aperire. Quem sibi itaque finem hujusce Relationis Author (illo mordendi & carpendi unicè excepto), præstituerit, non video; Si quid enim aliquà dignum venià in mea Dissertatione invenitur, illud callidè ommittit; si quid aliquatenùs ambiguum, deteriorem in partem interpretatur; de iis, quorum quæstio mihi non fuit, prolixè differit; de eo, de quo agendum unicè suscepi rationes, probabili saltem ratione à me solutas, quasi adhuc intactas, atque omninò inconcussas repetit; Quæ nunquam dixi, neque in æternum à me dicta probabit, Dial. 7. mihi appingit; carpit in me ingènium, methodum, stylum, & quia hæc omnia honestati suæ, atque comitati non sufficiunt, meos etiam Institutores, à suo eos dente intactos abire non sinit; Sanctorum PP. auctoritates non recipit; Auctoritatem humanam, nihili facit; Scripturas Sacras Philosophicis accommodandas inventis docet, uni suo fidit ingenio; nunquam sane a tantæ Urbanitatis, ut se prædicat, Viro talia expectassem. Hæc tamen ei optimo ex corde dimitto; unum oro te Philadelphe mi, ut si fortè temporis decursu tibi cognitus fiat, qui modo ementito sub nomine latet egregius Censor (quoniam & libri examen, & defen-

defendentis illum, atque feveritatem minari non dubitavit) dic illi, nomine etiam meo fi placuerit, quod fi hifce lubeat refpondere, proprio prodire fub nomine, non erubefcat, nam contrà incognitum hoftem, me non ampliùs dimicaturum, fpondeo; Dic illi, quod impofterum, vel calamo parcat, vel Veraciori utatur, atque præftantiori, nam ineptis objectiunculis, ficut uti pudor eft, ita piget refpondere. Interim maximas tibi grates rependo Phil. enixèque precor, ut fincerum in me tibi obfequendi defiderium, non differas juffibus tuis exercere. Vale.

Phil. Me femper tibi magis obftringis fignificationibus hifce tuis Crit., eademque tibi non difpari defiderio exhibeo; & fi quid Novi contrà te audiam, quod tamen folidas rationes contineat, non jurgia, ad te citiùs quàm hac vice, omnia fideliter relaturus, teque revifurus redibo. Vale.



Die 7. Julii 1742.

IMPRIMATUR

P. F. *Thomas Francifcus Baffi Vicarius Generalis S. Officii Mediolani.*

Benedictus Mazzolenus Canonicus Theologus S. Nazarii pro Eminentiffimo, ac Reverendiffimo D. D. Card. Stampa Archiepifcopo.

Carlius pro Excellentiffimo Senatu.

MEDIOLANI, Apud Francifcum Agnellum.
Superiorum permiffu.



